348.6
So 43

DE DELICTIS ET POENIS

PRAELECTIONES
IN LIB. V CODICIS IURIS CANONICI

QUAS

IN PONTIF. ATHENAEO SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

Prof. Adv. IACOBUS SOLE

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURAE AP. PRAEL. REFERENDARIUS
CONSULTOR S. CONGR. CONCILII
ET COMMISSIONIS PONT. AD CODICIS CANONES AUTH. INTERPRETANDOS

Sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt tamquam ipsius divini Petri voce firmatae sint.
(CAN. 2, Dist. XIX)

BIBLIOTHECA PRIVATA
THEOLOGI
S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE

BIBL. TH.
P. R.

ALMA COLLEGE
348.6
LIBRARY
So 43

FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
ROMAE
ATISBONAE — COLONIAE AGRIPPINAE — NEO-EBORACI
CINCINNATI
1920

7055

AUCTOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica Arch. Philippen., Vicesger.

ROMAE – TYPIS PONTIFICIIS IN INSTITUTO PII IX

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO VIRO

MICHAELI CARD. LEGA

S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM PRAEFECTO

DE SCIENTIA IURIS CANONICI OPTIME MERITO

MAGISTRO DUCI ANTECESSORI

HOC QUALECUMQUE OPUS

GRATI ANIMI ERGO

ADDICTISSIMUS AUCTOR

D. D. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dedelictisetpoen0000prof

PRAEFATIO

I. In Pontificio athenaeo Seminarii Romani ad S. Apollinaris decem et octo abhinc annis munus mihi commissum fuit interpretandi libros IV et V Decretalium Gregorii IX. Tot annorum decursu pluries a discipulis rogatus ut meas praelectiones in vulgus ederem, eorum votis enixisque precibus satis facere haud opportunum esse duxi, ea potissimum de causa, quia ipsorum studio atque utilitati a praeclarissimis in eodem athenaeo Antecessoribus et praesertim ab Emo Card. Lega in suo absolutissimo Opere satis superque provisum fuerat.

Sed post publicationem Codicis iuris canonici, praedicta Opera, universali Doctorum iudicio comprobata, quamvis semper valde utilia illis qui doctrinam profitentur in cathedra, pro efformandis tamen in iure canonico tironibus minus apta evaserunt. Hinc ut aliquid utilitatis tironibus iuris canonici conferre possem, has meas praelectiones in Librum V novi Codicis typis vulgandas constitui, non quidem ingenio aut eruditione mea fretus, quae sentio quam sint exigua, sed divino auxilio et favore, in gratiam praesertim alumnorum, qui in sacris disciplinis addiscendis excolendisque operam impendunt.

II. In canonum vero interpretatione adamussim inhaerendum esse censui methodo sapientissime praescriptae a S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, quae decreto « Cum novum » d. 7 Aug. 1917, praecepit: « ut in schola antehac textus aptissime nuncupata in qua ius canonicum penitus copioseque praelegitur, *ita in posterum eiusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia synthe-*

tice proposita, sed accurata quoque uniuscuiusque canonis analysi, ad cognoscendum et intelligendum Codicem veluti manu ducantur: debent scilicet doctores iuri canonico tradendo, **ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones** diligenti explanatione interpretari ». Et S. Pontifex Benedictus XV, Quem Deus diu sospitem servet, in litt. datis die 7 iulii 1917 Emo Cardinali La Fontaine, Venetos Professores alloquens, praefatae S. Congregationis praescripta hisce verbis apertissime confirmat: « **Volumus,** ita iuris canonici disciplinam in posterum tradatis, *ut Codicem, prout evolvitur, gradatim commentata oratione declaretis; neque enim Nobis probabitur* quicumque, excurrendo, ingenio nimis indulserit suo, discipulosque, a via iamnunc expeditiore deflexos, in tricas vel difficultates coniecerit ».

Hisce praescriptis satis facere pro viribus adlaboravi. Hinc, praeprimis transcripto canone, eiusque sententia brevissimis verbis enunciata, ipsum canonem, maiore vel minore brevitate, pro diversis rerum adiunctis, declaravi atque evolvi. Rationem cuiusque canonis nunc ex decretalibus ipsis aliisve legibus, nunc ex probatis Doctorum sententiis desumere curavi, relatis saepe, vel in notis vel etiam in corpore tractationis, eisdem verbis decretalium vel Constitutionum, ex quibus novi canones deducti fuerunt. Brevitatem in genere custodire studui, tum in expositione doctrinae, cum in resolutione quaestionum, quae inter sacri iuris interpretes agitari solent; et si quando quidpiam occurrerit, quod nonnulli uberiori discursu declaratum exoptarent, in notis opportune probatos Auctores indicavi, de huiusmodi quaestionibus fusius pertractantes. Memoriae adiuvandae gratia addidi quasdam *notas marginales,* quibus paucis verbis *indicatur* obiectum sive canonis, sive rerum quae pro recta canonis intelligentia exponuntur.

III. Praeterea animadvertendum est quod laudata S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus apprime cogno-

scens, ad ecclesiasticam iurisprudentiam intimius ac maturius addiscendam, ecclesiasticae historiae subsidium nullimode esse omittendum, optime merita de iure pontificio, praecepit ac mandavit: « ut doctores iuri canonico tradendo, antequam dicere de aliquo instituto iuridico aggrediantur, *apte exponant qui eius fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices,* ut discipuli pleniorem iuris cognitionem assequantur ». Quam sapienter praefata S. Congregatio hoc praescripserit, nemo est qui non videat. Omnibus enim compertum est, historiam iuris plurimum conferre ad leges Ecclesiae melius addiscendas. Historia enim duce ac magistra, ortum et progressum iuris, incunabula, fata, vicissitudines disciplinae ecclesiasticae edocemur; ipsa facem praefert, ne tenebris circumfusi in syrtes et scopulos incidamus; ipsa, arma profert quibus iura Ecclesiae, ac sacrorum canonum vim, aequitatem, veritatem tueri ac defendere possumus et adversariorum errores plenissime refutare.

Cavendum tamen est (sit obiter dictum), ne plus aequo hisce quaestionibus historicis enucleandis indulgeatur; ne schola textus iuris canonici in scholam **historiae** eiusdem iuris facile convertatur. Eoque magis hoc servandum videtur in illis studiorum Universitatibus, in quibus duplex est schola iuris, nempe institutionum et textus. Professor enim textus in huiusmodi Universitatibus iure meritoque plura supponit tradita in schola institutionum, ut ipse fusiori sermone profundaque ratione de singulis canonibus disserere queat. Recte proinde scribit ad rem Card. Cavagnis in praefatione Inst. Iuris Publ. Eccl. pag. VI et seq.: « E contra ubi duplex est schola iuris canonici, idest institutionum et textus, illae contentae sunt generalioribus principiis, ne inutiliter anticipent quae ex professo evolventur; hinc magis insistunt in fontibus iuris tum antiqui tum novi tum novissimi examinandis, ipsorumque critica tradenda, **nec non in historia iuris; quae omnia in textu ut iam explorata habentur et vix in mentem revocantur** ».

Hisce rite perpensis, ad normam laudati Decreti « Cum novum », quantum fert huius parvae tractationis natura, praemittere studui cuique instituto iuridico eas notiones historicas, quibus eius ortus, progressiones, mutationes ac vices, quae decursu temporis acciderunt, facile intelliguntur.

IV. Ingenue fateor, me ex probatis Doctorum Operibus plura desumpsisse; sed fortasse non inepta haec via est, quam S. Pontifex Pius IX indigitavit: « ut adolescentes clerici... sacrorum canonum scientiam *ex Auctoribus ab Apostolica Sede probatis depromptam* consequi valeant » (litt. encycl. « Inter multiplices », 21 mart. 1853). Et in can. 6, 2° novi Codicis edicitur: « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, **atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi** ».

Faxit Deus ut omnia quae sedulo studio ac labore ex purissimis fontibus hausi, non parvam iuris canonici studiosis utilitatem afferre valeant.

V. Denique si forte contra meam intentionem in canonibus interpretandis mentem Sedis Apostolicae non sim assecutus, omnia et singula eiusdem Sedis Apostolicae iudicio, omnimoda eius mandatis subiectione, submitto; cum nihil aliud mihi proposuerim, quam ut Deo sit *gloria in Ecclesia et in Christo Iesu*. (Ephes. 3, 21).

Romae, die festo Pentecostes, anno 1920.

LIBER QUINTUS

DE DELICTIS ET POENIS

PARS PRIMA

DE DELICTIS

TITULUS I.

De natura delicti eiusque divisione.

Notio delicti ecclesiastici.

CAN. 2195. — § 1. Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata.

§ 2. Nisi ex adiunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti cui poenalis sanctio adnexa sit.

Elementa constitutiva delicti.

1. In hoc canone clare et perspicue adsignantur elementa quibus delictum seu crimen (1) constituitur. Uti enim patet ex can. transcripto, ad delictum constituendum requiritur violatio legis, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata, hoc est violatio legis poenalis: en elementum iuridicum seu legale delicti, idest lex poenalis. Praeterea requiritur ex eodem canone ut haec violatio legis poenalis sit moraliter imputabilis, sit nempe dolosa aut culposa; en elementum subiectivum seu formale delicti, idest dolus vel culpa. Denique requiritur ut haec dolosa seu culposa legis poenalis violatio sit externa, turbet nempe ordinem socialem Ecclesiae; en elementum obie-

(1) In fontibus iuris generatim promiscue usurpantur vocabula *crimen* aut *delictum*; Schiappoli, *Diritto pen. canon.* n. 45. Etiam in iure Romano *crimen* et *delictum* saepe indiscriminatim adhibentur, Ferrini Contardo, *Diritto pen. Rom.* n. 8 seq., 15 seq. Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, tom. VI, *Ius poenale Eccl. cath.* (Prati, 1913), n. 13, not. 1 et 38; Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici*, ed. IX, pag. 760, n. 1.

ctivum vel sociale, nempe damnum, quod sequitur ex violatione dolosa et externa legis poenalis. Igitur ad delictum constituendum requiruntur dolus vel culpa, damnum et lex poenalis. Haec omnia breviter declaranda sunt.

a) Lex poenalis.

2. Et in primis *lex poenalis* illa est quae aliquid praecipit vel vetat, statuta poena contra transgressores. Hic legem poenalem non accipimus legem divinam sive positivam sive naturalem, cuius violatio peccatum facit et non delictum, sed humanam tantum, illam nempe legem, quae poenarum praesidio et sanctione munita est. Non enim cuiusque legis humanae violatio est delictum; ut ecce, crimen non patrat qui in contractibus ineundis, in iudiciis instituendis et prosequendis non servat praescripta legum. Praeterea animadvertendum est, quod si lex divina, sive positiva sive naturalis, etiam a lege ecclesiastica muniatur aliqua poena, tunc conditur ius humanum positivum poenale, eiusque violatio, externa et moraliter imputabilis, delictum constituit.

b) Dolus vel culpa.

3. Praeterea violatio legis poenalis, *moraliter imputabilis* sit oportet, ut delictum constituere possit. Imputare aliquid alicui moraliter significat hoc eidem referre vel tribuere uti propriae causae morali, scilicet scienter ac libere agenti [1]. Hinc radix et fundamentum moralis imputabilitatis *est* intellectus et libera agentis voluntas, quorum concursus in re criminali, dolum constituit. Eapropter illa violatio legis poenalis quae non provenit ex dolo vel culpa, uti actus probrosus ab amente admissus, non est moraliter imputabilis, quia non est actus humanus, ideoque delictum non habetur. Diximus — ex dolo vel culpa — quia non solum violatio dolosa, quae nempe provenit ex proposito delinquendi seu ex deliberata voluntate violandi legem (can. 2200) est moraliter imputabilis, sed etiam violatio quae provenit ex culpa. Aliquando enim a negligentibus hominibus ordo socialis laeditur, non ex dolo, sed ex defectu necessarii consilii in agendo seu ex culpa. Cumque quisque teneatur uti communi diligentia ab omnibus adhiberi solita, si ex omissione huius diligentiae noxius effectus se-

[1] LATINI, *Iuris criminalis philosophici summa lineamenta*, (folia lytograph.) p. 73.

quatur, hic effectus moraliter imputatur auctori suo, qui merito poenis percellitur, gravioribus vel mitioribus, prout gravior vel levior fuerit negligentia seu culpa. Hinc omnia quae in hoc canone statuta sunt de delicto, etiam de quasi-delicto, servatis servandis, intelligenda sunt, uti melius patebit ex iis quae inferius explanabimus.

c) Damnum.

4. *Denique requiritur ut violatio legis poenalis sit externa ut delictum habeatur.* Etenim lex humana, quae nonnisi actus externos attingere valet, tantum per actus externos violatur; ac proinde Ecclesia, quatenus est societas externa, iudiciali et coactiva pollens potestate, non iudicat de internis. Peccata enim *mere interna* soli Deo punienda relinquuntur, iuxta can. *Cogitationis*, 14 *De Poenitentia:* « *cogitationis poenam nemo patitur* ». Iamvero tunc **actio** dicitur **externa**, cum ita prodiit exterius, ut si quis adfuisset, oculis, auribus animadverti, percipi potuisset. Diximus — percipi potuisset — quia actio potest esse *externa, sed occulta;* fieri nempe potest ut actio sit ita exterius expressa, ut percipi et cognosci potuisset; attamen per accidens a nemine cognoscitur, ideoque manet occulta. Ita haeresis prolatio, quamvis omnino occulta, poenis percellitur.

Discrimen inter delictum et peccatum.

5. Ex breviter adnotatis facile intelligitur *discrimen inter peccatum et delictum.* Quamvis enim delictum et peccatum conveniant in hoc, quod utrumque sit actio moraliter mala, quia utrumque est voluntaria legis transgressio, ideoque omne delictum est peccatum; tamen toto coelo differunt inter se delictum et peccatum. Nam *per peccatum*, transgredimur legem divinam, quae actu mere interno violari potest, hinc non turbamus ordinem socialem Ecclesiae, et consequenter nullam incurrimus poenam ab humana auctoritate statutam; sed e contra *per delictum,* offendimus actu externo in legem humanam poenalem, vel etiam in legem divinam aliqua poena a lege humana munitam et hinc turbamus ordinem socialem Ecclesiae, et consequenter incurrimus poenas legitime constitutas contra transgressores ad ordinem socialem laesum restaurandum (1).

(1) Hanc distinctionem inter delictum et peccatum innuit Divus Augustinus in canone 1 Distinct. 81; ibi: « Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, et quicumque ordinandus est ad

Ex hac distinctione inter delictum et peccatum, patet quomodo intelligi debeat illud principium iuris publici ecclesiastici « *Ecclesia non iudicat de occultis* » (1); idest de internis, uti eruitur ex subiecta materia. Scilicet Ecclesia non iudicat de internis, quatenus est societas externa, quia Ecclesia, qua talis, habet forum externum, in quo quod non apparet, non est; homines enim vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor. Sed propositum principium nullimode intelligi potest de potestate fori interni, qua Ecclesia iudicat de internis, idest de peccatis in foro interno seu sacramentali et conscientiae. Nec obiiciatur caput 13, X. *De iudiciis*, II, 1; in quo Innocentius III videtur asserere, posse Ecclesiam, qua societatem externam animadvertere in omnes qui graviter peccaverint: « Non enim (ita l. c.) intendimus iudicare de feudo... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus ». Ibi enim Innocentius III loquitur, non de simplici peccato, sed, *de quolibet criminali peccato*, et in casu de peccato connexo cum periurio. Agebatur enim in cit. cap. non solum de peccato iniustitiae a Philippo Rege Francorum adversus Regem Angliae commisso, sed de publica pacis perturbatione in magnum detrimentum Religionis, et de violatione iuramenti quo pacis foedera fuerant firmata.

Praedicta elementa diversimode requiruntur.

6. Ea omnia quae innuimus quoad elementa delicti constitutiva, fusiori sermone evolvenda sunt in titulo secundo. Heic vero animadvertendum est, quod *non eodem prorsus modo praedicta elementa requiruntur ad delictum constituendum*. Nam **dolus et damnum sociale sunt de essentia** *delicti*, ita ut si alterutrum desit ex his duobus elementis, delictum amplius ne concipi quidem possit: *sed praeria declaratio seu constitutio legis poenalis in iure ecclesiastico non ita absolute et taxative exigitur*,

---

praeposituram Ecclesiae, non ait: Si quis *sine peccato* est, (hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur:) sed ait: *Si quis sine crimine est*: sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et caetera huiusmodi ».

(1) Can. 11 Dist. 32: « De manifestis quidem loquimur: secretorum autem, et cognitor Deus, et iudex est »; vid. cap. 33, X, *De simonia*, V, 3.

ut si desit, delictum nunquam haberi queat (1). Nam violatio legis, si reapse sit societati noxia, adsit nempe scandalum, quamvis desit praevia legis constitutio, criminis notam et consequenter onus poenae effugere nequit. Hinc edicitur in can. 2222, § 1: « Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat » (2). Patet ex hucusque dictis quod tradita delicti notio est omnino vera et maxime accommodata iuri poenali ecclesiastico constituto, sed est aliena a iure criminali civili, in quo, iuxta principium hodie passim admissum in Codicibus poenalibus « *nullum crimen sine lege* », nullum haberi potest delictum sine praevia constitutione legis poenalis.

Quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti poenalis.

7. In § 2 huius canonis statuitur quod, nisi ex adiunctis aliud appareat, *quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti cui poenalis sanctio adnexa sit.* Ex can. 2220, qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere. Hinc animadvertitur quod, nisi ex adiunctis aliud appareat, ea omnia quae tradenda sunt de delictis, applicantur quoque violationibus praecepti, cui poenalis sanctio adnexa sit.

CAN. 2196. — *Qualitas* delicti desumenda est ex obiecto legis; *quantitas* vero dimetienda non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato.

De qualitate et quantitate delicti.

8. Obiectum legum poenalium sunt res seu bona pro quibus tutandis eaedem leges constitutae sunt. Prout igitur huiusmodi bona diversae sunt speciei, ita pariter et leges poenales pro diversitate bonorum pro quibus conditae sunt, in diversas species dividuntur. Hinc, uti videre est in Parte 3ª huius Libri, habentur delicta contra fidem, contra religionem, contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam et ita porro. Facile proinde intelligitur quod *qualitas delicti desumenda est ex ipso*

(1) Cfr. LATINI, l. c., pag. 71.

(2) Vid. praeclarissimum opus Card. LEGA, *Praelectiones in textum iuris canonici*, vol. 3, *De delictis et poenis* (Romae, 1910), num. 20; WERNZ, op. cit. n. 14.

legis poenalis obiecto. Quantitas vero delicti dimetienda est ex ipsis elementis quibus delictum constituitur. Quisque enim videt quod crescit vel minuitur gravitas delicti, prout crescit vel minuitur et moralis imputabilitas delinquentis, et perturbatio ordinis socialis laesi, necnon gravitas ipsius legis poenalis (1). Qualitas et quantitas delicti semper prae oculis haberi debent in poenis decernendis. Siquidem delictum, uti videbimus inferius (can. 2218), puniri debet a publica auctoritate, non pro eius arbitrio, sed pro mensura iuris laesi, ad normas iustitiae aeternas, idest graviori vel mitiori poena crimen compescendum est, pro maiori, vel minori *quantitate* ipsius criminis (2).

CAN. 2197. — Delictum est:

1° *Publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri;

2° *Notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam can. 1750:

Notio delicti occulti, publici et notorii.

3° *Notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit;

4° *Occultum* quod non est publicum; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter*, si eiusdem imputabilitas.

De delicto: *a*) publico vel occulto.

9. Publicitas dicit ordinem hac in re ad aliorum notitiam. Quando igitur *delictum a notitia aliorum remotum* est, *dicitur occultum; si vero aliis iam innotuerit,* vel in eo est ut innotescat, *publicum dicitur.* Notetur vero quod si delictum sciatur a paucis, qui neque divulgent delictum, neque divulgare aut alias probare intendant, tunc occultum dici potest. Unde scribit D'Annibale: « In summa, occultum accipere debemus quod adeo pauci et prudentes sciunt, ut reputari possit quasi nemo sciret: et quia res facti est, in aestimatione boni viri esse debet » (3). Et addit l. c. not. 50: « Proinde occultum dici nequit, quod sciunt paucissimi quidem, sed rimosis auribus ». Et Card. Lega

(1) Cfr. Decretum editum a S. C. de Religiosis d. 16 maii 1911, n. 9 ibi: « Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati ».

(2) Card. LEGA, l. c. n. 34; WERNZ, l. c. n. 27 et seq.

(3) D'ANNIBALE, *Summa Theolog. Moralis*, I, § 242, not. 49.

scribit: « Hinc non est occultum quando in oppido vel in civitate populosa iis personis innotescit quae aut plures numero sunt aut propositum habent divulgandi factum quod exinde iam publicum dici valet. Personarum vero magis quam numerus, *indoles et propositum* pensanda sunt » (1).

b) occulto materialiter vel formaliter.

10. Praeterea animadvertendum est quod *delictum potest esse occultum materialiter* vel *formaliter*. *Occultum materialiter* dicitur *quando ipsum factum* criminosum *latet; occultum vero formaliter* habetur *quando* factum notum est, sed *ignoratur dolus seu culpa quae facto forte cohaeret*. Ita ex. gr. si Titius clericum occiderit, et is credatur fato suo obiisse, factum erit materialiter occultum. Si scitur fuisse occisum a Titio, sed fertur is occidisse casu vel iustae defensionis causa, erit occultum formaliter (2). Ulterius quod olim fuit publicum, si postea obliteratum fuerit, pro occulto est, dummodo longum tempus effluxerit (3). Item delictum quamvis in uno loco sit publicum, in alio potest esse occultum, dummodo eius notitia non facile eo sit perventura. Amplius; si res deducta fuerit ad forum contentiosum, et reus fuerit absolutus vel definitive, vel tantum *ab instantia*, seu edicatur, modo *non esse locum instantiae*, delictum quasi occultum reputabitur; tametsi iniuste, vel ex falsis testibus, vel malis suis artibus reus absolutus fuerit (4). Denique omnino occultum dicitur delictum, quod in foro externo probari non potest.

11. Sed ulterius animadvertendum est quod *delictum potest esse publicum, sed non notorium*. Siquidem *notorium est*

(1) Card. Lega, l. c. num. 244.

(2) Doctores tradunt delictum esse occultum formaliter, quando factum quidem scitur, sed aut culpa quae facto, *aut poena quae culpae forte cohaeret*, ignoratur, V. D'Annib., l. c., § 242; Card. Lega, l. c. num. 112, not. 1; Wernz, l. c. num. 17. Hinc si ignoretur homicidam fieri irregularem, homicidium erit occultum formaliter.

(3) *Longum* vero *tempus* esse aiunt, si res est de dispensando impedimento matrimoniali, decem, si de irregularitatibus, viginti annorum spatium. D'Annib., l. c. not. 56.

(4) Conc. Trid., sess. XIV, de ref., c. 7; S. C. Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.), 29 apr. 1784; instr. 20 oct. 1884, n. 7; Bened. XIV, *Instit.* 87, nn. 40, 45; D'Annib. I, § 242; Card. Lega l. c. n. 131, not. 1, et num. 244; Wernz, l. c. n. 17.

species publici, et notorietas aliquid addit publicitati seu divulgationi delicti. Dum enim publicitas dicit ordinem ad aliorum notitiam, idest ad cognoscendum delictum, quatenus est factum, notorietas addit hoc, ut factum publice cognoscatur *qua est delictum.* Quare delictum dicitur *notorium, quando factum est publicum qua est delictum*, et ita certa est moralis imputabilitas delinquentis, ut nulla possit tergiversatione celari. Hinc ex. gr. homicidium patratum coram pluribus personis, si dubitetur an casu patratum fuerit, vel ex iusta defensione, est publicum, minime vero notorium; sed si nullimode dubitari queat de prava et iniusta delinquentis voluntate, ita ut nulla possit tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari, homicidium est notorium. Et notetur quod *haec notorietas* delicti sensu explanato *inniti potest vel ipsa evidentia rei,* idest in talibus adiunctis patratum fuit delictum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit; *vel profluit, aut ex confessione delinquentis* in iudicio facta, ad normam canonis 1750 [1], *vel ex sententia* iudicis competentis *quae in rem iudicatam transierit* [2], quaeque proinde praesumptione iuris et de iure pro veritate habetur [3]. In primo casu delictum dicitur *notorium notorietate facti, in secundo vero casu dicitur notorium notorietate iuris.*

c) notorio notorietate facti vel iuris.

[1] Can. 1750 : « Assertio de aliquo facto, in scriptis aut oretenus ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, dicitur confessio iudicialis ».

[2] Can. 1902 : « *Res iudicata* habetur : 1° Duplici sententia conformi ; 2° Sententia intra utile tempus non appellata : aut quae, licet appellata coram iudice *a quo*, deserta fuit coram iudice *ad quem*. 3° Sententia definitiva a qua non datur appellatio ad normam can. 1880 ».

[3] Can. 1904, § 1. « *Res iudicata* praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest ».

CAN. 2198. — Delictum quod unice laedit Ecclesiae legem, *natura sua*, *sola* ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum iudicaverit, auxilio brachii saecularis; delictum quod unice laedit legem societatis civilis, iure proprio salvo praescripto can. 120, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia, sit in illud competens *ratione peccati*; delictum quod laedit utriusque societatis legem, *ab utraque potestate* puniri potest.

Competentia societatis ecclesiasticae et civilis in criminibus coercendis.

12. Delictum consistit, uti vidimus supra, in externa et moraliter imputabili violatione legis poenalis. Sed leges poenales aliae ab auctoritate ecclesiastica, aliae vero ab auctoritate civili conditae sunt. Unaquaeque enim societas, ecclesiastica et civilis, pro diverso fine quem unaquaeque persequitur, suas condit leges easque munit congruis poenis. Iamvero ipsa ratio dictat et suadet, ut illa auctoritas quae leges tulit, ipsamet curet observantiam suarum legum, puniatque earumdem legum transgressiones. Quapropter *eodem iure quo competit Ecclesiae*, utpote societati iuridice perfectae, *potestas condendi leges*, quibus christianorum mores diriguntur, *competit pariter potestas iudiciaria et coactiva* [1]. Competit potestas iudiciaria, quia haud satis est condere leges ad obtinendum rectum regimen perfectae cuiusvis societatis, sed requiritur etiam *potestas iudiciaria*, qua leges editae applicari possint. *Competit pariter et potestas coactiva*, quia foret inutile iudicium, si iudex vim non haberet exsequendi iudicatum; et vacuum et inefficax esset leges condere sententiasque proferre, nisi propositis poenis effici possit, ut leges conditae observentur improbique homines in officio contineantur. Hinc facile quisque videt, quod *delicta mere ecclesiastica*, quae nempe *unice* laedunt Ecclesiae leges, *soli ecclesiasticae auctoritati reservantur*, delicta *mere civilia*, quae unice laedunt leges societatis civilis, iure proprio, a potestate civili punienda sunt.

Delicta obnoxia:
a) soli auctoritati ecclesiasticae

Additur in eodem canone quod *delicta mere ecclesiastica*, *natura sua* **sola** *ecclesiastica auctoritas persequitur*. Siquidem nonnisi Ecclesia, *iure proprio et exclusivo*, cognoscere potest violationes legum quas ipsa tulit; ideoque iudex laicus de iis-

[1] Devoti. *Instit. can.* lib. 3, tit. 1, § 3 scribit: « iudiciaria potestas, non cuiusquam hominis beneficio data est Ecclesiae, sed penitus *affixa* atque *insita est in potestate condendi leges*, in imperio atque in iurisdictione, quam Christus in eam contulit ».

dem neque licite neque valide cognoscere potest, quia iurisdictione caret. Soli enim Petro eiusque successoribus, minime vero laicis et principibus saecularibus, concessit Christus Dominus potestatem spiritualem (1); ac proinde sicut nonnisi Ecclesia potest ferre leges *iure proprio et exclusivo quoad res spirituales et spiritualibus adnexas, ita pariter ipsa sola violationes earumdem legum persequi potest.* « Nullo modo nobis licet (ita Basilius imperator in VIII oecumenica Synodo) de ecclesiasticis causis sermonem habere : hoc enim investigare et quaerere Patriarcharum est, Pontificum et Sacerdotum, qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus » (2).

Praeterea legitur in canone quod Ecclesia potest interdum, si necessarium vel opportunum iudicaverit, requirere auxilium brachii saecularis. Et planum est; aliquando enim ad contundendam delinquentium contumaciam requiritur auxilium brachii saecularis. Cumque Ecclesia ius habeat compescendi contumaces, mediis polleat oportet ad id ordinatis. Etenim : « *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio ex-*

(1) MATTH. XVI, IOANN., XXI.

(2) OSIUS Episcopus Cordubensis apud ATHANASIUM in *histor. Asianor. ad Monachos* n. 44, tom. 1, pars 1, pag. 293 ed. Patavin. 1778 : « Tibi Deus (inquit ad Constantium Imperatorem) imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit contradicit ordinationi *divinae, ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens* **magno crimini obnoxius fias** ». HILARIUS Episcopus PICTAVIENSIS ad eundem Imperatorem Constantium lib. 1, n. 1, opp. tom. 2 col. 555 edit. Veron. 1740 : « Provideat, et decernat clementia tua (inquit) ut omnes se ubique iudices, quibus provinciarum administrationes creditae sunt, ad quos **sola** *cura et solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet*, **a religiosa se abstineant**, neque posthac praesumant atque usurpent et putent se causas cognoscere clericorum ». Ioannes VIII in can. XI Dist. 96 scribit : « Si Imperator catholicus est... filius est non Praesul Ecclesiae; quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi Potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiae suae Sacerdotibus voluit esse subiectas ». Vid. etiam cap. 17, X, *De iudiciis*, (II-1); Conc. Trid. sess. 25, cap. 3 De Ref.; - Constitut. *Quanta cura* ed. die 8 Dec. 1864 qua Pius IX damnavit propositionem 41 Syllabi et 31.

plicari non potest » (1). Apostolus disertissime testatur de huiusmodi mediis sibi et aliis Ecclesiae Pastoribus a Christo impertitis. Scribit enim *in ep. II ad Corinth.* cap. 20 v. 6 : « Habentes in promptu ulcisci omnem inobedientiam ex potestate quam dedit nobis Dominus ». Quamvis igitur apud tribunalia ecclesiastica non adsint milites quibus stipantur laica tribunalia, hoc non impedit quominus Ecclesia interdum requirat auxilium brachii saecularis, si ipsum iudicaverit necessarium vel opportunum ad aliquam sententiam exsecutioni demandandam (2).

13. Quod spectat vero ad *delicta mere civilia*, statuitur, haec suapte natura esse *obnoxia societati civili, salvo praescripto can. 120.* Etenim : « Clerici (ita in praedicto can. 120) in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit ». Et etiam in can. 1553 § 1, edicitur : « Ecclesia *iure proprio et exclusivo* cognoscit :... 3° De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680 ». Praeterea animadvertitur, Ecclesiam esse competentem in praedicta crimina civilia *ratione peccati*. Legitur enim in eodem can. : « *licet* etiam Ecclesia sit in illud competens *ratione peccati* ». Scribit ad rem cl. Devoti : « crimina, quorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, subsunt Ecclesiae iudicio propter peccatum : *et hoc quidem iudicium exercet Ecclesia in foro poenitentiae* » (3).

b) soli auctoritati civili

14. Denique praeter delicta mere ecclesiastica, quae unice foro ecclesiastico sunt reservata, et delicta mere civilia, quorum coercitio spectat ad auctoritatem civilem, habentur *delicta mixta*,

c) utrique auctoritati.

(1) Leg. 2 ff. *de iurisd. omnium iudic.*

(2) Hinc Paulus Samosatenus de Episcopatu dimotus, atque ab Ecclesia electus, cum audacter et pertinaciter restitisset sententiae depositionis, Christiani Antistites obtinuerunt ab Aureliano Imperatore ethnico ut per vim eum expelleret e domo episcopali. Ex Eusebio, *Histor. eccl.* lib. 7, cap. 30, pag. 364, edit. Valesii Cantabrig. 1720 : Vid. Conc. Trid. sess. XXV De Regularibus et Monialibus, cap. 5 ubi Sancta Synodus hortatur omnes Christianos principes, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit ut huiusmodi auxilium praebeatur.

(3) Devoti l. c. l. 3, tit. 2, § 2 ; cfr. Card. Lega l. c. num. 52 ; vid. etiam can. 1553.

quae simul et societatem religiosam laedunt, et societati civili damnum atque iniuriam *inferunt*. Huiusmodi crimina uti, *homicidium, adulterium, incestum, periurium, sacrilegium, blasphemia* et caetera similia, directe sed sub diverso respectu, *subsunt potestati civili et ecclesiasticae*, et ab utraque auctoritate prohibentur atque puniuntur (1).

Prae oculis hac in re haberi debet canon 1933, § 3, ubi legitur: « In delictis mixti fori Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit ».

Hisce adnotatis placet heic referre id quod optime scribit ad rem cl. Aichner l. c. § 216 n. 1; « Spectata fori competentia, triplicis generis crimina distinguuntur, mere ecclesiastica, civilia et mixta. *Ecclesiastica* sunt, per quae lex ecclesiae dumtaxat violatur, *civilia*, quae legibus civilibus repugnant, *mixta* (seu mixti fori) quae utriusque legibus adversantur. Ecclesiastica Ecclesiae, civilia civitatis castigationi obnoxia sunt; at posteriora, in quantum iis inest ratio peccati, etiam ad forum ecclesiasticum, sed internum tantum, pertinent. Crimina mixta per se tum ecclesiae tum civitatis coercitioni subsunt, quoniam utriusque violant iura, ita, ut ecclesia poenas sumere debeat de iis, quae religionem, civitas vero de iis, quae illatam reipublicae iniuriam respiciunt. At ne reus unius criminis duplex iudicium vel duplicem poenam sustinere cogatur, hae causae mixtae vel a tribunalibus mixtis vel per praeventionem ab alterutro iudice, sive laico sive ecclesiastico definiri debent, prout unum vel alterum inter duas supremas auctoritates conventum est ».

1) Conc. Trid. sess. XXIV de reform. matrim. cap. 8; ibi concubinatus gravissimis poenis mulctatur; vid. can 2357, § 2.

TITULUS II.

De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus.

CAN. 2199. — Imputabilitas delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae : quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem.

Ratio imputabilitatis delicti oritur ex dolo vel ex culpa.

CAN. 2200. — § 1. Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis.

§ 2. Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur.

15. *Radix et fundamentum moralis imputabilitatis delicti est dolus delinquentis vel eiusdem culpa.* Ideo nempe aliquod delictum tribuimus alicui, uti effectum propriae causae morali, idest scienter ac libere agenti, quia ex dolo vel ex culpa legem violavit. Dolus in criminalibus (1) communiter definitur : *Deliberata voluntas delinquendi seu violandi legem.* Sed quia voluntas necessario supponit intellectum iuxta illud. « *Nihil volitum quin praecognitum* », hinc *ad dolum constituendum requiritur simul intellectus et voluntatis concursus ; intellectus*, quo actus eliciendi a rationis ordine discrepantia cognoscitur ; *et voluntatis*, qua, huiusmodi discrepantia non obstante, actus perficitur. Deficiente igitur intellectu, seu cognitione malitiae actus, et libera voluntatis determinatione, dolus consistere nequit ; et consequenter deficiente ratione doli, delictum haberi nequit, quia deest unum ex elementis essentiam delicti constituentibus.

Elementa constitutiva doli.

16. Sed, iuxta canonem transcriptum, *etiam violatio legis quae provenit ex culpa, moraliter imputatur auctori suo*, idest etiam ex culpa delinquentis pendet imputabilitas delicti. Iuverit

Culpa in re criminali etiam poenis muletatur.

(1) In civilibus Iurisconsulti Romani distinguebant dolum bonum a dolo malo. Bonum dixerunt : solertiam adhibitam ad fraudes malasque artes aliorum eludendas, et ad se resque suas vel alienas tuendas, maxime adversus hostes et latrones ; l. 1, § 3 ff. *De dolo malo*. Dolum malum ita definiverunt : Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, laedendum alterum adhibita : ex l. 1, § 2, ff. *de dolo malo*.

proinde culpae conceptum breviter declarare. Culpa consistit *in voluntaria et hinc imputabili omissione debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile secuturis ex aliquo facto* (1).

Diximus — *debitae diligentiae* — quia quisque tenetur uti quadam communi diligentia ab omnibus adhiberi solita ; ac proinde si quis hanc debitam diligentiam omittens, legem violet ac damnum inferat, merito poenis percellitur, quia reus est culpae (2). Et haec notio culpae se refert etiam ad obligationes civiles, sed diversos habet effectus. Nam culpa civilis obligat tantumdem ad praestandum id quod interest, pro mensura iuris laesi, arg. cap. un. X, De commodato. (III-15), et *cap. IX, X, De iniuriis et damno dato* (V. 36) (3) ; sed *in re criminali* culpa etiam poenis mulctatur (4).

Causae aggravantes, excusantes, iustificantes.

17. Uti iam vidimus supra, moralis imputabilitas delicti pendet ex dolo vel ex culpa ; dolus vero ex intellectus et voluntatis concursu in suo esse consistit. Consequenter illae omnes causae quae augent, minuunt, tollunt cognitionem intellectus et liberam voluntatis determinationem, eo ipso augent, minuunt, tollunt pro casuum varietate rationem doli aut culpae et hinc moralis imputabilitatis delicti. *Causae quae augent dolum* dicuntur *aggravantes* (v. can. 2206 et 2207) ; *causae* vero *quae plus minusve dolum* ideoque et moralem imputabilitatem *imminuunt*, dicuntur *excusantes* (c. 2201-2204-2206 etc. ; denique *causae quae tollunt dolum aut culpam* et consequenter moralem imputabilitatem extinguunt, dicuntur *iustificantes:* (can. 2201-2202-2205 etc.).

Violata lege, dolus praesumitur.

18. Hisce adnotatis, facile intelligitur can. 2199, ac etiam

(1) Cf. CARRARA, *Programma del corso di diritto penale*, § 80.

(2) Qui rem agit sibi non propriam, ob imperitiam culpae reus est, l. 36 ff. *De reg. iuris ;* ibi : « *Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti* » ; et in cap. 19 De reg. iuris in VI° legitur : « *Non est sine culpa qui rei quae ad eum non pertinet, se immiscet* ».

(3) In cit. cap. IX De iniur. et d. legitur : « Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt : iure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere vel iacturam... ».

(4) In re morali, uti advertit l. c. n. 45, n. 2, Card. LEGA, Theologi loquuntur de culpa *theologica*, et ipsis culpa *peccatum est*.

perspicuus evadit can. 2200, quo tradita notione doli, animadvertitur dolo opponi ex parte intellectus defectum cognitionis, et ex parte voluntatis defectum libertatis. Denique in can. 2200, § 2 statuitur quod, *posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur*, donec contrarium probetur. Et planum est; quisque enim praesumitur sanae mentis, donec contrarium probetur: hinc violatio legis praesumitur volita, ideoque dolosa, donec contrarium demonstretur (1).

In canonibus sequentibus exponuntur causae quae augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem, quarum aliae afficiunt voluntatem et intellectum simul, velut amentia, ebrietas, defectus aetatis, et generatim affectiones seu morbi qui auferunt aut perturbant congruam rerum perceptionem et appetitionem; aliae vero afficiunt intellectum, uti ignorantia et error; aliae denique suapte natura attingunt voluntatem, et sunt vis, metus, nec non aestus internarum affectionum seu cupiditatum. Antequam tamen declaremus canones in quibus haec omnia exponuntur, praestat ut absolvamus interpretationem canonis 2203, quo edicitur:

Violatio legis ex culpa.

CAN. 2203. — § 1. Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti iudice ex adiunctis determinando; quod si rem praeviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo.

§ 2. Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit.

19. *Violatio legis* quae provenit ex defectu necessarii consilii in agendo seu *ex culpa, maxime differt a violatione legis* quae provenit *ex dolo* idest ex deliberata voluntate violandi legem.

mitius punitur quam violatio ex dolo.

Aliter enim delinquit qui sciens volens legem transgreditur, aliter vero qui legem violat ex omissione debitae diligentiae. Hinc a Doctoribus culposa legis violatio dicitur *quasi delictum*, quod definiri solet: *factum inconsultum, quo alteri nocetur iniuste.* Eapropter *culposa legis violatio* seu quasi-delictum, *merito percellitur mitioribus poenis quam delictum*, quia deest in hac vio-

(1) C. 46, 47, D. 50; c. 12. C. I, q. 4; c. 13, C. 15, q. 1; cap. I, X, *de praesumptionibus*, 11, 23; cap. 4, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39. Vid. can. 16.

latione legis propositum delinquendi seu deliberata voluntas violandi legem (1). Hinc sapienter in canone transcripto statutum est: « Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, *imputabilitas minuitur* pro modo a prudenti iudice ex adiunctis determinando ».

20. Deinde additur: « quod si rem praeviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo ». Uti sequitur ex dictis de culpa, proprium est illius qui violat legem ex omissione debitae diligentiae, *ut non praevideat* damnum ex certa actione facile secuturum. Hoc probatur ex ipso conceptu culpae, quae consistit in *voluntaria omissione debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile secuturis ex aliquo facto*. Et ideo DD. docent quod elementa necessaria quasi delicti sunt: *effectus noxius, non praevisus, sed qui praevideri poterat et debebat* (2). Et praecise in hoc differunt praecipue delictum et quasi delictum: idest in delicto effectus noxius fuit praevisus, dum e contra in quasi delicto effectus noxius poterat imo debebat praevideri, sed tamen ex negligentia non fuit praevisus. Patet igitur quod si quis damnum praeviderit, quin ipsum vitare studuerit, culpa est proxima dolo, et tunc habetur magis delictum quam quasi delictum.

Culpa proxima dolo.

21. Utrum vero quis rem praeviderit necne, desumitur ex diverso gradu negligentiae seu culpae, quae dividitur in *latam, levem et levissimam. Culpa dicitur lata* quando quis non utitur *diligentia communi, seu ab omnibus adhiberi solita*. Et haec est culpa quae (uti legitur in canone) *est proxima dolo*, et dolo aequiparatur, unde regula: *Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est*, ex l. 7 ff. Ad L. Corn. de Sicariis. *Culpa levis* habetur quando quis non utitur diligentia, quam *viri diligentes* adhibere solent, et in hac praecise consistit malitia quasi delicti. *Culpa levissima* habetur quum quis non adhibet diligentiam,

Culpa lata, levis, levissima.

(1) Card. LEGA l. c. n. 44 scribit ad rem: « Attamen minore reprobatione percelluntur ista facinora quia deest deliberatum propositum delinquendi: unde appellata sunt *quasi-delicta*, seu *quasi maleficia*. Attamen in *quasi-delicto* adsunt elementa constitutiva delicti, nempe damnum *mediatum*, et aliqualis *dolus*, quatenus *culpa* aequiparatur *dolo* »; cf. WERNZ, l. c. n. 23.

(2) Card. LEGA, l. c. num. 44.

qua *diligentissimi* viri utuntur; et haec imputari non solet neque ad refectionem damnorum, neque ad poenam (1). Patet proinde ex dictis, quod si ex adiunctis constiterit damnum fuisse illatum ex *culpa lata*, damnum in foro externo et iudiciali censetur praevisum, et tunc habetur, uti diximus, magis delictum, quam quasi-delictum, censetur nempe lex violata ex dolo, quia culpa lata dolus est.

22. Denique animadvertendum est, quod sicut vis opponitur dolo (can. 2200. § 1) idest aufert dolum et hinc delicti imputabilitatem, ita pariter culpae opponitur casus, idest *casus aufert imputabilitatem culpae*. Et re quidem vera ratio moralis imputabilitatis in quasi-delicto tota consistit in damno quod alteri infertur *inconsulte*, seu ex defectu necessarii consilii; ideoque praevideri poterat et debebat. Sed damnum *casu fortuito illatum* praevideri non potest, nam *casus* est: *Eventus qui praevideri non potuit vel cui praeviso non potuit occurri* (2). Ergo iure meritoque constitutum est in hoc can. § 2. « Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit » (3).

Casus fortuitus excludit imputabilitatem culpae.

Acriter inter Doctores controvertitur utrum casus cum culpa coniunctus esse possit quod ad moralem imputationem. Ita ex. gr. si quis dans operam rei illicitae, ut ecce clericus vacans venationi ei prohibitae, si casu hominem occiderit, tenetur hic de homicidio? Et negative respondendum videtur, quia eventus prorsus fortuitus nullimode praevideri potest, nec proinde moraliter imputari (4).

Hisce omnibus praemissis nunc declarandos assumimus singulos canones in quibus exponuntur causae quae aut intellectum, aut voluntatem, aut intellectum simul et voluntatem attingunt. Sit igitur

(1) Card. Lega, l. c. ibi in not. « Sed in re civili praestatio culpae levissimae in pactum deduci potest; vel aliquando expostulatur ab ipsa subiecta materia ».

(2) Ex leg. 16, § 1 ff. *Loc. et conduc.*

(3) Cap. 2, X, *De constitutionibus* (1-2), ibi: « Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit ».

(4) Cf. Suarez, *De Cens.* Disp. 45, Sect. 5, n. 3; Card. Lega, l. c. n. 46; Wernz, l. c. n. 23.

De imputabilitate delicti ex amentia vel ebrietate, vel debilitate commissi.

CAN. 2201. — § 1. Delicti sunt incapaces qui actu carent usu rationis.

§ 2. Habitualiter amentes, licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur.

§ 3. Delictum in ebrietate voluntaria commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit; violata autem lege in ebrietate involuntaria, imputabilitas exsulat omnino, si ebrietas usum rationis adimat ex toto; minuitur, si ex parte tantum. Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus.

§ 4. Debilitas mentis delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino.

23. In § 1 huius canonis generale constituitur principium, quod prono alveo fluit ex iis quae supra declaravimus de natura delicti. Edicitur nempe quod *illi qui actu carent usu rationis, sunt incapaces delicti*. Et planum est; nam delictum haberi nequit sine dolo; dolus autem sine intellectu et voluntate consistere nequit: consequenter qui actu non habent mentis iudicium et liberam idearum moderandarum facultatem, delicti sunt incapaces. Hinc infantes qui nondum expleverunt septennium, amentes, furiosi etc., etsi leges violent, delinquere non censentur, neque proinde poenas incurrunt (1).

a) ex amentia.

24. Edicitur in § 2 quod *habitualiter amentes, etsi lucida intervalla habeant, delicti incapaces praesumuntur. Amentia* definiri potest: *mentis carentia*, et est generalis vel partialis, prout quoad omnem vel quoad aliquam seriem idearum lumen mentis extinguit vel obumbrat. *Amentia partialis* seu *dementia* communiter dici solet *monomania*, quia uti vocabulum ipsum significat, demens non quoad omnia insanit, sed tantum quoad certum rerum genus (2). Insuper *amentia sive generalis sive par-*

(1) Cfr. BARBOSA, *De delictis puerorum*, cap. 2, n. 2. Sed a lege *mere prohibitiva* quoad universam societatem, qualis est *interdictum generale*, dicuntur ligari etiam infantes; probat BONACINA, *De Censuris* disp. 1, q. 1, p. 4, n. 9; cfr. THESAUR., *De poenis ecclesiasticis*, cap. 17; Card. LEGA, l. c. n. 37, 3.

(2) D'ANNIBALE, l. c. § 31, not. 18 scribit: «Quidam hodierni psychiatrici dementiae et amentiae eamdem vim esse contendunt, rati nunquam ex parte dumtaxat laedi organum virtutis imaginativae. Quod si verum est, amens nihil agit nec momentis quibus sapit. Amplius; alii nec ignobiles nec irreligiosi novam detexerunt monomaniae speciem, quae in voluntatem, cum

tialis potest esse perfecta vel imperfecta prout penitus vel plus minusve lumen mentis extinguit. Hisce praehabitis, haec tenenda sunt quoad amentiam vel dementiam :

1. Regula iuris certa est, neminem praesumi amentem vel dementem, sed contrarium aestimari, donec hic status anormalis probetur. Ex adverso qui habitualiter est amens vel demens, praesumitur semper insanire, nisi contrarium evidenter probetur (1).

2. Hinc si amens vel demens habeat lucida intervalla, et ita agat vel loquatur, perinde ac sanus evaserit: si in his intervallis delinquat, punitio vix aut ne vix quidem locum habebit, dummodo intervalla sint brevia (2). Codices hodierni iure merito recognoscunt lucida intervalla non esse sufficiens indicium mentis sanae, et hinc causam plenae imputationis, saltem quoad aliquem actum (3).

3. Si dubitetur an quis sanae mentis fuerit in patranda legis violatione, quaestio a prudenti iudice ex adiunctis definienda est, adhibitis ad normam can. 1792, viris peritis, quorum tamen iudicium iudex ex praescripto can. 1804 haud necessario sequi tenetur.

primis, imo ut nonnulli ex eis putant, dumtaxat, vim exerit suam; quam quia animi aegritudinem parit, *lipemaniam* vocant. Haec, mente quidem integra, adeo voluntatem enervat, debilitat ut pene enecet; nam qui ea laborat non potest id quod vult nolle, aut id velle quod non vult, licet probe intelligat se rem noxiam, vel illicitam facere. Quorum primum salvis moribus, vix; alterum, salva fide, ne vix quidem admitti posse videtur. Nolumus abduci doctrinis variis et peregrinis ». Et merito quidem, haud admitti potest, ut, integro manente intellectu, sola voluntas vi morbi deficiat; nam repugnat quod voluntas, cum sit potentia spiritualis, nata sequi iudicium rationis, vi morbi physici, ita possit infirmari, ut contra propriam naturam, amplius non sit vis electiva eorum, qua ab intellectu, normali modo, uti supponitur, proponuntur. Unde sicut nequit esse voluntas in iis quae intellectu carent, ita eam esse tenendum est in iis quae sunt intellectu praedita. Ubi intellectus ibi voluntas et viceversa. — De hoc commentitio morbo, voluntatem tantum afficiente, incolumi intellectu, appellato etiam *abulia* vel *anenergia* disserit: Ribot, *Les maladies de la volonté*.

(1) Card. Lega, l. c. n. 38.

(2) D'Annibale, l. c. § 31, not. 17.

(3) Cf. Maudon, *Histoire critique de la folie*. Paris, 1862; Hittermaier, *De alienationibus mentis*, Hedelbeg, 1825; Verga, *Se e come si possa definire la pazzia*. Milano, 1874. (Card. Lega n. 38, not. 1).

4. *Amentia perfecta* sive generalis sive partialis, *est causa iustificans* (1), *imperfecta est plus minusve causa excusans.* Etenim sine mentis sano iudicio dolus ne concipi quidem potest, ideoque amens vel demens sunt incapaces delinquendi, amens quoad qualecumque obiectum, demens quoad rem in quam insanit (2).

b) ex debilitate mentis.

25. Quae dicta sunt de amentia et dementia, servatis servandis, dicenda pariter sunt de debilitate mentis, quae tamen, uti legitur in § 4 huius canonis: *delicti imputabilitatem minuit sed non tollit omnino;* et planum est.

26. Nunc postquam disseruimus de mentis perturbatione, quae est a natura vel a morbo, superest ut dicamus nonnulla de illa temporanea perturbatione mentalium facultatum, quae provenit ex ebrietate. Iamvero ebrietas (uti docet Card. Lega, l. c, n. 41) potest considerari quatenus est aliquod factum *moraliter* et *socialiter* reprobandum; vel quatenus est status animi impellens ad agendum et influens in moralitatem actionum aut omissionum. Sub primo aspectu in re canonica ebrietas est crimen potissimum in clerico. Sub secundo aspectu ebrietas consideratur quatenus, ob superexcitatam phantasiae vim, ebrius patrat facinora quae pacato animo non perfecisset, aut ea omittit facere quae profecto haud praetermisisset. Praestat igitur videre, an et quomodo puniendus sit ille qui legem violat in statu ebrietatis. Ut rite satisfaciamus propositae quaestioni, distingui debet prae primis *ebrietas perfecta*, quae impedit omnino usum facultatis intellectivae, *ab ebrietate imperfecta*, quae extenuat et debilitat eiusdem facultatis vim. Praeterea ebrietas sive perfecta sive imperfecta subdividitur in voluntariam et involuntariam, idest accidentalem seu casualem. Ac denique ebrietas voluntaria est vel simpliciter talis, vel habitualis, vel affectata, scilicet ex

c) ex ebrietate.

(1) Demens, in foro conscientiae, aequiparatur amenti in his quae ad dementiam ipsius pertinent. D'Annibale, l. c.; Sanchez, *De Matrim.* Lib. 1, Disp. VIII,n. 22.

(2) D'Annibale, l. c. 1, § 31: « Amens per omnia et in omnibus dormientis loco habetur: ideo, quidquid faciat, nihil agit ». Cfr. c. un. *de homicidio voluntario vel casuali,* V, 4, in Clem. ibi: « Si furiosus, aut infans, *seu dormiens,* hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit ».

studio quaesita ad delictum patrandum vel excusandum. Hisce omnibus declaratis dicimus:

a) *Ebrietas perfecta, si* accidentalis fuerit seu *involuntaria*, *omnem imputabilitatis rationem excludit* ex parte intellectus.

Si vero ebrietas fuerit *voluntaria*, sed non affectata, *excludit dolum*, *non autem culpam*, quae maior erit si ebrietas *sit habitualis*, minor si voluntaria simpliciter.

b) *Ebrietas imperfecta imputabilitatem actus excludere penitus non potest*, quia, uti legitur in ipso canone, non adimit usum rationis ex toto, sed ex parte tantum. *Attamen*, dummodo non fuerit affectata, *excusationis causam* ex capite voluntatis *constituit*, et quidem maiorem vel minorem, prout ebrietas fuerit voluntaria simpliciter aut accidentalis seu casualis vel habitualis.

c) Ebrietas *affectata*, idest ex industria quaesita ad facilius aut audacius delinquendum, sive perfecta sive imperfecta, *nullam iustificationis vel excusationis causam praebere potest*, immo non immerito, inter circumstantias aggravantes referenda est.

Tandem, uti animadvertitur in ipso can. (§ 3), ea omnia quae de ebrietate constituta sunt, intelligi quoque debent de aliis similibus mentis perturbationibus.

De imputabilitate delicti ex ignorantia, vel ex inadvertentia et errore.

CAN. 2202. — § 1. *Violatio legis ignoratae* nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate.

§ 2. Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit.

§ 3. Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore.

1) ex inadvertentia et errore.

27. Ignorantia et error maxime differunt inter se; nam *ignorantia est «carentia notitiae de aliqua re»*, nempe de re quam quis scire potuit ac debuit (1); dum *error* est *falsa no-*

(1) D'Annibale, l. c., § 132, not. 37; D. Thom., I, 2, 76, 3. «*Potuit*; ideo in infantibus, fatuis etc., non ignorantia, sed nescientia intelligitur. *Debuit*; quis enim dixerit, v. gr. ignorantia laborare medicum vel parochum, quia ille nescit quomodo infirmis danda sit absolutio; hic quemadmodum febris sit depellenda? »

titia rei. Unde qui ignorat, nullam rei ideam habet; sed qui errat, habet falsam rei ideam. Attamen indiscriminatim unum et aliud vocabulum assumitur ad significandum quemcumque defectum cognitionis alicuius rei. Hinc iure meritoque in § 3 huius canonis edicitur, quod ea *omnia quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore;* nam tandem aliquando idem est effectus in casu, scilicet sive ille qui ignorat, sive ille qui errat non cognoscunt rem prout ipsa revera est. Additur in praedicta § 3 — *valent quoque de inadvertentia* — nam etsi quis non ignoret, si in praesens non animadvertat, idem iuris est. Siquidem nihil potest esse hic et nunc volitum, nisi voluntati, quae non fertur in ea quae ei non apparent, scitum sit hic et nunc; veluti si quis die esuriali, non recordatus esurialem diem esse, comedat carnes ([1]).

28. Hisce adnotatis, nunc animadvertendum est, quod *ignorantia potest esse* vel *facti*, vel *iuris*, vel *poenae. Ignorantia facti habetur* quando quis fallitur quoad obiectum seu terminum suae actionis; veluti si quis percutiat clericum, laicum putans. Et haec ignorantia, *dummodo probetur*, excusat a poena, quia excludit dolum seu propositum delinquendi ([2]). Excipiuntur poenae improprie dictae, uti irregularitates; can. 988. Diximus — *dummodo probetur* — quia in foro externo quod non apparet, non est. Hinc ut ignorantia excuset a poenis, legitime probanda est, nisi praesumatur a iure. Iamvero in can. 16, § 2 edicitur: « Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur: circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur ».

2) ex ignorantia: *a*) facti.

b) legis.

29. *Ignorantia iuris seu legis poenalis habetur* quando quis falso arbitretur vel legem non adesse, vel aliquam actionem non prohiberi. Haec ignorantia legis poenalis alia est *invincibi-*

([1]) D'ANNIBALE, l. c., § 147, not. 24 et § 312 ibi: « Quoties autem excusat ignorantia, inadvertentiam quoque et oblivionem excusare, ex alias dictis palam est; §§ 147, 24 et 132, 46 ».

([2]) Cap. 4, X, *De sententia excommunicationis*, V, 39, ibi: « Si vero aliquis in clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui, *nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignoraverit* ». V. can. 2, Dist. 82.

lis sive *physice*, si nullo modo vinci possit, sive *moraliter*, si adhibita morali diligentia tolli nequeat: alia vero *vincibilis*, quae nempe provenit ex negligenti usu facultatis intellectivae. Iamvero *ignorantia invincibilis seu inculpabilis, excludit et dolum et etiam culpam,* et consequenter omnem imputabilitatem. Ignorantia *vincibilis*, uti patet ex dictis, *excludit dolum*, *minime vero culpam,* et consequenter imputatur ad poenam, quae maior erit vel minor, prout ipsa culpa gravior erit vel levior. Hinc legitur in can. § 1 « *secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate* » (1). Gravitas culpae desumitur ex defectu diligentiae quam adhibere quis debuisset ad ipsam legem cognoscendam. Animadvertendum vero est quod nemo censetur ignorare legem, ac proinde ignorantia legis non praesumitur; ut igitur ignorantia in foro externo (2) excuset, sufficienter demostranda est.

30. Denique *ignorantia solius poenae*, uti legitur in § 2 huius canonis, *non tollit imputabilitatem delicti, sed aliquantum minuit. Non tollit imputabilitatem delicti,* quia etsi non cognoscatur specifica poena qua mulctatur illa violatio legis, tamen sufficit ad propositum delinquendi cognoscere legem aliquid prohibentem; etenim implicite cognitio poenae subest; quia huiusmodi leges sine sanctione fere nunquam reperiuntur. c) poenae.

Minuit aliquantum delicti imputabilitatem, quia quamvis in cognitione legis poenalis subsit implicite cognitio poenae, tamen, uti quisque facile videt, in illo qui violat legem, quin cognoscat ipsius poenam, minor est dolus (et hinc imputabilitas) quam in illo qui perspectam habens et legem et poenam, sciens volens legem violat. Etenim poena quae firmat ac corroborat legem poenalem, quo melius cognoscitur, eo magis deterret a violatione ipsius legis; proindeque maior est perversitas voluntatis illius, qui, non obstante cognitione poenae, legem sciens volens contemnit.

(1) Cap. 2, X, *De constitutionibus* (I, 2); cap. 9, X, *De iniuriis et damno dato* (V, 36); ibi: « Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere vel iacturam »; cap. 2, *de constitutionibus* (I, 2) in VI; Conc. Trident., sess. XXIV, de reform. matrim., c. 5.

(2) Quia in hoc foro res tunc fieri dicuntur, cum innotescunt, idest cum probatae fuerint. D'Annibale, l. c. § 25, not. 16.

Et haec satis esse possunt ad hunc canonem rite intelligendum. Postea in Parte 2ª, *De poenis*, videbimus an et a quibus poenis incurrendis excuset ignorantia legis poenalis, praesertim si sit crassa vel supina vel etiam affectata. Nunc videamus quomodo aetatis conditio aestimata fuerit in novo Codice iuris can. quod ad delicti imputabilitatem.

Imputabilitas delicti ratione aetatis.

CAN. 2204. — Minor aetas, nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam propius accedit.

31. Ex iure pontificio *duo sunt supremi termini aetatis, aetas maior et aetas minor*. Maior ille est qui vicesimum primum aetatis annum explevit; infra hanc aetatem quis dicitur minor (can. 88) (1). Sed in minori aetate alii continentur medii termini ad normam cit. can. 88. Sunt nempe: *puberes*, idest illi qui decimum quartum aetatis annum si masculi, vel duodecimum si foeminae iam expleverunt (2); infra hanc aetatem *impuberes* censentur (can. 88, § 2). Praeterea ex § 3, can. 88: « Impubes, ante plenum septennium, dicitur *infans* seu puer vel parvulus et censetur non sui compos: expleto autem septennio, usum rationis habere praesumitur ».

Amplius: qui medii sunt intra duos terminos expletae infantiae et pubertatis (scilicet intra 7 et 14 annos) dicuntur vel *impuberes infantiae proximi*, vel *impuberes proximi pubertati*, aeque utrinque divisis annis inter hos fines decurrentibus. Tandem in maiore aetate supervenit senectus, quum sive masculi sive foeminae sexagesimum aetatis annum ingressi sunt, quamvis viribus polleant integris (can. 1254, § 2).

Hisce adnotatis quoad varios aetatum gradus, nunc dicimus:

a) in maioribus.

1) *In maioribus imputabilitas est plena*, quippe qui gaudent perfecta mentis cognitione ac pleno dominio voluntatis, ideoque plene ipsis imputatur violatio legis.

b) in minoribus.

2) *In minoribus qui expleverunt aetatem pubertatis necnon in impuberibus proximis pubertati*, quamvis aestimentur ex praesumptione iuris doli capaces, *imputabilitas* tamen *minuitur*.

(1) Ante novum Codicem maior dicebatur ille qui expleverat annum 25; cfr. Card. LEGA, l. c. n. 37; WERNZ, l. c. n. 20.

(2) Sed in *re criminali* tum quoad masculos tum quoad foeminas pubertas censetur anno exacto decimoquarto; cfr. REIFFENSTUEL, *De delictis puerorum*, n. 5; Card. LEGA, l. c. et WERNZ, l. c.

Et ratio est, quia in ipsis non habetur illa plena mentis cognitio ac voluntatis libertas, quae habentur in maioribus. Eoque minor in ipsis est dolus et hinc imputabilitas quo ad infantiam propius accedunt (1).

3) Additur in can. *nisi aliud constet,* quia si constiterit minores perfecto dolo malo deliquisse, tunc praesumptio cedere debet veritati seu probationi contrariae.

4) Impuberes infantiae proximi non habentur absolute incapaces doli (can. 2201, § 1); sed in ipsis eo magis minuitur imputabilitas, quo magis ad infantiam accedunt (2).

5) *Infantes* illi nempe qui septennium nondum expleverunt, *praesumptione iuris et de iure habentur incapaces doli* can. 88, § 3). Hinc etsi infantes habeant usum rationis et legem violent, tamen non censentur delinquere, quia non censentur sui compotes (can. 88, § 3). Hinc contra infantes criminaliter ad poenam infligendam procedi nequit (3).

6) Ad senes quod attinet dicimus, quod *senectus generatim ex se non constituit causam excusationis* seu minoris imputationis; *sed* potius *eximit a poenis gravioribus,* quas ferre non valet aut aegerrime ferret tarda aetas. Unde senectus potest recenseri inter causas minuentes poenam, et non inter minuentes vel excludentes imputabilitatem delicti: quae duo toto coelo differunt inter se (4). c) in senibus.

Et haec satis esse possunt quoad aetatem. Videamus nunc de *vi et metu,* quae directe influunt in voluntatem, auferentes quoque electionem liberi arbitrii.

(1) In Parte 2ª *De poenis* videbimus quomodo et a quibus poenis incurrendis excuset minor aetas.

(2) Cf. WERNZ, l. c. n. 20.

(3) C. un. *De omicidio volunt. vel casuali* V, 4, in Clem. — ibi: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit ». Cf. NICCOLINI, *Questioni di diritto;* FRASER, Dissert. *An et quatenus in criminibus imputandis aetatis deliquentium habenda sit ratio.* Amstelodami, 1884; SVINDEREN, *De iure poenali hodierno circa minores,* Groningae, 1885.

(4) STRAVIUS, Diss. *De iuribus et privilegiis senectutis,* Ienae, 1664; HOMMEL, *De iuribus senum singularibus;* SCHOPFFER, *Gerontologia sive de iure senum.*

De violatione legis sub vi vel metu vel ex causa legitimae tutelae.

CAN. 2205. — § 1. Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit.

§ 2. Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt.

§ 3. Si vero actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2, delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt.

§ 4. Causa legitimae tutelae contra iniustum aggressorem, si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert; secus imputabilitatem tantummodo minuit, sicut etiam causa provocationis.

1. sub vi.

32. Vis est *maioris rei impetus cui resisti non potest.* Hinc invitus, idest ille qui vi impellitur ad violandam legem, magis patitur quam agit. Eapropter in *actione posita sub vi dolus ne intelligi quidem potest*, et consequenter actio huiusmodi non est moraliter imputabilis: dummodo id alicui non obvenerit ex sua negligentia, quia tunc culpae iure meritoque argueretur. Merito proinde constitutum est in § 1 huius canonis quod *vis physica, quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit.*

2. sub metu gravi.

33. Sed praeterea *etiam metus gravis, etsi relative tantum, plerumque delictum penitus tollit, si agatur de legibus mere ecclesiasticis.* Et in primis notetur, quod si metus adeo mentem illius, cui incussus fuit, turbaverit, ut usum rationis amiserit, tunc idem dicendum est ac id quod diximus de vi. Sed si metus incussus non ademerit usum rationis, plerumque delictum penitus tollit, si agatur de legibus mere ecclesiasticis. Et re quidem vera metus qui definitur « *mentis trepidatio ob periculum instans vel futurum* » in animum hominis influit, ipsumque movet ad aliquid volendum quod secus noluisset, vel impedit quominus aliquid velit, quod secus voluisset. Tamen voluntas, tali metu coacta, est semper voluntas, et actus ex metu quantumvis gravi positus, quamvis sit involuntarius secundum quid, tamen est simpliciter voluntarius et liber, quamdiu metus rationis usum non adimit; quia per se absolute et efficaciter procedit a voluntate libera, quae quoad actum internum, qui est eius, veluti immediate ab ipsa elicitus, nulla vi cogi potest.

Attamen quamvis verum sit quod metus non perimit liberum arbitrium, verum pariter est, quod actus sub tali metu po-

situs etsi voluntarius, non est spontaneus; etenim qui legem violat ad effugiendum grave periculum iniuste sibi illatum, *non habet propositum delinquendi*, sed intendit in suam defensionem. Iamvero sine proposito delinquendi seu dolo, delictum ne intelligi quidem potest.

Non tamen quicumque metus excludit delictum, sed *metus gravis, etiam relative tantum*. Gravis metus dicitur ille qui *cadit in constantem virum*, scilicet taliter debet esse incussus, ut sub eius actione viri etiam prudentis et constantis mens trepidet, nec consilii sui plene sit domina (1). Dicitur etiam relative tantum, idest etsi malum seu periculum quod timetur, in se leve sit, sed grave respectu personae in quam cadit, cui proinde gravem producit mentis perturbationem. Hinc in aestimanda gravitate metus, nedum attendenda est natura damni comminati, sed etiam qualitas seu conditio personae, quae metum passa est.

34. Animadvertitur in canone quod *metus gravis plerumque tollit penitus delictum « si agatur de legibus mere ecclesiasticis »*. Et ratio est quia leges **mere** ecclesiasticae, ut omnes leges humanae, non obligant *regulariter* cum gravi incommodo. Etenim lex humana debet esse secundum naturam humanam, idest humanae fragilitati accommodata: id autem non esset, si ordinarie obligaret cum periculo tam gravis damni (2). Et ideo in can. post verba — *metus quoque gravis, etiam relative tantum* — additur: *necessitas, imo et grave incommodum;* quia si quis vel metu gravi, etiam relative tantum, vel necessitate, vel *gravi incommodo*, cogitur ponere aliquem actum contra legem mere ecclesiasticam, perinde habetur ac si legem non violaverit, ideoque non intelligitur delinquere.

a) in legibus mere ecclesiasticis.

Dicitur in canone quod *metus gravis, necessitas et grave incommodum* delictum tollunt *plerumque:* non igitur semper et absolute: quia potest aliquando Superior urgere suam legem, quamquam sciat grave incommodum cum lege coniunctum esse; ex. gr. si praescribatur dispensatio Sacramentorum morbo pestifero infectis. Tunc procul dubio grave incommodum non tollit delictum, quia non tollit legem, cuius violatio delictum constituit.

(1) C. 1 et 4, X, *De his, quae vi metusve causa fiunt*, 1. 40.

(2) Reiffenstuel, lib. 5, tit. 39, n. 33.

b) in legibus divinis etc.

35. Praeterea (§ 3) *si actus sit intrinsece malus* uti v. gr. periurium, fornicatio, blasphemia etc., *aut vergat in contemptum fidei* vel *ecclesiasticae auctoritatis* vel *in animarum damnum*, tunc causae, de quibus in § 2, minuunt quidem delicti imputabilitatem, sed non auferunt.

Non auferunt delicti imputabilitatem, quia a servandis praeceptis iuris naturalis nullus metus excusare potest, quia nullus metus excusare potest a peccato mortali: « **cum pro nullo metu** (ita Innocentius III in cap. 3, *De his quae vi metusve causa fiunt*, I, 40) **debeat quis mortale peccatum incurrere** ». Hinc metus gravis, necessitas, et grave incommodum *attenuant culpam seu minuunt delicti imputabilitatem, sed non auferunt.* Quapropter si parochus tempore pestis legem divinam-humanam residentiae non servet ob grave vitae periculum, graviter peccat. Nam bonum spirituale fidelium praevalet bono vitae ipsius parochi; uti miles cogitur, ipsa iubente *civili* auctoritate, suam vitam obiicere armis adversariorum ad salutem publicam [1].

Item si fideli comminetur mors nisi Deum neget, vel christianam Religionem, vitae potius valedicere debet, quam Fidei Christianae, secus in hac facit naufragium. Et ideo habiti sunt semper ut apostatae illi qui metu tormentorum victi, fidem negarunt.

3) ex causa legitimae tutelae.

36. Denique animadvertendum est quod *cum nobis comminatur malum iniustum* quod nempe infertur a causa morali iniuria agente, *tunc* nobis ius est repellendi huiusmodi malum, *datur* nempe *locus legitimae defensioni*, sed cum moderamine inculpatae tutelae. Datur locus *legitimae defensioni*, quia vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittunt, et praevalet in metum passo ius personalis defensionis iuri, quo potitur iniustus aggressor seu ille qui malum comminatur [2]. *Cum mo-*

[1] Card. LEGA, l. c., num. 39.

[2] Cap. 3, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39; ibi: « Si vero Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat vel laedat, non debet propter hoc ad Sedem Apostol. transmitti, si in continenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant ». Et in cap. un. *de homicidio voluntario vel casuali*, V, 4, in Clem., legitur: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. *Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem* ». Conc. Trid., sess. XIV, de ref., c. 7.

deramine inculpatae tutelae; scilicet moderamen inculpatae tutelae servatur quando mensura defensionis seu defendendi seipsum est proportionata mensurae offensionis, seu necessitati defensionis; quando nempe adhibetur medium proportionatum (non excedens) ad vitandum malum quod nobis comminatur (1). Hinc aggressus, arma convertens contra iniustum aggressorem, eumque graviter vulnerans, non patrat crimen, dummodo offensionis actio non praetergrediatur terminos defensionis. Eapropter metus iniustus, seu *causa legitimae tutelae* contra iniustum aggressorem, *est semper causa excusans*, idest semper minuit delicti imputabilitatem; *si* vero *debitum moderamen servetur, est causa iustificans,* idest delictum omnino aufert (2).

CAN. 2206. — Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu; et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat.

De imputabilitate delicti ex impetu passionis commissi.

37. Uti patet ex transcripto canone, *etiam passio, inter causas excusantes vel iustificantes merito recensetur.* Sunt enim impetus aliquorum affectuum, qui minuunt plus minusve, vel etiam tollunt delicti imputabilitatem (3). Ita ex. gr. ex malo quod quis sibi impendere videat, oritur timor; ex malo vero in quod quis lapsus est, oritur dolor; et ita porro. Iamvero huiusmodi affectus, si extemplo ac veluti inopinato in animo excitentur, vehementer quandoque ipsum animum perturbant,

(1) *De moderamine inculpatae tutelae* vid.: Nicolini, *Quest. di diritto*, P. 2, q. 25, n. 9 et q. 26 ediz. Livorno, p. 289, 293; Haus, *Cours de droit criminel*, § 161; Bélime, *Philosophie du droit*, tom. 1, pag. 204; Gregory, *De inculpatae tutelae moderatione;* Berner, *De impunitate propter summam necessitatem proposita.*

(2) Card. Lega, l. c., n. 39, ibi: « Quamobrem quis legem violans ea mensura, qua consulit necessitati suae defensionis, non intelligitur delinquere; at delicti tunc malitia incipit, cum agens in legem excedit limites legitimae tutelae, seu *moderamen inculpatae tutelae*, uti dici solet ». Attamen quoad excessum defensionis non raro omnis etiam culpa exulare dicenda est.

(3) « Nemo sane inficias iverit, cupiditates adeo posse movere voluntatem ut eius iudicium praevertant: tunc aestus appetiti, quasi furor, pertrahit hominem ad actum quem voluntas adhuc non elegerat. Inde actus est *hominis, non humanus*, est doli expers, saltem in *effectu*, si non in *causa* ». Card. Lega, l. c., num. 40.

nec tempus relinquunt necessarium, ut ratio voluntatis motus ac determinationes dirigere valeat. Exinde fit ut voluntas, ineluctabili quadam vi abrepta, ad aliquid determinetur, ad quod secus numquam se determinavisset. Patet igitur ex dictis adesse impetus affectuum qui libertatem in agendo plus minusve imminuunt, et quandoque omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedunt et impediunt; et consequenter vel minuunt plus minusve pro diverso passionis aestu, vel tollunt omnino delicti imputabilitatem.

Recte tamen in canone animadvertitur, quod *si passio fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget;* et planum est.

Denique notetur quod in foro externo non praesumitur aliquem ita abripi vi cupiditatis, ut non conservet usum rationis; hinc ut passio possit in foro externo minuere vel etiam tollere delicti imputabilitatem, legitimis probationibus demonstranda est.

Causae delictum aggravantes:

CAN. 2207. — Praeter alia adiuncta aggravantia, delictum augetur:

1° Pro maiore dignitate personae quae delictum committit, aut quae delicto offenditur;

2° Ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum.

CAN. 2208. — § 1. Recidivus sensu iuris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter coniici possit.

§ 2. Qui pluries deliquerit etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem.

a) dignitas personae offendentis.

38. *Delictum* in primis *augetur pro maiore dignitate personae quae delictum committit;* nam *quanto maiore quis praeeminet dignitate*, eo facilius suo pravo exemplo alios provocat ad similia patranda (1).

Hinc idem crimen ex. gr. homicidium, periurium etc. gravius est in clericis quam in laicis. Et hoc vel ex eo probatur quod iure sive divino sive ecclesiastico sanctitas morum est clericis specialissimo modo praescripta (2). S. Hieronymus epist. 58 de ecclesiasticis scribit: « Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem ». Et S. Leo M. ait: « Quae in aliis Ecclesiae membris non vocantur ad culpam, in illis (ecclesia-

(1) Cap. 12, X. *De iureiurando*, 11, 24.

(2) LEVIT. 21; I. AD TIMOTH. cap. 5.

sticis) tamen habentur illicita ». Hinc est quod nugae in ore Sacerdotum, a populo habentur blasphemiae ; et saeculares statim ac didicerint aliquem Ecclesiasticum lapsum in crimen, patiuntur scandalum immensum, et contra magis elementares logicae iustitiaeque leges, crimine ab uno ansam sumunt damnandi Ecclesiasticos omnes, quos traducunt quasi hypocritas et societatis pessimam sobolem. Veritas est haec, quam funestissima experientia nos docet quotidie. Quae cum ita sint, nemo est qui non videat delictum augeri in personis ecclesiasticis, eoque magis quo in maiore sint dignitate constitutae. Hinc scribit Urbanus III in cap. 12, X, *de iureiurando* 11-24) : « in Episcopos, qui suum transgressi sunt iuramentum, est tanto gravius vindicandum, quanto maiori praeeminent dignitate, et eorum exemplo facilius alii poterunt ad similia provocari ».

39. Praeterea *delictum augetur pro maiore dignitate personae quae delicto offenditur*. Et planum est ; quo enim maior est dignitas personae cui infertur iniuria, eo maior ostenditur in delinquente mentis perversitas ac legis contemptus, ideoque maior habetur ordinis socialis perturbatio seu scandalum. Hinc S. Pontifex Clemens V in cap. 1, *de poenis* (V, 8), in Clement. enuncians principium — ex dignitate offensi esse dimetiendam poenam offendentis — scribit : « Episcopi enim dicuntur sanctissimi, Christi Legati existunt, spirituales sunt patres, nostrique fratres et Coëpiscopi, columnae comprobantur Ecclesiae : quare gravem oporteret esse poenam culpae violantis dignitatem tantae praeeminentiae adaequandam ». *b*) personae offensae

40. Item *delictum augetur ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum* (can. 2207, § 2). Valde enim contemnit auctoritatem qua pollet ille qui, eadem auctoritate, quae pro bono fidelium constituta est, abutitur ad delictum patrandum. Exinde enim fit ut auctoritas, quae a subditis maxime reverenda est, apud ipsos vilescat et contemnatur, et per consequens a via virtutis ad perditionis barathrum pertrahantur. Merito proinde in omnibus Codicibus Poenal. inflexibili quadam severitate gravissimae constituuntur poenae contra illos qui sua abutuntur auctoritate vel officio ad delictum patrandum ([1]). *c*) abusus auctoritatis vel officii.

([1]) Cf. *Cod. poen. ital.* artic. 139-147-149-153-332-333-347-419 etc.

d) recidivitas etiam late sumpta.

41. Denique ex can. 2208 *qui pluries deliquerit etiam diverso in genere suam auget culpabilitatem.* Dicitur — qui pluries deliquerit *etiam diverso in genere* — idest *etsi quis proprie sensu iuris recidivus dici nequeat.* Uti enim legitur in § 1 huius can. 2208 — recidivus sensu iuris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter coniici possit. Iamvero etsi quis sensu iam declarato recidivus dici nequeat, tamen si pluries deliquerit etiam diverso in genere, ex. gr. prius homicidium patravit, postea furtum rerum sacrarum commisit, deinde violentas manus in clericum vel religiosum iniecit (can. 2343); iste suam auget culpabilitatem. Et merito quidem: ipse enim pluries delinquens etiam diverso in genere, satis aperte ostendit suam pertinaciam in mala voluntate, ac *parvipendit* tum Ecclesiae auctoritatem, tum bona quibus ipse privatur (1).

Nunc agendum est de iis qui insimul concurrunt in consummationem unius eiusdemque delicti. Et notetur quod in can. 2209, quem nunc declarabimus, non agitur de quocumque concursu accidentali, seu minime deliberato, qualis habetur in rixa, in qua extemplo plures irae aestu abrepti hominem occidunt, quia tunc non habetur complicitas; sed *agitur de concursu, deliberato consilio, suscepto, in quo habetur complicitas.*

De concursu plurium personarum in idem delictum.

CAN. 2209. — § 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant.

§ 2. In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat.

§ 3. Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset.

§ 4. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert.

§ 5. Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor

(1) Cap. 8, *De haereticis*, V, 2, in VI. Vid. can. 2234; — WERNZ, l. c. n. 38.

delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit: si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem.

§ 6. Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum.

§ 7. Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem.

42. Agitur in hoc canone de illis, qui communi delinquendi consilio simul concurrunt *sive physice sive moraliter* in consummationem unius eiusdemque delicti, sive ita concurrerint ut sine ipsorum opera delictum commissum non fuisset (§ 1-3), sive ipsorum concursus facilius tantum reddiderit delictum, quod proinde sine eorundem concursu commissum fuisset (§ 4).

Haec omnia rite declaranda sunt, ut cognoscamus quamnam imputabilitatem singuli conrei contrahunt. Iamvero prae primis animadvertendum est, quod *cum delictum perficiatur et dolo*, seu deliberato proposito delinquendi, *et facto seu criminosi propositi exsecutione*, hinc ut habeatur complicitas vere et proprie dicta, requiritur in unoquoque conreorum et voluntas delinquendi, et aliqua participatio in delicti exsecutionem. Eapropter si quis concurrat in alterutram tantum partem, nempe vel in dolum, vel in factum seu criminis exsecutionem, oportet tamen ut alteram partem non excludat, ut ita duo criminis elementa, dolus et factum externum morali modo coniungantur; secus complices non sunt inter se. Praeterea quia concursus seu participatio haberi potest vel *in dolo* vel *in facto*, seu, quod idem est, quia *concursus potest esse physicus vel moralis*, hinc facile intelligitur quod *complicitas alia est physica, alia vero moralis*, prout nempe conrei concurrunt physice seu materialiter in delicti consummationem, vel moraliter tantum, ut mandantes, iubentes, consulentes. Ulterius quia conrei, sive physice sive moraliter ipsi concurrant in delicti consummationem, ita concurrere possunt ut sine ipsorum concursu crimen haud patrari potuisset, vel e contra suo concursu facilius tantum reddunt delictum, hinc patet quod *conrei alii sunt principales, alii* vero *accessorii*.

Concursus: 1) physicus, vel moralis.

2) principalis vel accessorius.

Imputabilitas: *a*) concursus physici.

43. Hisce adnotatis, facile nunc intelliguntur illa omnia quae in prioribus quatuor paragraphis huius canonis constituta sunt. Idest (§ 1) conrei qui physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, seu omnes retinentur uti conrei principales, ideoque omnes eandem contrahunt imputabilitatem « nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant » uti ex. gr. si unus ex conreis fuerit praecipuus instigator criminis, alios etiam suasionibus excitans ad crimen patrandum, maiorem procul dubio contrahit imputabilitatem: et e contra si quis ex conreis in minore aetate fuerit constitutus, vel ex metu gravi concursum praestiterit, minorem imputabilitatem contrahit.

b) moralis.

44. Praeterea in § 3 edicitur quod *conrei morales contrahunt*, ceteris paribus, *non minorem imputabilitatem, quam ipse delicti exsecutor, dummodo principaliter concurrerint* in consummationem delicti. Et iure meritoque; sive enim physice sive moraliter quis concurrat in delictum perficiendum, dummodo ita concurrerit, ut delictum sine ipsius opera commissum non fuisset, haberi debet uti vera causa delicti commissi, ideoque contrahit eamdem imputabilitatem, quam ipse delicti exsecutor.

c) in delictum quod sine complice perfici nequit.

45. Itemque in *delicto* (§ 2) *quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis*, nisi ex adiunctis aliud appareat. Ratio est quia uterque conreus principaliter concurrit in delictum, cum sine concursu alterutrius, delictum perfici non potuisset.

d) accessorii.

46. Denique ex § 4 *conrei accessorii minorem contrahunt imputabilitatem;* et planum est. Siquidem conrei accessorii illi sunt, quorum ope vel consilio crimen facilius perpetratur, veluti consulentes qui viam docent magis expeditam exsecutioni criminis iam deliberati. Quamvis igitur conrei accessorii concurrant in delictum, tamen non possunt retineri uti vera causa eiusdem delicti, quod etiam sine ipsorum concursu consummatum fuisset; proindeque minorem contrahunt imputabilitatem quam conrei principales.

e) negativi.

47. In § 6 animadvertitur quod ille *qui concurrit in delictum negative*, idest suum dumtaxat officium negligendo, *contrahit imputabilitatem proportionatam obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum:* Dicitur — suum dum-

taxat officium negligendo; — hinc de illis heic agitur qui *ex officio*, idest ex iustitia tenentur ad delictum impediendum; ac proinde si caritas tantum urgeat, vi huius canonis nulla contrahitur imputabilitas. Haec vero crescit vel minuitur pro diversa gravitate obligationis qua quis adigebatur ad delictum suo officio impediendum.

f) actuum delictum subsequentium.

18. In § 7 animadvertitur quod *nonnulli actus qui subsequuntur delictum iam patratum*, uti delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus eiusmodi, *non secumferunt delicti patrati imputabilitatem*. Et ratio est quia huiusmodi actus in delictum *revera non influunt*, ideoque neque secumferunt delicti patrati imputabilitatem. Quod si de his actibus cum delinquente ante delictum conventum fuerit, tunc procul dubio influunt in delictum, confirmando vel excitando delinquentem ad delictum patrandum, et consequenter secumferunt delicti iam patrati imputabilitatem. Notetur etiam quod praedicti actus, etsi de istis haud conventum fuerit ante delictum cum delinquente, nova delicta constituere possunt, si nempe puniantur a lege *uti delicta sui generis*, idest si seorsum sumpti hi actus, habeantur uti criminosi et poena aliqua plectantur.

Retractationis efficacia.

19. Denique superest animadvertendum quod *si quis, ante delictum admissum, suum influxum* in delictum patrandum *opportuna retractatione abduxerit plene*, ex § 3 huius canonis, *ab omni imputabilitate liberatur*, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit. Hinc si quis ex. gr. mandatum vel consilium revocaverit plene, et de revocatione *mature* certiorem fecerit eum cui mandatum vel consilium dederat, et nihilominus exsecutor delictum consummaverit, liberatur ab omni imputabilitate. Et merito quidem: nam *revocatione* evanescit mandatum (1), et probabiliter etiam consilium; ideoque exsecutor magis improbitate sua fecisse videtur. Diximus - certiorem fecerit, — nam antea revocatio non intelligitur. Addidimus — *mature* certiorem fecerit — idest tempore opportuno. Ideo legitur in canone — *opportuna retractatione* - - idest, *efficaci retractatione*. Hinc si quis haud certiorem fecerit tempore

(1) L. 12 Mandati. Suar. 44, 3, 7. Sayr. VII. 2. 13.

opportuno eum cui mandatum vel consilium dederat, vel quomodocumque haud plene abduxerit suum influxum in delictum patrandum, tunc ex § 3 huius can. « retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem ».

Hactenus exposuimus canones in quibus agitur de imputabilitate delicti, necnon de causis quae augent, vel minuunt, vel etiam tollunt delicti imputabilitatem. Vidimus pariter de complicitate, idest de iis, qui deliberato consilio insimul concurrunt in consummationem unius eiusdemque delicti, et declarantes can. 2209, exposuimus principia, quae prae oculis habenda sunt, ad dignoscendam imputabilitatem quam singuli conrei contrahunt. Nunc restat ut declaremus can. 2210 et seq. in quibus agitur de iuridicis delicti effectibus.

Effectus iuridici delicti.

CAN. 2210. — § 1. Ex delicto oritur:

1.° Actio poenalis ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam;

2.° Actio civilis ad reparanda damna, *si cui delictum damnum intulerit*.

§ 2. Utraque actio explicatur ad normam can. 1552-1959; et idem iudex in criminali iudicio potest ad *instantiam partis laesae* civilem actionem ad examen revocare et definire.

CAN. 2211. — Omnes qui in delictum concurrunt ad normam canonis 2209, §§ 1-3 obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a iudice pro rata damnati.

50. Id quod statuitur in can. 2211 haberi debet uti corollarium can. 2209. Posito enim quod omnes qui principaliter concurrunt sive physice sive moraliter in consummationem unius eiusdemque delicti, omnes eodem modo rei habentur et eandem imputabilitatem contrahunt, prono alveo fluit, *omnes conreos principales eadem obligatione teneri, idest in solidum ad expensas et damna resarcienda* quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint (1). *Obligatio solidalis in hoc consistit* ut quisque conreorum cogi possit ad omnes expensas omniaque damna resarcienda, perinde ac ipse solus totum damnum intulerit, nec ullimode exci-

Damna resarcienda.

(1) *Cod. P. It.* art. 39. « I condannati per uno stesso reato sono obbligati in solido alle restituzioni, al risarcimento dei danni, alla riparazione pecuniaria e alle spese processuali ».

pere possit se pro rata teneri. Neque prodest conreo sententia qua iudex edixit, omnes conreos *pro rata teneri;* ideo legitur in canone: omnes obligatione teneri in solidum, licet a iudice pro rata damnati. Hinc licet iudex omnes conreos pro rata damnaverit ad expensas solvendas et damna resarcienda, si tamen omnes conrei, uno tantum excepto, non sint *solvendo,* iste adstringi potest, non obstante sententia iudicis, ad omnes expensas et damna resarcienda.

51. Quoad canonem 2210 animadvertendum est, quod post patratum delictum oritur necessitas poenae, quae infligenda est delinquenti ad ordinem socialem laesum restaurandum. Etenim delinquens irrogans iniuriam legi, fit debitor poenae, quam pati debet omnino ad scandalum reparandum. Scribit cl. Vernz l. c. n. 81: « Ex delicto oritur in publica auctoritate ius delictum persequendi per iudicium criminale contra delinquentem institutum et ius executioni mandandi poenam per sententiam iudicis decretam » (1). Praeterea, si cui delictum damnum intulerit, tenetur delinquens ad damna reparanda, seu ad praestandum id quod interest pro mensura iuris laesi (2). Merito proinde edicitur in hoc canone quod *ex delicto oritur actio tum poenalis ad poenam delinquenti infligendam, tum civilis ad reparanda damna,* si cui delictum damnum intulerit. Prout enim iura quae per delictum laeduntur diversi ordinis sunt, idest publici seu socialis et privati, ita pariter diversae sunt actiones, quae contra delinquentem urgeri possunt. Actio nempe criminalis promovetur ad vindictam publicam procurandam poenamque delinquenti infligendam, ut reus publicam patrati sceleris subeat poenam; actio vero civilis, ut delinquens damna privatis illata resarciat.

Actio tum poenalis tum civilis,

52. *Actio poenalis* ex praescripto canonis 1933 *reservatur uni promotori iustitiae,* qui proinde *ex officio* persequitur delinquentes, et petit a iudice, ut, rite instructo processu, ad normam can. 1552-1959, vel *declaret* poenas in iure statutas fuisse incursas, si nempe agatur de delictis mulctatis a iure poenis *latae sententiae;* vel *infligat* delinquenti debitas poenas pro restauratione ordinis socialis laesi. Animadvertitur tamen in ca-

a) a quibus utraque instituti potest.

(1) Pessina l. c. § 171, sq.
(2) C. 9, X, *de iniuriis et damno dato,* V. 36.

n. 1935 quod *quilibet fidelium semper potest delictum alterius denuntiare* ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem. *Actio civilis competit illis qui damnum iniuriamque passi sunt* ex alterius dolo vel culpa; et planum est.

b) a quo iudice definiri.

53. Denique ex praescripto § 2 huius canonis *idem iudex in criminali iudicio potest, ad instantiam partis laesae, civilem actionem ad examen revocare et definire.* Et iure meritoque; nam iudex qui ex allatis et probatis in criminali iudicio optime cognoscit quanta sit moralis imputabilitas delinquentis, facile ac recte sua sententia iudiciali statuere potest, an et qua mensura damna illata resarcienda sint. Hanc tamen quaestionem de damnis resarciendis iudex pertractat ad instantiam partis laesae, quia iudex, in iis quae respiciunt privatum interesse, non agit nisi per instantiam iudicialem fuerit a partibus legitime requisitus. Hinc legitur in can. — *ad instantiam partis laesae.*

Hisce adnotatis quoad titulum secundum, nunc declarandum assumimus titulum tertium qui inscribitur: *De conatu delicti.* Sit itaque

TITULUS III.

De conatu delicti.

Hic tertius titulus duobus canonibus absolvitur, in quorum primo traditur notio de conatu delicti et de delicto frustrato, in altero vero determinatur imputabilitas tum conatus delicti, tum etiam delicti frustrati.

Conatus delicti notio ac imputabilitas.

CAN. 2212. — § 1. Quicumque *actus* posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit, *delicti conatum committit.*

§ 2. Cum *omnes* actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt *et ad delictum perficiendum sufficiunt*, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio nomine delictum *frustratum.*

§ 3. Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter.

§ 4. Si conatus delicti peculiari poena in lege muletetur, *verum constituit delictum.*

CAN. 2213. — § 1. Delicti conatus suam habet imputabilitatem, eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit, quamquam minorem praedelicto consummato, salvo praescripto § 3.

§ 2. Delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus.

§ 3. Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.

54. Ad delictum constituendum, uti vidimus supra, praeter *dolum et legem poenalem*, requiritur etiam *damnum* seu elementum obiectivum et sociale, quod sequitur ex dolosa et externa violatione legis poenalis, et consistit in perturbatione ordinis socialis.

Iamvero factum criminosum quo lex violatur, idest actio externa quae dirigitur ad delictum perficiendum, plerumque pluribus partibus constat, et veluti *initio, progressu et fine*.

a) *Initio* habentur *actus praeparatorii*, uti pravi consilii significatio et mediorum inquisitio; ex. gr. emptio gladii, veneni etc.

b) *Progressu* habentur *conatus*, qui sunt proximi vel remoti pro relatione quam habent proximam vel remotam ad delicti consummationem.

c) *Fine* habetur delicti consummatio.

Animadvertendum vero est quod *aliquando delinquens*, iam aggressus actus qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, *sistit, vel sistere cogitur*, antequam perveniatur ad delicti consummationem, vel delictum perficere non potest propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum; *tunc habetur* **delicti conatus**. *Aliquando* vero delinquens *explerit omnes actus qui* natura sua ad exsecutionem delicti conducunt, et *ad delictum perficiendum sufficiunt; sed tamen* huiusmodi *actus* ex eventu aliquo fortuito, ab agentis voluntate independente, *non sortiuntur suum effectum*. In hac secunda hypothesi conatus dicitur proprio nomine *delictum frustratum*, vel praetergressum (*maleficio mancato*) (1). Exemplo res declaratur:

Discrimen inter conatum et delictum *frustratum*.

1) Titius v. gr. minatur mortem Caio et gladium emit; en actus praeparatorii, idest mediorum inquisitio;

(1) Cf. Wernz, l. c. n. 32; Card. Lega, l. c. n. 33.

2) deinde Titius Caium quaerit, ipsumque inveniens ensem strinxit illum confossurus; sed in ipso actu destitit, en conatus proximus vel remotus;

3) vel feriit incassum, quia Caius deflexit; en crimen frustratum;

4) sed mox iterum ferit et occidit; en crimen consummatum (1).

Haec satis esse possunt ad intelligenda ea quae traduntur in §§ 1 et 2, can. 2212. Additur in § 3 eiusdem canonis quod conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed ineffícaciter; et planum est.

55. Praestat nunc ut videamus quamnam imputabilitatem habeant sive actus praeparatorii, sive conatus proximi vel remoti, sive denique delictum frustratum.

Et ad *actus praeparatorios* quod spectat dicimus, quod huiusmodi actus, quippe nimis remoti a delicti exsecutione, et hinc per se indifferentes, quia potuissent ordinari in bonum vel in malum finem, non possunt dici exsecutivi criminis; hinc deturbationem ordinis socialis non important, et consequenter non sunt poenis mulctandi; nisi sint delicta *sui generis* (2).

56. *Conatus* vero sive proximi sive remoti, natura sua ordinati sunt ad crimen, sunt enim delicti inchoatio, hinc revelant animum delinquendi, ideoque *perturbant ordinem socialem*, quo magis ad consummationem delicti accedunt. Consequenter, uti legitur in can. 2213, § 1: delicti *conatus suam habet imputabilitatem, eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit,* quamquam minorem prae delicto consummato, salvo praescripto § 3, idest, qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, ab omni imputabilitate liberatur, dummodo nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.

Imputabilitas: *a*) simplicis conatus,

57. Praeterea animadvertendum est quod *aliquando conatus delicti peculiari poena in lege mulctatur; et tunc* ex praescripto can. 2212, § 4, *conatus constituit verum delictum.* Punitur nempe conatus, non quatenus incipit exsecutionem criminis, sed quia per se seorsum sumptus, est actio criminosa. Ali-

b) conatus constituentis verum delictum,

(1) D'ANNIBALE, l. c. § 298, not. 25.
(2) Cfr. WERNZ, l. c. not. 122.

quando enim una eademque lex irritat (vel irritum supponit) actum, et statuit poenam contra facientem huiusmodi actum irritum. Ex. gr. poenae constitutae sunt contra alienantes bona ecclesiastica sine beneplacito S. Sedis (can. 2347); contra absolventes complicem in peccato turpi (can. 2367); contra clericos in sacris constitutos attentantes inire matrimonium (canon. 2389) etc. Iamvero quamvis praedicti actus nulli sint, tamen ponentes huiusmodi actus, potius quam *conatum delicti*, committunt *verum delictum*, et poenas in iure statutas omnino incurrunt (1).

c) delicti *frustrati.*

58. Denique edicitur in can. 2213, § 2, quod *delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus*: et planum est. Sed quaeritur: delictum frustratum est ne puniendum aequali poena ac crimen consummatum? Et respondemus aliter esse animadvertendum in crimen frustratum, et aliter in crimen consummatum; idest *crimen frustratum mitiori poena mulctandum esse quam crimen consummatum*. Et ratio est, uti melius declarabimus suo loco, quia societas punit crimen *pro mensura iuris laesi*. Iamvero quamvis in delinquente, qui ob casum fortuitum, et non ob defectum propositi delinquendi, crimen consummare haud valuit, non minor videatur dolus quam in illo qui delictum perfecit; tamen verum omnino est quod per crimen frustratum minus ordo socialis perturbatur, et consequenter minori poena est puniendum quam crimen perfectum et consummatum. Caeterum ipse Codex edicens in can. 2213, § 2, quod *delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus*, hanc sententiam apprime confirmat.

In iure canonico regulariter recognita fuit et admissa ratio minoris imputabilitatis in criminis conatu vel in crimine *frustrato*, quam in crimine consummato. Hinc in cap. 7, De electione et electi potestate in VI° (1-6) statuitur eligendi iure privari, non qui conati sunt eligere indignum, sed qui « adeo in eo (suffragio perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequa-

(1) Card. Lega, l. c. n. 26 scribit: « Conatus autem etsi *remotus* aliquando est delictum *sui generis* et tunc puniendus est, qua est delictum, et aliquando est poena gravior infligenda ob qualitatem conatus: et haec exploratissimi iuris sunt ».

tur ». Attamen ad atrociora delicta fortius praecavenda et punienda cautum fuit, in istis eadem poena puniri conatum, qua plecteretur crimen consummatum.

Notandum tamen est, quod si lex expressis verbis hoc non caveat, poena tenet delinquentem, crimine tantum consummato. Et si factum criminosum ab effectu capit perfectionem, poena non tenet facientem, quoad effectus sequutus non fuerit: ut puta homicidium, quoad mors sequuta fuerit. « Hoc tamen (ita D'Annibale) ad eos effectus pertinet, qui actionem integrant: quamobrem si effectus actionem tuam non integrat, sed aliquid aliud ab eo est, haec regula cessat; puta si in iudicio peierasti ut reus absolveretur, et is nihilominus condemnatus fuerit, lues ».

Et haec satis esse possunt quoad primam Partem — *De delictis.* Vidimus enim quid sit delictum et quomodo dividatur; disseruimus pariter de imputabilitate delicti et de causis quae hanc imputabilitatem augent, minuunt vel tollunt omnino, necnon de iuridicis effectibus delicti; ac tandem nonnulla breviter adnotavimus quoad conatum delicti eiusque imputabilitatem. Hisce omnibus traditis de delictis, nunc tractatum *de Poenis* tum in genere tum in specie exponendum aggredimur.

Materia in Parte 2ª tractanda.

39. De poenis agitur in 2ª parte libri V Codicis. Haec secunda pars dividitur in duas sectiones, in quarum prima, quae inscribitur — *De poenis in genere* — tradita prius poenae notione, clare et perspicue agitur de poenarum speciebus, interpretatione atque applicatione, omniaque traduntur quae respiciunt subiectum activum et passivum poenarum, idest tum Superiorem potestatem coactivam habentem, tum eos qui coactivae potestati obnoxii sunt; ac denique agitur de poenarum remissione. Sectio 2ª inscribitur — *De poenis in specie.* — Et primo fit sermo *de poenis medicinalibus* seu de censuris in genere et in specie, idest traditis nonnullis de censuris in genere, agitur de excommunicatione, interdicto et suspensione. Deinde agitur de poenis vindicativis, *sive communibus*, quae nempe omnes fideles afficere possunt, sive *peculiaribus* clericorum, quae nempe clericis tantum applicantur. Denique agitur de remediis poenalibus et poenitentiis. Haec omnia igitur exponenda et declaranda sunt.

PARS SECUNDA

DE POENIS

SECTIO I.

De poenis in genere.

Potestas Ecclesiae infligendi poenas probatur:

CAN. 2214. — § 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus.

§ 2. Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid., sess. XIII, de ref., cap. 1: « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores, non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tum cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, *emendentur* aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur ».

60. In hoc canone Legislator ponit veluti fundamentum totius tractationis: *De Poenis* — constituens hoc firmissimum principium: Ecclesiam habere ius, *sibi proprium et nativum*, ideoque independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis *tum spiritualibus* tum *etiam temporalibus*.

Competere Ecclesiae ius nativum et proprium, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subdi-

tos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus, sequitur *ex ipsa natura Ecclesiae, quae,* utpote societas iuridice perfecta, *habet plenam iurisdictionem,* ideoque, praeter potestatem legislativam et iudicialem, etiam potestatem coactivam. Inutile enim esset leges condere, iudicia instituere, sententiasque proferre, nisi propositis poenis effici possit, ut leges conditae observentur, improbique homines in officio contineantur. Etenim sine potestate coercitiva auctoritas legum impune spernitur, nervus disciplinae ecclesiasticae rumpitur, paucis, servari nequit ordo socialis, sine quo societas finem suum assequi non potest [1]).

a) ex natura Ecclesiae.

Liceat igitur, cum agatur de re maximi momenti, nonnulla, paullo fusius adnotare ad principium in hoc canone constitutum rite comprobandum. Et re quidem vera praedicta Ecclesiae potestas infligendi poenas etiam temporales, probatur tum ex Sacra Scriptura, tum etiam ex Constitutionibus Rom. Pontificum, ex auctoritate Sacros. Concilii Tridentini, et ex antiquissima et constanti Ecclesiae praxi.

b) ex S. Scriptura.

61. Et in primis *constat ex Sacris Litteris Christum Dominum directe et expresse* non vagae cuidam communitati, sed *rectoribus Ecclesiae contulisse potestatem decernendi gravissimam poenam exclusionis ab Ecclesia* [2]). Hinc etiam S. Paulus (II Cor. XIII, 10) aperte testatur potestatem suam puniendi, non a fidelibus vel principibus sibi datam esse, sed a Domino. Constat pariter ex pluribus locis Sacrae Scripturae Apostolos se gessisse tanquam omnimoda coercitionis potestate praeditos: et de facto poenis nedum spiritualibus, verum etiam temporalibus delinquentes mulctarunt, *sine ullo prorsus saecularium Principum interventu.* In ep. 2ª ad Thessalon. cap. 3, vers. 14 *Apostolus arcet inobedientes a communione fidelium* [3]); eandemque poenam constituit contra omnes christianos *publice fornicarios, avaros, idolis servientes, maledicos, ebriosos, aut rapaces* [4]). Praeterea idem Apostolus excommunicatione coercuit tum

[1]) Cf. AICHNER, l. c. § 216.

[2]) Cf. MATTH., XVIII, 15 seq.; ibi v. 17: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ».

[3]) Ibi « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo ».

[4]) I COR., V.

Hymenaeum et Alexandrum in fide naufragos, tum Corinthium incestus cum noverca reum, eosque satanae tradidit in interitum carnis « *ut spiritus salvus sit in die Domini nostri I. Christi* » [1]). Age nunc: poena qua quis nedum removetur a perceptione Sacramentorum, sed etiam excluditur a communione fidelium hominumque consortio, non solum est spiritualis, sed etiam temporalis ([2]). Adhuc idem Apostolus in ep. 1ª ad Corinth. cap. 4, v. 21 scribit: « *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis?* ». Sed nemo profecto est qui spirituali poenae virgam accenseat. Postremo prout Actus Apostolorum testantur, *idem Apostolus Elimam magum ultus est caecitate, et Petrus Ananiam et Saphiram* coniuges, qui impudenter mentiti sunt, per processum summariissimum, *morte mulctavit. — Certa igitur est potestas Ecclesiae in ipsa fidelium corpora*, nec ullimode in dubium revocari potest.

c) ex Constitutionibus RR. PP.

62. *Constat porro ex Constitutionibus Summorum Pontificum.* S. Pontifex Ioannes XXII sua Bulla dogmatica « *Licet* » in qua allatis verbis Domini, Matth. cap. XVIII, v. 17. « Si Ec- « clesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » prosequitur: « Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthaeo, quod « si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad man- « datum Ecclesiae noluerit emendare, quod *Ecclesia per pote-* « *statem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommu-* « *nicationis sententiam compellere potest, quae quidem potestas* « *est utique coactiva.* Circa quod est animadvertendum quod « cum excommunicatio maior, nedum excommunicatum a per- « ceptione Sacramentorum removeat, sed etiam a communione « fidelium ipsum excommunicatum excludat, *corporalis est a* « *Christo coactio Ecclesiae permissa* ». Deinde damnat hanc Marsilii Patavini propositionem: « Tota Ecclesia simul iuncta « nullum hominem punire potest punitione coactiva *nisi conce-* « *dat hoc imperator* ».

Item Benedictus XIV in Brevi « Ad assiduas » (d. 4 mart.

([1]) I Timoth., I, 20; II Timoth., IV, 14; I Cor., V, 1 et seqq.

([2]) Ioannes XXII, Const. « *Licet* » 23 Oct. 1327 contra errores Marsilii Patavini. V. num. seq.

1755) damnavit librum P. La Borde, quo negabatur Ecclesiae competere potestatem coactivam. Verum hic auctor non negabat Ecclesiae ius irrogandi poenas spirituales, sed temporales.

Pariter Pius VI Const. dogmat. « *Auctorem fidei* » ed. die 28 Aug. 1794, similem errorem syn. Pistoriensis damnavit ut haereticum (1).

In Syllabo S. Pont. Pii IX habetur prop. 24 inter damnatas, quae ita legitur: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam » (2).

d) ex S. Conc. Tridentino.

63. Denique S. Conc. Tridentinum sess. VII de baptismo can. XIV damnans eos qui dicunt Ecclesiam posse tantum a Sacramentis arcere, quae est poena spiritualis praecipua, satis innuit et poenas non spirituales infligi posse. Idem Concilium sess. XXV cap. 19 de Ref. haec statuit contra duellantes: « Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, *excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae poenam incurrant...* » (3).

e) ex antiquissima Ecclesiae praxi.

64. Nec tandem difficile esset, si hoc pateretur indoles huius brevissimi operis, innumeris allatis documentis historicis, quae quisque videre potest apud Vittadini (4), Nannetti (5), etc., invicte probare, *Ecclesiam semper adhibuisse* contra delinquentes sibi subditos, *poenas tum spirituales tum etiam temporales*. Et re quidem vera praeter poenas pecuniarias, in usu Ecclesiae fuerunt *a*) *relegatio* in aliquam regionem; *b*) *exilium* in aliqua provincia; *c*) *carcer* etiam perpetuus, ut plurimum *reclusio in monasterium* (6), et aliquando *d*) *bonorum publicatio*, ut cap. 6, de Iudaeis, et in Extrav. comm. de

(1) WERNZ, l. c. n. 76; Card. CAVAGNIS, l. c. *Inst. Iuris Pub. Eccles.* edit. IV, vol. 1, n. 291.

(2) PIUS IX, litt. ap. « Ad Apostolicae » 22 Aug. 1851; ep. encycl. « Quanta cura », 8 dec. 1864; LEO XIII, Const. « *Immortale Dei* » die 1 Nov. 1885, doctrinam catholicam de potestate punitiva Ecclesiae positive proposuit.

(3) Vid. etiam cap. 3, sess. XXV de ref.

(4) VITTADINI, *Diritto pubblico ecclesiastico*, vol. 2, pag. 310 et seqq.

(5) NANNETTI, *Ius pubblico ecclesiastico*, vol. 2, pag. 185 et seqq.

(6) Cap., 35, X, *De sent. excom.* V, 39.

Iudaeis cap. 1 et cap. 10, de haereticis. Item in sacris canonibus *saepe occurrit poena infamiae*, quae non modo praecludit aditum ad dignitates ecclesiasticas (1), sed etiam quosdam effectus civiles, attenta dispositione iuris canonici, importat. Ita infamium testimonium non attenditur, neque ad dignitates temporales admittebantur infames, et aliquando erant intestabiles: cap. 13, de haereticis, § 5, credentes (2). Patet proinde ex dictis Ecclesiam semper sibi vindicasse potestatem coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus.

Iansenistae cum non possent negare factum usus poenarum temporalium, dixerunt id Ecclesiam praestitisse ex Principum concessione; sed falsissime: etenim hoc ius competit Ecclesiae ex ipsa sua natura, quia est societas iuridice perfecta: ac, uti vidimus, afferentes Const. Ioannis XXII, Pii VI etc., *Ecclesia hoc ius sibi vindicat ut proprium et nativum* (3). Eapropter in can. quem declaravimus edicitur: « *Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate*, coercendi etc. ».

65. Ad rite intelligendum monitum Conc. Trid. de quo in § 2 huius can. 2214, animadvertendum est, quod Ecclesia intendit salutem animarum, idest sanctificationem in hac vita, beatitudinem in altera vita, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendandum, et ad ceteros deterrendos ab eius imitatione; hic est enim eius finis. Hinc Ecclesia, semper ultimum finem prae oculis habens, poenas quas infligit contra delinquentes, ita disponit ac decernit, quasi ad arcendas a fide-

(1) Regula 87 iuris in VI: « Infamibus portae non pateant dignitatum ».

(2) Cap. 13, X, *de haereticis*, § 5 (V-7); ibi: « Credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum, excommunicationi decernimus subiacere; firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec *ad publica officia seu concilia*, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittantur: *sit etiam intestabilis*, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ipsi *super quocumque negotio*, sed ipse aliis respondere cogatur » Cavagnis, l. c. 293 et sqq.

(3) Cf. Cavagnis, op. cit. n. 277 et seqq.

libus poenas aeternas: punit nempe delinquentes, *ut corrigangantur, et salvi fiant in altera vita*, imitans Apostolum qui tradidit Corinthium incestuosum satanae « *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi* » (1).

Huiusmodi conceptus disciplinae punitivae ecclesiasticae optime exprimitur a S. Gregorio M., qui requisitus a S. Augustino Angliae Apostolo de poenis decernendis contra fures rerum ecclesiasticarum, reposuit in Epist. 64 (lib. XI), ex adiunctis diiudicandam esse delicti gravitatem « ut quidam damnis, quidam verberibus, et quidam districtius, quidam vero levius corrigantur »; et addit « et cum paulo districtius agitur, ex caritate agendum est et non ex furore, *quia ipsi hoc praestatur quo corrigitur* (id est punitur), ne gehennae ignibus tradatur... Haec ergo caritas in mente tenenda est, et ipsa modum correctionis dictat ». Hisce brevissimis verbis S. Pontifex enuntiat iurisprudentiam criminalem ecclesiasticam. Hinc sapienter Legislator in § 2 huius canonis praecipit Episcopis ut habeant prae oculis *monitum Conc. Trid.*, sess. XXIII, de ref., cap. 1, *quo optime describitur officium Episcoporum*. Superfluum ducimus declarare verba cit. cap. 1. Conc. Trid., quae, clara et perspicua sunt, nec ulla egent declaratione (2). Hinc statim ad ulteriora progredimur, ac declarandum assumimus Titulum quartum. Sit itaque

Monitum Conc. Trid. quoad exercitium potest. coercitivae.

TITULUS IV.

De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione.

Notio ac divisio poenarum eccles.

CAN. 2215. — Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta.

CAN. 2216. — In Ecclesia delinquentes plectuntur:

1° Poenis medicinalibus seu censuris;

2° Poenis vindicativis;

3° Remediis poenalibns et poenitentiis.

(1) I. Cor., V, 5.

(2) Can. 7, Dist. 95; ibi: « Esto subiectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem suscipe. § 1. Sed Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos quasi Clericos, ut et ipsis a Clericis quasi Episcopis honor deferatur. § 2. Scitum est illud Oratoris Domitii: *Cur ego te*, inquit, *habeam* ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem? ».

CAN. 2217. — § 1. Poena dicitur :

1° *Determinata*, si in ipsa lege vel praecepto taxative statuta sit ; *indeterminata*, si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit sive praeceptivis sive facultativis verbis ;

2° *Latae sententiae*, si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti ; *ferendae sententiae*, si a iudice vel Superiore infligi debeat :

3° *A iure*, si poena determinata in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae ; *ab homine*, si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure statuta ; quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum*, postea *a iure* simul et *ab homine*, sed consideratur tanquam *ab homine*.

§ 2. Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eam esse *latae sententiae vel ipso facto* seu *ipso iure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur.

Notio poenae eccles.

66. *Poena* latiori sensu, id omne dicitur, quod hominem labore ac molestia afficit eumque certis bonis privat ; *strictiori autem sensu, est delictorum coercitio ad rei emendationem, vel ad disciplinae publicae satisfactionem.* Ideo poena ecclesiastica dicitur (c. 2215) — *privatio alicuius boni* — sive huiusmodi bonum sit materiale, uti ex. gr. collocatio in domo poenitentiae (c. 2302), sive spirituale, ex. gr. censurae. Deinde additur in can. — *ad delinquentis correctionem et delicti punitionem* — quibus verbis ostenditur finis et ratio poenarum ecclesiasticarum. Ecclesia enim pro suo supremo fine curandi salutem animarum, maxime intendit suis poenis emendationem delinquentis ; sed praeterea incumbit Ecclesiae tutela ordinis socialis, quia sine hoc ordine societas finem suum assequi non potest. Exinde patet quod *Ecclesia in poenis decernendis duplicem persequitur finem* : in primis nempe *emendationem delinquentis*, quam obtinere nititur per remedia poenalia, poenitentias et censuras ; *et restaurationem ordinis socialis*, curans unum et alterum obtinere, adeo ut si non sequatur rei emendatio, quae maxime Ecclesiae cordi est, tunc *decernat* poenas vindicativas ordinatas ad scandalum removendum et ad deterrendos fideles a delictis patrandis.

Immo etiam sequuta delinquentis emendatione, si urgeat necessitas reparandi scandalum, potest legitimus Superior congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere ad delictum puniendum et ad scandalum delicto datum reparandum ; (can. 2248, § 1).

Delictum enim impunitum evadere non debet, quia ordo externus iustitiae socialis vult et inclamat, ut malum poenae sequatur et quasi resarciat malum delicti (1).

Liquet proinde ex dictis curnam poena ecclesiastica in can. 2215 dicatur — privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem.

Poenarum eccles. divisio: *a*) ratione finis.

67. Sed praeterea ex eo quod Ecclesia in suis poenis decernendis maxime intendit emendationem delinquentis, iuxta illud Apostoli: « tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri I. Christi » (2), facile etiam intelligitur distinctio poenarum tradita in can. 2216, *in poenas medicinales* seu censuras, *poenas vindicativas*, *remedia poenalia et poenitentias*. Nam 1) vel delinquens seu publicus peccator se poenitens suorum criminum seu publicorum peccatorum petit publicas poenitentias seu impositas libenter acceptat: vel 2) eum non poeniteat suorum admissorum, sed adest tamen spes conversionis, aut in eo est ut in grave labatur delictum nisi se retrahat a quodam non recto semite; vel 3) nulla adest spes conversionis criminosi. In primo casu habentur poenitentiae; in secundo casu habentur remedia poenalia et censurae, quae exinde dicuntur poenae medicinales, quippe quae directius curant mederi vulneribus delinquentis; in tertio casu habentur poenae vindicativae.

b) ex natura sua.

68. Ex canonibus 2215 et 2216 quos explanavimus sequitur, quod poenae ecclesiasticae, spectata ipsarum *natura*, dividuntur *in spirituales*, quae ius aut bonum aliquod spirituale adimunt, *et temporales*, quibus aut bonum temporale subtrahitur, aut malum temporale infligitur. Poenae temporales, quae ad affligendum corpus pertinent, *corporales* dici solent. Ratione vero *finis* dividuntur in poenas *medicinales* seu censuras, in poenas *vindicativas*, et in *poenitentias aliaque remedia poenalia*.

Praestat nunc ut declaremus alias poenarum divisiones quae in can. 2217 proponuntur. Iamvero ex praescripto huius canonis poenae ecclesiasticae:

(1) Cap. 35, X, *De sententia excommunicationis*, V, 39; ibi: « Respondemus, quod cum Praelati excessus corrigere debeant subditorum, et *publicae utilitatis intersit ne crimina remaneant impunita*, et per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerunt, nequiores: non solum etc. ».

(2) I COR., V, 5.

69. *Ratione modi quo feruntur, aliae sunt a iure, aliae vero ab homine* prout a Legislatore per legem aut edictum perpetuum decernuntur contra illos omnes qui legem aut edictum violaverint; vel a Superiore feruntur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam. Licet enim semper sit auctoritas ecclesiastica, et proinde homo, qui censuras constituit, attamen poenae dici solent latae a *iure* vel ab *homine*, prout homo eas fert per modum legis stabilis, vel potius per modum praecepti transeuntis aut sententiae (1). Suarez de Censuris, disp. 3, Sect. 1, n. 2 scribit ad rem: « Duobus modis potest homo ferre censuram. Uno modo ferendo legem stabilem ac permanentem, obligantem sub hac poena, quam ipso facto incurrant eius transgressores. Alio modo potest homo ferre censuram proferendo sententiam, aut praecipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur ius aut statutum permanens, sed transitorium mandatum. Quando ergo censura fertur primo modo, dicitur esse a *iure*: quia... iam talis censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet velut commune nomen, et quasi per antonomasiam, vel accommodationem vocatur censura ab *homine*. Atque hoc sensu divisio illa communis est omnium theologorum et canonistarum ».

c) ratione modi quo feruntur.

Notetur quod si poena in ipsa lege vel praecepto taxative statuta sit, ex § 1, n. 1 huius canonis dicitur *determinata*; si vero prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit sive praeceptivis sive facultativis verbis, dicitur *indeterminata* (2).

70. *Ratione modi quo incurruntur* poenae tum a iure tum ab homine sunt, vel *latae sententiae, si ipso facto, idest statim patrato crimine incurruntur*, absque sententia iudicis condemnatoria, vel *ferendae sententiae, si a iudice* vel Superiore *infligi*

d) ratione modi quo incurruntur.

(1) Pierantonelli, *Praxis fori ecclesiastici*, tit. 6, n. 3.

(2) Poenae quae nunc in novo Codice iuris can. dicuntur *determinatae* vel *indeterminatae*, antea dicebantur a DD. *ordinariae vel extraordinariae*. Ratione *determinationis* in iure (ita Wernz l. c. n. 74) poenae dividuntur: *in ordinarias*, quae in ipsis legibus secundum individuam rationem certo definiuntur, et in *extraordinarias* sive *arbitrarias*, quarum determinatio aut inflictio prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici relinquitur pro personarum et rerum circumstantiis ». Vid. Card. Lega l. c. nn. 25, 78, 90.

debeant per sententiam condemnatoriam legitime prolatam. Sub n. 3, § 1 h. can. animadvertitur quod poenae a *iure* ferendae sententiae, ante sententiam condemnatoriam sunt a *iure tantum*, postquam infliguntur a iudice per sententiam condemnatoriam, sunt *a iure* simul et *ab homine*, sed considerantur tanquam *ab homine*.

Placet heic referre ea quae tradit ad rem Card. Lega l. c. n. 90 : « Poenas f. sent. in exsecutione fieri pene *arbitrarias* (idest ab homine) supra probavimus pag. 32. Quod ita intelligi debet. — Poena f. s. etsi concepta sit hisce verbis *praeceptivis* ut Ordinarius eam applicare debeat, quoties constet de crimine consummato, (Suarez, De leg. cap. V. 11), tamen attentis circumstantiis *aggravantibus aut minuentibus* moralem imputabilitatem, eandem poenam aggravare vel extenuare debet, quatenus fieri potest, ut sit proportionata gravitati seu gradui delicti ». Et pag. 32 cit. scribit : « Quare poenae f. sententiae quamvis ad certum casum determinatae, attenta indole iuris canonici aliquid concedunt prudenti iudicis arbitrio, qui valeret, pro rerum et personarum adiunctis, poenam moderari, vel eandem applicare delicto etsi non undequaque perfecto et consummato, si exinde non minus turbatus fuisset ordo socialis et casus gravitas id expetat ».

71. In § 2 huius canonis statutum est quod *poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eam esse latae sententiae vel ipso facto seu ipso iure contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur*. Maxime interest cognoscere an poenae sint latae vel ferendae sententiae, quia utriusque poenarum generis diversi sunt effectus.

Normae quibus intelligitur an poena sit l. s. vel fer. s.

Hinc Legislator in hoc canone statuit **principium** — poenam intelligi semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur contrarium.

Ratio huius principii apertissima est ; etenim poena, suapte natura, non in faciendo, sed in patiendo consistit ; consequenter omnis poena eget officio iudicis, idest irroganda est a iudice ; quod idem est ac dicere — poenas intelligi semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eas esse latae sententiae. Heic animadvertit D'Annibale, in poenis irrogandis alias legislatoris, alias iudicis, alias rei esse partes : illius est poenas decernere, istius

infligere, huius pati. Quandocumque igitur lex poenas in delinquentes decernit, tenendum est, non ad reum, sed ad iudicem loqui, cuius proinde erit eam irrogare : atque ideo quamdiu officio iudicis non fuerit irrogata, ne intelligi quidem potest (1). Sed aliquando lex ipsa sumit officium iudicis et poenas infligit delinquenti, nempe ad efficaciorem criminis praeventionem et repressionem, iubet ipso facto seu statim, crimine admisso, reum poena teneri, ne delinquat cum spe effugiendi iudicis animadversionem. Tunc habentur poenae latae sententiae ; sed requiritur omnino ut Legislator claris apertisque verbis hanc suam ostendat voluntatem. Hinc verba legis diligenter perpendenda sunt. Si iubet eas irrogari, v. gr. suspendatur, excommunicetur, iudici iubet, atque ideo esse ferendae sententiae palam est. Si vero dixerit, sit excommunicatus, suspensus *ipso facto, ipso iure, statim, ex tunc*, palam est esse latae sententiae. Item poena est latae sententiae si Legislator dicat — excommunicamus, suspendimus ; vel si reo quidem loquatur, sed quasi iam condemnato, v. gr. sciat, vel noverit se esse excommunicatum. vel maneat excommunicatus. Paucis : si lex decernit poenas in delinquentem, quin provocet ministerium iudicis ad poenam infligendam, sed ipsum delinquentem alloquitur, quem monet eum iam esse certa poena mulctatum, habetur poena latae sententiae ; siquidem ipsa lex officium iudicis sumit et poenas infligit delinquenti. *In dubio an poena sit latae vel ferendae sententiae, poena intelligitur fer. sententiae*, tum ex aperta dispositione § 2 huius canonis ; tum etiam quia in odiosis semper benignior sententia tenenda est ; etenim poenae latae sententiae graviores sunt, uti patet, poenis ferendae sententiae (2). Unde D'Annibale concludit l. c. § 303, not. 18 : « Et, ut generaliter dixerim, nisi appareat manifeste poenam esse l. s., eam esse f. s. omnino tenendum est ».

In dubio poena censetur fer. s.

Denique notetur discrimen inter poenas latae et poenas ferendae sententiae. Illae enim tenent delinquentem a momento patrati criminis ; hae vero reum tenent a die latae sententiae

(1) D'Annibale l. c. § 303 not. 13. Suarez *De leg.* lib. V, cc. VI, VII ; *De Censuris*, Disput. 3, Sect. 3.

(2) D'Annibale l. c. § 303.

condemnatoriae, ita ut si sententia sit nulla, etiam ob formae defectum, nulla incurratur poena.

Aequa servetur proportio inter delictum et poenam.

CAN. 2218. — § 1. In poenis decernendis servetur aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; quare attendi debent non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personae quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, finis intentus, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia.

§ 2. Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur.

§ 3. Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta si casus ferat, poena.

72. Fundamentale principium quod in § 1 huius canonis constitutum est, semper prae oculis haberi debet in poenis decernendis. Praecipit enim Legislator ut *in poenis decernendis aequa servetur proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni*. Et merito quidem, uti enim docet cl. Carrara, tota iuris poenalis scientia in hac formula continetur « *delictum non est ens materiale seu simplex factum, sed est ens iuridicum* » (1). Delictum nempe est ens iuridicum, quatenus laedendo aliquod ius, secumfert iam expressum seu determinatum debitum suae satisfactionis; nec fas est iustitiae humanae hos limites praetergredi. Hinc delictum debet coerceri a publica auctoritate, non pro eius arbitrio, sed pro mensura iuris laesi, ad normas iustitiae aeternas, servata nempe aequa proportione inter delictum et poenam, quae obiective accommodata esse debet *quantitati* et *qualitati* delicti. Quapropter prout gravius vel levius est crimen, gravior vel levior poena infligenda est. Quia igitur crescit vel minuitur gravitas delicti prout crescit vel minuitur et dolus seu moralis imputabilitas delinquentis, et perturbatio ordinis socialis seu scandalum et damnum illatum, consequenter, *ut servari possit aequa proportio inter delictum et poenam, ea omnia diligentissime attendenda sunt quae tra-*

Adiuncta perpendenda ad norm. tit. II.

(1) CARRARA, *Programma del corso di diritto criminale*, pag. 12 et § 150.

duntur in titulo de imputabilitate delicti... quaeque in hac § 1 brevissimis verbis referuntur. Quin igitur immoremur in declarandis singulis verbis huius § 1 quibus referuntur fere omnes canones cit. Tituli 11 *De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus* etc.. melius est ut heic recolantur ea omnia quae diximus supra, praedictum titulum explanantes.

73. Nunc animadvertendum est, quod dispositio § 2 huius can. potest haberi uti corollarium § 1. Posito enim principio quod aequa proportio servanda est inter delictum et poenam, necessario consequitur quod nulla poena haberi potest, ubi *nulla vel levis est culpa seu imputabilitas*. Notissima enim est regula 23 iuris in VI: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ». Diximus — nulla vel levis — quia *de minimis non curat Praetor, et in levia vix animadvertitur* (1). Quando igitur exulat gravis imputabilitas cessare quoque et poena dicenda est: secus nulla esset proportio inter delictum et poenam. Sequitur proinde quod *illi qui excusantur a gravi culpa seu imputabilitate,* ipso naturali iure, *excusantur quoque a poenis tum latae tum ferendae sententiae.* Hinc merito scribit D'Annibale l. c. §. 312: « Ad haec multa sunt quae reum excusant a poenis vel *incurrendis*, vel subeundis. Ab incurrendis excusat, naturali iure, quidquid excusat a peccato lethali (in levia vix animadvertitur) ». Et Card. Lega l. c. n. 102 in nota concludit: « Quare non videtur probanda agendi ratio Episcopi qui, ob non gravem culpam, clericum suspensione mulctaret » (2). Denique notetur quod ut quis possit excusari a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae in foro externo, legitimis probationibus evinci debet defectus gravis imputabilitatis.

Excusantia a gravi imputabilitate, excusant a qualibet poena.

74. Tandem adiicitur in *postrema* § *huius* canonis, quod *mutua iniuria compensatur*, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena.

(1) Cap. 1. X, *De sententia excommunicationis* V, 39; cap. un., *de homicidio voluntario vel casuali*, V, 4, in Clem. D'Annibale, l. c. § 312 not. 69, « ... quia si levis est culpa, ignorantia excusat per se, nam poenae regulariter cessant ubi levis est culpa: S. Alphons. VII, 31, 34 ».

(2) Cf. Bened. XIV, *De synod. dioec.* lib. X, cap. 1. n. 3; Conc. Trid. sess. XXV de ref. cap. 3.

Ad hanc § 3 rite intelligendam prae oculis haberi debet canon 1938 quo edicitur: « § 1. In causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae. § 2. Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest *etiam ex officio* ». Exinde liquet quod *mutua iniuriarum compensatio admittitur quando actio criminalis institui nequit sine praevia denuntiatione* vel querela *partis laesae;* minime vero quando, ad normam § 2 canonis transcripti, actio criminalis potest institui *etiam ex officio.* Et planum est.

Mutua iniuria compensatur.

CAN. 2219. — § 1. In poenis benignior est interpretatio facienda.

§ 2. At si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo.

§ 3. Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can. 2231.

Legis poen. interpretatio.

75. Legis interpretatio nihil aliud est quam *genuini sensus legis declaratio,* et *ratione fontis* unde emanat *est authentica, usualis* vel *doctrinalis,* prout a legislatore, vel a consuetudine vel a Doctoribus fit. *Ratione vero modi* quo operatur, *alia est declarativa,* quae ab aliis comprehensiva, ab aliis grammaticalis appellatur, quae proprie versatur circa verba legis declaranda quaeque esse potest *vel lata, vel stricta vel litteralis; alia vero logica,* quae proprie attendit voluntatem legislatoris, et esse potest *extensiva vel restrictiva* prout spiritus legis latius vel minus patet quam verba quibus lex concepta est.

Notio et divisio interpretationis.

Hisce breviter adnotatis, nunc ad interpretationem legis poenalis quod spectat, animadvertendum est, quod poenae, licet in bonum commune ferantur, semper, ut evidens est, sunt quoad singulos odiosae, quippe inferunt alicuius boni privationem (can. 2215); hinc ex praescripto can. 19 « *strictae subsunt interpretationi* »; et in dubiis, sive facti, sive iuris, id semper accipiendum est, quod est favorabilius reo, iuxta notissimas regulas 15 et 19 R. I. in VI: « *Odia restringi et favores convenit ampliari* » — « *In poenis benignior est interpretatio facienda* ». Praestat igitur ut

evolvamus pro re nostra hanc secundam regulam, idest 49 R. I. quae, uti quisque videt, in § 1 huius can. transcripta est.

76. Quia igitur *in poenis benignior est interpretatio facienda, hinc in dubio sive facti, sive iuris Reo favendum est.*

In dubio reo favendum.

Dubium facti habetur, quum, necessariis adhibitis inquisitionibus, dubitatur an crimen patratum sit, vel an fuerit consummatum: ex. gr. an abortus revera sequutus fuerit, vel non adparet an quis deliquerit, ex. gr. an Titius receptaverit Caium quasi haereticum vel quasi consanguineum.

Dubium iuris habetur quando dubitatur an poena huic facto criminoso adnexa sit, vel etiam dubitatur utrum poena sit latae vel fer. sententiae. In utroque igitur casu iudici haud fas est poenas inferre; non in dubio facti, quia poena ex delicto dubio non oritur; non in dubio iuris, quia nulla poena sine lege, salvo semper praescripto can. 2222 § 2. Hinc decernit in huiusmodi casibus — crimen non fuisse patratum — poenam non esse constitutam — vel poenam constitutam esse ferendae sententiae (can. 2217 § 2). Et merito quidem; uti enim monet l. 5 ff. *De poenis* — satis est relinqui impunitum facinus nocentis, quam innocentem condemnare.

77. Si vero constet de facto criminoso, et adsit lex poenalis qua delictum compescitur, sed tamen opus est vel interpretatione verborum legis ad sensum legis explanandum, scilicet opus est interpretatione *declarativa:* vel investiganda est voluntas legislatoris, an nempe voluerit, vel minus, hunc casum particularem in lege comprehendere, *logica* nempe interpretatione utendum est; tunc in primo casu fit locus strictae interpretationi, in secundo vero casu adhibenda est interpretatio restrictiva. *In primo casu*, uti diximus, fit locus strictae interpretationi, idest *verba legis stricte sunt accipienda*, iuxta can. 19, quia interpretatione legum, *poenae potius molliendae sunt, quam exasperandae.* Ideoque verba legis in toto rigore ac proprietate teneantur, et strictissime limitentur, quantum proprietas verborum permiserit; et si duas interpretationes aeque bene recipere possunt, semper benignior praeferenda est. Hinc docet D'Annibale: « Poenae statutae adversus simoniacos, vel bigamos, coercendae sunt ad reos simoniae iuris divini, (S. Alph. III, 108) et ad bigamos veros ... Suspensionibus in male *ordinatos* non

Interpretatio: *a*) stricta.

subiacent Episcopi, quippe non ordinari, sed *consecrari* dicuntur» (1).

b) restrictiva.

78. In secundo casu, *quando nempe adhibenda est interpretatio logica, fit locus interpretationi restrictivae*, qua tamen, notetur, utendum est, quoties id patiatur ipsa ratio legis; ita ex. gr. excommunicatio lata in spectantes duellum (can. 2351), non tenet eos, qui raptim duellantes intuentur, vel si e conclavi respiciant, scilicet secreto per fenestras respiciant. Diximus — quoties ratio legis id patitur; — nam ubi nulla ambiguitas, dubium nullum occurrit, legi parendum est.

Sunt nonnulli *Doctores qui tradunt* in legibus poenalibus interpretandis *locum fieri oportere interpretationi extensivae ob identitatem rationis*, si haec in lege sit expressa: scilicet si ratio legis sit expressa, et in casu non expresso, eadem prorsus ratio insit. Ratio est, ipsi dicunt, quia ratio legis est anima legis, et ubi eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio. « Utique (respondet D'Annibale l. c. § 188), ratio legis est anima legis, ex eaque licet interdum legem contrahere vel coercere; at non semper; nonnunquam enim ratio non satis apta est, interdum plus patet, interdum minus; inde aliud effatum: *ratio iuris non facit ius*. Quare hoc tenendum est, legem non ratione, quae legislatorem movit, sed voluntate eius contineri; voluntatem autem legislatoris eam esse, quam verba demonstrant». Igitur lex, non ratione qua nititur, sed verbis quibus concepta est, continetur.

Quapropter *in legibus poenalibus interpretandis* hoc *veluti axioma* tenendum est: « **poenae non excedunt proprium casum** ». Haec enim est scribit Suarez, De legibus, VI, 3, 7) iuridica ratio exponendi omnes canones poenales, et destructo hoc generali fundamento, tollitur certitudo in his legibus explicandis, Unde *in poenalibus argumentum neque a simili, neque a maiori est validum*, sed oportet ostendere ius expressum. Quocirca (ita D'Annibale l. c. § 304, not. 8) non extenditur 1° *de persona in personam*... 2° Non *de casu ad casum*, ne de minori quidem ad maius (Suar. 22, 4, 23. S. Alph. III, 473; VII, 345); nam iura saepe delicta coercent, non quia atrociora illa sunt, sed

c) argumentum *a simili* vel *a maiori* non valet.

(1) D'ANNIB., l. c. § 304, not. 5; SUAR. 31. 1, 29.

quia frequentiora (L. 16, § Evenit de Poenis) ». Merito proinde in § 3 huius canonis 2219 edicitur : « Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can. 2231 (1).

79. Notetur vero quod *extensio locum habet :* 1) *In contentis* seu in iis quae continentur ut pars in toto : hinc ex. gr. poenae statutae adversus haereticos, vi sua tenent apostatas. 2) Si *extensivae interpretationis faveat constans omnium DD. interpretatio :* haec enim interpretatio proxima est, uti docet D'Annibale l. c. § 184, interpretationi usuali, quae nempe introducta est usu et consuetudine, et consuetudo ex can. 29 « est optima legum interpres » ; hinc regula : « minime sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt ». 3 Si *lex non extenderetur ad casus non expressos, evaderet irrisoria et absurda.* Ita excommunicatio lata in eos (can. 2339) qui mandant sepulturae ecclesiasticae illos qui ab ea excluduntur ex praescripto can. 1240, § 1, irrisorie intelligeretur percellere solos vespillones.

d) exceptiones.

80. Tandem animadvertitur in § 2 huius can. quod « *si dubitetur utrum poena*, a Superiore competente *inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo* ». Et merito quidem : ordo enim publicus expostulat, ut obsequium praestetur iudicibus ac Superioribus legitime constitutis; alioquin pessumdaretur, cum magno detrimento societatis, subordinatio debita auctoritati constitutae (2). Praeterea ipsum ius naturale obligat, ne potestati publicae, iuste, et iuridice praecipienti, resistatur, etsi, quod praecipit, minus iustum sit (3). Insuper cum omnis subditus potestati a Deo constitutae resistere prohibeatur, cumque nemini liceat in causa propria sibi ius dicere, profecto palam est, cur damnatus

Poena inflicta servanda est, etsi dubitetur an sit iusta.

(1) Cap. 2, X. *De his, quae fiunt a maiori parte capituli*, III-11 ; c. 37, *de electione et electi potestate*, 1, 6, in VI.

(2) C. 1, 4, 27, 30, 31. C. XI, q. 3 ; cap. 8, X, *de officio iudicis ordinarii*, 1, 31 : cap. 3, X, *de appellationibus* etc. 11, 28 ; cap. 40, 48, *de sententia excommunicationis*, V, 39 ; cap. 1, 2, 14, *de sententia excommunicationis* etc. V, 11, in VI ; cap. 5, X, *de clerico excommunicato*, V, 27 : ibi : « quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, *etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere*, quam Sacramenta ecclesiastica pertractare ».

(3) Schmalzgrueber, *De sent. excomm.* n. 83.

iniuste nequeat se innoxium declarare, aut solvere extrinsecus ab iniustis vinculis; sed opus habet instar reorum ad sublimiores iudices provocare. Hinc scribit Gratianus, can. *Non solum*, 77, C. 11, q. 3: « Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat: *ne, etsi iniuste ligatus est,* ex ipsa tumidae reprehensionis superbia, culpa, quae non erat, fiat » (1). Regula tamen in hac § 2 constituta *fallit* quando agitur de poenis in quibus, uti suo loco declarabimus, admittitur appellatio in suspensivo.

TITULUS V.

De Superiore potestatem coactivam habente.

Quis potest statuere poenas?

CAN. 2220. — § 1. Qui pollent potestate *leges ferendi* vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; *qui iudiciali* tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.

§ 2. Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas.

Qui potest leges ferre vel dare praecepta.

81. Quod *omnes qui possunt condere leges vel dare praecepta, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere*, sequitur ex alias dictis. Inutile enim esset leges condere vel imponere praecepta, nisi propositis poenis effici possit, ut leges conditae vel praecepta data observentur, improbique homines in officio contineantur. Poena enim sancit legem, seu eam firmat ac efficaciam eidem impartitur ad hominum voluntates movendas. Hinc iure meritoque illi omnes qui possunt ferre leges, possunt quoque eodem iure quo statuunt leges, poenas eisdem adnectere ad homines deterrendos a delinquendo ob timorem salutarem huiusmodi poenarum (2).

Nequeunt: *a*) pollentes sola pot. iudiciali.

82. Quod vero illi *qui pollent potestate tantum iudiciali, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare,* sequitur ex ipso conceptu iudicis. Iudex enim *a iure dicendo* appellatus, est: « *persona legitima, quae publicam habet potestatem cognoscendi de litigantium controversiis, ac de*

(1) Cf. D'ANNIBALE, l. c. § 307.
(2) CAVAGNIS, l. c. n. 138.

eisdem ferendi sententiam secundum legum praescripta ». Hinc iudicis est *dicere ius, non condere ius* : spectat nempe ad iudicem legem applicare seu edicere quod est conforme iuri constituto ; ideoque iudex utpote inferior legislatore, ipsi inservit, ac poenas ab ipso legitime statutas ad normam iuris applicat, idest servato procedendi modo a iure praestituto (1). Ita omnis praecluditur aditus arbitrio iudicis, et evitatur abusus iustitiae, si nempe ius puniendi a magistratuum seu iudicum arbitrio penderet et omnia arbitrio iudicis remitterentur. Unde legitur in can. 4, Causae 3, quaest. 7 : « Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis, *sed iuxta leges et iura pronunciat, statutis iuris obtemperat*, non indulget propriae voluntati, *obsequitur legibus*, non adversatur, examinat causae merita, non mutat ». Et in cap. 1, X, *de Constitutionibus*, 1-2 legitur : « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu, sed *eorum auctoritate ducatur* » (2).

83. Praeterea in § 2 huius canonis edicitur, *Vicarium Generalem sine mandato speciali non habere potestatem infligendi poenas.* *b*) Vicarius Gen. sine mandato spec.

Et hoc facile intelligitur, si habeatur prae oculis can. 368, (§ 1) quo determinatur potestas Vicarii Generalis. Huic enim ex praescripto praedicti canonis, *ei officii* ea competit iurisdictio, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, *exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.* Iamvero ex hoc can. 2220, § 2, ad poenas infligendas requiritur speciale Episcopi mandatum. Ergo sine hoc mandato Vicarius Generalis poenas infligere non potest. Notetur vero quod si Vicarius Generalis, ad normam can. 1573, § 2, sit etiam Officialis, tunc utique potest sine speciali mandato Episcopi infligere poenas. Et ratio est quia infligere poenas spectat ad potestatem iudicialem (3), qua pollet officialis ex praescri-

(1) Maschat, *Cursus iuris canonici*, tom. 3, n. 202.

(2) Can. 3, Dist. 4, ibi : « Cum leges fuerint institutae et firmatae, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas » ; l. 3 Cod. *De sententiis et interlocutionibus.*

(3) D'Annibale l. c. § 303 not. 13 animadvertit, legislatoris esse poenas decernere, *iudicis infligere*, rei pati. Et in can. 2217, § 1, n. 2 legitur : « Poena dicitur... *ferendae sententiae si a iudice* vel Superiore *infligi* debeat ».

pto cit. canonis 1573, § 1 ubi legitur: « Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere *cum potestate ordinaria iudicandi*, a Vicario Generali distinctum, nisi etc. ».

CAN. 2221. — Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare.

Lex div. vel eccles. ab inferiore, poena sanciri potest.

84. Ex praescripto huius canonis *habentes potestatem legislativam possunt congrua poena munire*, tum legem a se vel a decessoribus latam, *tum etiam*, ob peculiaria rerum adiuncta, intra limites suae iurisdictionis, *legem tam divinam*, quam *ecclesiasticam a superiore potestate latam*, in territorio vigentem.

Primum patet ex iis quae diximus declarantes can. 2220, necnon, ad leges latas a decessoribus quod spectat, ex regula 46 iuris in VI: « *Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit* ».

Quoad secundum iam innuimus supra, declarantes notionem delicti, per violationem legis divinae haberi peccatum, minime vero delictum; sed si lex divina a competente auctoritate ecclesiastica muniatur aliqua poena, tunc violatio huiusmodi legis constituit delictum. Ergo lex divina, ob peculiaria rerum adiuncta, potest a competente auctoritate ecclesiastica, idest ab illis qui pollent potestate legislativa, intra limites suae iurisdictionis, congrua poena muniri.

Et sicut legem divinam, ita pariter et legem ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, possunt sacrorum Antistites congrua poena munire vel etiam poenam lege statutam aggravare. Ipsi enim ius habent et officium exigendi a suis subditis sicut suarum, ita et praedictarum legum rectam observantiam. Consequenter contra transgressores huiusmodi legum poenas decernere possunt, vel poenas lege statutas aggravare.

CAN. 2222. — § 1. Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit.

Poena ne infligatur, nisi prius comminetur. Excipe si adsit scandalum.

§ 2. Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae ».

85. Legistativam habentibus potestatem ius est, uti vidimus (can. 2221), adnectendi poenas legibus nedum a se vel a decessoribus latis, sed etiam legibus ecclesiasticis a superiore potestate conditis, in territorio vigentibus, immo et legibus divinis. Nunc vero additur in hoc canone, *posse legitimos Superiores aliqua iusta poena punire, etiam sine praevia poenae comminatione, transgressiones legum, quae carent sanctione poenali, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat.* Et iure meritoque; omnia enim iura conclamant, quando adest scandalum, ut per iustam poenam inflictam reo, scandalum reparetur, ne lues mali exempli alios fideles inficiat. Eapropter legitimus Superior, ut possit consulere bono animarum aliorum fidelium, potest, ad ipsos deterrendos a similibus patrandis, infligere poenam antea non statutam, etiam sine praevia poenae comminatione. Et ratio est, uti innuimus supra (n. 6, quia *praevia constitutio legis poenalis, vel etiam comminatio poenae*, in iure ecclesiastico *non ita absolute et taxative exigitur, ut si desit, nulla poena infligi queat.* Hinc recte scribit cl. Wernz l. c. n. 14: « nec ex natura rei videtur esse repetendum, quod violationes legum tum solum subiaceant sanctioni poenali, cum haec per antecedentem legem poenalem fuerit statuta [1]: nam fundamentum potestatis coercitivae est, ex una parte imputabilitas externi peccati ad poenam, ex alia parte conservatio et tutela efficax ordinis socialis, quae imputabilitatem ad poenam refert ad potestatem socialem [2]. Ex quo duplici fundamento non

[1] Cfr. Rossi, *Diritto Penale*, l. IV, c. 1 della legge penale.
[2] CAVAGNIS, l. c. t. I. n. 126.

deest in superiore ecclesiastico, perfecta fori externi iurisdictione praedito, potestas ad castigandas veris poenis illas violationes legum, quae ordinem socialem perturbant vel cum gravi fidelium scandalo sunt coniunctae, *saltem praemissa monitione*, qua legis transgressor admonetur desistere a transgressione praesertim tractum successivum habente vel ad reparandum scandalum datum adigitur ». Et Card. Lega l. c. num. 20 scribit : « In iure ecclesiastico *lex poenalis* non est ita expressa ut punire non valeat actus forsan nulla lege positiva prohibitos, sed vetitos lege *naturali* aut *divina* aut tantum *civili* ; quando isti actus turbent ordinem socialem Ecclesiae... Quocirca in iure can. admittuntur etiam poenae *arbitrariae* seu *extraordinariae*, ceu nulla lege positiva determinatae, sed remissae arbitrio iudicis » [1]).

Regulariter reus puniri nequit, nisi prius monitus.

86. Sed *si scandalum non adsit*, neque specialis transgressionis gravitas id ferat, *non potest legitimus Superior poenas infligere, quin prius reum moneat cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae, in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit.* Et ratio est, quia reus violans legem, quae nullam sanctionem appositam habeat, ignorans invincibiliter legem poenalem, nondum enim constituta est, uti supponitur, ipsam non spernit, ideoque poena mulctari non potest (can. 2202, § 1). Eoque magis monitio praemittenda est, quando agitur de poenis medicinalibus seu censuris, quae ex natura sua dirigunturad frangendam contumaciam delinquentis.

Ob delictum probabile vel praescriptum.

87. Hisce adnotatis quoad § 1 huius canonis, nunc ad § 2 quod spectat, animadvertendum est, quod — *licet probabile tantum sit delictum* fuisse commissum *aut* delicti certe commissi poenalis *actio praescripta sit*, tamen legitimus Superior, non solum ius, sed etiam officium habet :

a) non promovendi clericum, de cuius idoneitate non constat ; et,

b) ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii, aut etiam

c) eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi ; quae omnia in casu non habent rationem poenae.

(1) Suarez, *de leg.* V. c. 11.

88. Iamvero quod Episcopus possit, imo debeat in casu interdicere suo subdito ascensum ad ordines, sequitur omnino ex can. 973, § 3 ubi legitur: « Episcopus sacros ordines nemini conferat *quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate;* secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis ». Sed quisque videt, quod licet probabile tantum sit, delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, Episcopus tamen non potest esse moraliter certus de clerici promovendi canonica idoneitate, et consequenter, ad normam can. 973, non potest, quin gravissime peccet, ordines tali clerico conferre (1). Neque poenam Episcopus infligit clerico ipsum non promovendo, sed consulit decori status clericalis, cui ex praescripto cit. can. 973, § 3, illi tantum adscribi possunt, quorum canonica idoneitas positivis argumentis comprobatur.

Clericus: *a*) non promovetur

89. Quod vero legitimus Superior, ad scandalum evitandum, *possit, imo debeat clericum interdicere sacrorum exercitio,* sequitur ex ipso munere quo Sacrorum Antistites adstringuntur providendi saluti animarum suorum subditorum, ideoque removendi scandalum. Haec prohibitio sacri ministerii non est censura neque poena, sed est, ait D'Annibale l. c. § 385: « *providentia quaedam pastoralis*, quae clericum de graviore crimine postulatum, vel suspectum, sacris interdicit ad scandala removenda, sive, uti aiunt, *ad cautelam* (2). Haec... irrogari potest ob solam criminis suspicionem, si haec graviter existimationem onerat (3), sed tantum ab officio, et ab administratione beneficii » (4). Et addit in nota 44: « Haec suspensio *pertinet ad honorem sacri ministerii*, quia non decet, fama laborantem (prout corpore vitiatum) operari sacris, si exinde scandalum, rumores, obtrectationes suboriantur. Hisque subortis, quoad cessaverint, nihil proderit suspenso, quod crimina poenitentia dele-

b) vel sacris interdicitur.

(1) Conc. Trid., sess. XIV, de ref. c. 1; S. Congr. Conc., *Vercellen.* 21 Mart. 1643; S. C. de Prop. Fide, Instr. d. 20 Oct. 1884.

(2) Can. 13 et 14 Caus. 25.

(3) Can. 13 et 14 Caus. 2, 5.

(4) Cap. 10, *De purgat. can.*, X, V, 34; cap. 4, 5 X. *De simonia*, V. 3.

verit, vel quod nullum crimen admiserit, vel eo absolutus fuerit in iudicio ». Et Card. Lega l. c. n. 190 scribit: « Sed ob bonum publicum, seu idcirco quod non deceat sacra tractari ab eo quem vel publica fama exprobrat, vel urget criminis publici accusatio iudicialiter instituta, sane non est aliena a providentia episcopalis regiminis eiusmodi suspensio *ad cautelam*, vi cuius prohibetur exercitium sacri ministerii, *ordinati in regimen fidelium;* arg. c. c. 26 De accusat., X (V. 1), et 10 De purg. can. X (V. 34) ».

c. aut ab officio amovetur.

90. Tandem quod legitimus Superior, *non solum ius, sed etiam officium habeat amovendi*, ad normam iuris, *eundem clericum ab officio, sequitur ex can. 2147*, quo edicitur: « § 1. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, *etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.* § 2. Hae causae sunt praesertim quae sequuntur: ...3° Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo eius crimine quod nuper detectum eximatur iam poena ob *praescriptionem*... ».

Haec non habent rationem poenae.

91. Denique postrema verba huius canonis « *quae omnia in casu non habent rationem poenae* »; facile intelliguntur ex iis quae hactenus diximus. Et caeteroquin quod ea quae statuta sunt in § 2 huius canonis non habeant rationem poenae, exinde etiam patet, quia decernuntur, non in vindictam criminis, quod forte haud commissum est, vel si commissum, iam poena eximitur ob praescriptionem; non ad correctionem rei vel ad frangendam contumaciam delinquentis, sed ad scandalum *evitandum*, ad providendum honori sacri ministerii, ad consulendum saluti animarum.

Potestas iudicis in applicandis poenis:

CAN. 2223. — § 1. In poenis applicandis iudex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant.

§ 2. Si lex in statuenda poena ferendae sententiae facultativis verbis utatur, committitur prudentiae et conscientiae iudicis eam infligere, vel, si poena fuerit determinata, temperare.

§ 3. Si vero lex utatur verbis praeceptivis, *ordinarie poena* infligenda est; sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur:

1°. Poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;

2°. A poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus,

et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis;

3°. Poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem.

§ 4. Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet.

Norma generalis

92. In hoc can. optime evolvitur ac determinatur *potestas iudicis in poenis applicandis*. Cumque poenae a iure statutae sint vel *latae* vel *ferendae sententiae*, hinc statuitur quodnam sit munus iudicis in huiusmodi poenis applicandis. Prae primis in § 1 *norma generalis* constituitur, scilicet: *iudicem non posse poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant*. Et merito quidem; nam, uti diximus (can. 2220), iudex, a iure dicendo dictus, edicit quod est conforme iuri constituto. Ipse enim non fungitur munere legislatoris, sed magistratus, qui auctoritative legem applicat facto; ideoque, utpote inferior, non potest poenam determinatam minuere vel augere ex suo arbitrio, quia non licet eidem de legibus iudicare, sed secundum ipsas (1).

Additur — *nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant* —; sed tunc iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges et iura poenas infligit (2), quae praecipiunt, aequam proportionem inter delictum et poenam esse servandam (can. 2218).

a) In poenis fer. sent. statutis verbis *facultativis*

93. Hoc principio firmiter constituto in § 1, deinde in §§ 2 et 3 *determinatur munus iudicis in applicandis poenis fer. sententiae*. Sed quia lex in statuendis poenis fer. sententiae, aliquando utitur verbis facultativis, aliquando vero verbis praeceptivis, hinc § 2 edicitur, quod *si lex in statuenda poena fer. sententiae facultativis verbis utatur, negotium committitur prudentiae et conscientiae iudicis*, qui potest proinde suo prudenti iudicio vel a poena infligenda abstinere, vel, si poena fuerit determinata, eam temperare.

(1) Can. 3, Dist. 4.
(2) Can. 4, Caus., 3, q. 7.

b) vel praeceptivis

94. Si vero poena ferendae sententiae concepta sit *verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est:* quia obtemperandum est legi (can. 2220, § 1). Attenta tamen indole iuris canonici, etiam quando lex utitur verbis praeceptivis, *multum committitur conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris,* qui potest ad normam § 3 huius canonis, pro rerum et personarum adiunctis, poenae applicationem differre, vel a poena infligenda abstinere, vel poenam determinatam temperare, aut loco ipsius, aliquod remedium poenale adhibere, aut aliquam poenitentiam iniungere. Eapropter si iudex vel Superior *praevideat eventura mala maiora* ex praepropera rei punitione, *potest differre poenae applicationem* ad tempus magis opportunum. Siquidem ea quae inducta sunt ad unum effectum, nempe ad emendationem delinquentis et ad restaurationem ordinis socialis, non debent contrarium eius operari. Agitur enim de re gravissima et odiosa, in qua maxima cautela procedendum est. Item *si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum repararerit, potest* iudex vel Superior *a poena infligenda abstinere.* Etenim Ecclesia, uti supra adnotavimus, in poenis inferendis duplicem finem persequitur, idest emendationem delinquentis, et restaurationem ordinis socialis. Si igitur haec iam fuerint obtenta, non est cur poena infligenda sit in casu.

Pariter committitur conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris abstinere a poena infligenda, *si reus sufficienter punitus sit vel puniendus* praevideatur *poenis auctoritate civili sancitis.* Agitur, uti quisque videt, de delictis *mixti fori,* de quibus in can. 1933, § 3 edicitur: « In delictis *mixti fori* Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit ».

Denique additur sub num. 3° § 3, quod si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, ex. gr. si delictum non ex deliberato proposito delinquendi, sed ex subitanea rixa, iusto dolore, vel animi infirmitate etc. commissum est; vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, et tamen iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem, potest poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere. Et planum est.

95. Hisce statutis quoad munus iudicis in applicandis poenis ferendae sententiae, nunc *quoad poenas latae sententiae* edicitur in § 4 huius can. quod *generatim committitur prudentiae Superioris poenam latae sententiae declarare;* sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia dari debet. Sciendum enim est quod, quamvis poena latae sententiae teneat *ipso facto* delinquentem criminis sibi conscium (can. 2232, § 1), admisso crimine, tamen *interest societatis ut ipsa* certior fiat officio Superioris. Titium vel Sempronium poenam incurrisse, ac certis iuribus in poenam privatos fuisse. Hinc in huiusmodi criminibus mulctatis poena latae sententiae ipso iure incurrenda, interveniat oportet sententia iudicis declaratoria, qua iudex declarat crimen, illa poena mulctatum, iam patratum fuisse, ideoque poenam fuisse incursam. Iamvero ex praescripto huius can. § 4 dare hanc sententiam declaratoriam committitur prudentiae Superioris. Sed ad instantiam partis cuius interest, vel bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet. Ratio habetur in canonibus 1608 et 1618, in quorum primo statuitur: « Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium *ne recuset*, firmo praescripto can. 1625, § 1 ». Et in altero edicitur: « In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; sed *in delictis et in iis quae publicum ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio* » (1).

c) in poenis latae sent.

CAN. 2224. — § 1. Ordinarie tot poenae quot delicta.

§ 2. Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum.

§ 3. Si poena constituta sit tum in conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta.

Quot delicta tot poenae, quae diversimode applicantur.

96. Ex praescripto § 1 huius canonis *prout multiplicantur delicta*, et *poenae multiplicari debent*. Hinc si quis violet di-

(1) Vid. etiam can. 1619.

versas leges poenales, ex. gr. furtum patret, hominem occidat, Deum blasphemet etc. poena non tantum furti, sed etiam homicidii et blasphemiae tenebitur (1). Item si quis iteret idem delictum, idest iterum violet eamdem legem, *non incontinenti, sed ex intervallo*, ita ut habeatur novum et distinctum delictum, et poena etiam iteranda est. Hinc legitur in cap. 1, X, *De poenis* (V, 37) ibi: « Ea quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur ».

Quot violationes legis *ex intervallo*, tot delicta.

97. Diximus — *non incontinenti, sed ex intervallo — quia secus actus criminosi repetiti ex eodem impetu et proposito, quasi materialiter in unum coalescunt*, ratione temporis et intentione agentis. Unde scribit Card. Lega l. c. n. 27: « Sed quid iuris quando pluries repetitur sed *incontinenti* eodem impetu ac proposito idem actus criminosus in sua specie consummatus; videlicet unum censetur delictum vel plura pro singulis repetitis actibus? — Ut ecce quis pluries sed incontinenti clericum percutit, adulter pluries sed incontinenti repetit copulam cum eadem muliere: quis pluries sed incontinenti, et eodem animi aestu, repetit blasphemias: habita ratione legis poenalis (2) unum habetur delictum aut plura? — Iamvero ex ratione supra exposita, valde probabilior est sententia, in foro externo, seu pro lege poenali unum considerari delictum, seu unam tantum incurri poenam sive lat. sit. sive fer. sent. Haec enim plura facta quasi materialiter in unum coalescunt, ratione temporis et intentione agentis ».

Secus si violatio iteretur *incontinenti*...

98. Item animadvertendum est *discrimen inter delictum momentaneum quod ex intervallo committitur, et delictum continuum quod habet tractum successivum*, veluti concubinatus. Dispositio enim § 1 huius canonis intelligenda est tantum de crimine momentaneo iterato ex intervallo. Nam in criminibus successivis, (ita Schmalzgrueber, De poenis § 24, ubi delictum iteratur contra eandem personam, ut fit in adulterio, fornica-

Vel agatur de delicto *successivo*.

(1) L. nunquam 2 ff. de priv. delict.; l. illud 32, § si idem 1. ff. ad leg. Aquil.

(2) « Inquam *habita ratione legis poenalis*, (ita idem A. in nota) nam quod plures blasphemiae, plures copulae adulterinae totidem constituant peccata, in foro interno, confessioni sacramentali obnoxia, explorati iuris est ».

tione, concubinatu etc. nisi interruptio interveniat, aut crimen semel deductum ad iudicem, et ab hoc punitum sit, in ordine ad poenam censetur esse unum peccatum, et cons. una poena, licet graviori, est puniendum.

Vel de actibus qui in unum coalescunt.

99. Denique notetur quod *si plura facta*, suapte natura, criminosa, *adhibeantur quasi actus exsecutivi unius criminis, incontinenti*, eodem impetu ac proposito, haec plura facta, quae in unum coalescunt ob relationem *medii ad finem, censentur quasi unum crimen*, illud nempe quod est gravius crimen ad quod perficiendum ordinata erant. Sic ex. gr. prohibita armorum delatio, convicia ac vulnera ordinata ad homicidium incontinenti perpetratum, in ipso homicidii delicto confunduntur, ideoque unicum erit crimen homicidii et uni tantum poenae locus erit. Et ratio est quia actio praeambula seu *medium* comprehenditur in fine (1). Hinc scribit Thesaurus: « Ex actibus criminosis solius principalis seu gravioris delicti rationem haberi, quia delicta praeambula in principali confunduntur » (2).

Ratio multiplicationis poenarum

100. Ex hactenus dictis iam patet quandonam debeant multiplicari poenae ob multiplicatum numerum delictorum. Ratio vero cur debeant poenae multiplicari est *quia lex efficaciam habet contra singulares praevaricationes*, ideoque quoties lex violatur, toties poena infligenda est. Nec caeteroquin repugnat multiplicatio poenarum eiusdem vel diversae speciei in eodem subiecto. Animadvertendum vero est quod quamvis ex § 1 regulariter tot poenae infligi debeant, quot sunt delicta patrata, « *si tamen* (§ 2) propter numerum delictorum *nimius esset poenarum infligendarum cumulus*, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum ». Et planum est.

Quomodo applicantur plures poenae.

An puniendus conatus admisso delicto.

101. Tandem in § 3 h. canonis edicitur quod *si poena constituta sit tum in conatum* delicti *tum in delictum consummatum, hoc admisso*, idest consummato delicto, *infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta*. Et ratio est quia

(1) Card. Lega l. c. num. 27; Carrara, op. cit. § 510 seq.
(2) Thesaurus, *De Poenis*, p. 1, cap. XV.

conatus sive proximus sive remotus est inchoatio delicti, et natura sua ad delictum consummatum dirigitur. Iamvero actio praeambula seu *medium* comprehenditur in fine; consequenter ob relationem *medii ad finem* conatus in unum coalescit cum delicto consummato. Si igitur unum habetur delictum, una tantum poena infligenda est, idest poena in consummatum delictum statuta.

Forma servanda in poenis declarandis vel infligendis.

CAN. 2225. — Si poena declaretur vel infligatur per sententiam iudicialem, serventur canonum praescripta circa sententiae iudicialis *pronuntiationem*; si vero poena latae vel ferendae sententiae inflicta sit ad modum praecepti particularis, scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193.

102. In postremo canone huius tituli V fit sermo *de forma servanda in poenis declarandis vel infligendis*. In delictis multatis poena latae sententiae, intervenire oportet, uti supra iam innuimus, sententia iudicis declaratoria; in delictis vero pro quibus statuta est poena ferendae sententiae, requiritur sentia iudicis condemnatoria. *In utraque ferenda sententia, sive declaratoria sive condemnatoria, iudex legitime procedere debet*, tenetur nempe servare normas legitime constitutas circa sententiae iudicialis pronuntiationem. Et merito quidem, agitur enim de re maximi momenti, ac proinde omnes cautelae adhibendae sunt, ut praecludatur aditus arbitrio iudicum, et evitentur abusus iustitiae.

Iudicialiter in poenis *a iure*.

Secus in poenis *ab homine*.

103. *Si vero agatur* non de poenis *a iure*, sed *de poenis ab homine*, idest *ad modum praecepti particularis*, non requiritur processus iudicialis, sed *satis est ordinarie ut in scriptis, vel etiam oretenus coram duobus testibus irrogetur poena, vel declaretur crimen fuisse consummatum*, et consequenter poenam fuisse incursam, *indicatis poenae causis*, salvo praescripto canon. 2193.

Hisce omnibus declaratis quoad subiectum activum potestatis coactivae, nunc in titulo seq. disserendum est de illis qui potestati coactivae obnoxii sunt.

TITULUS VI.

De subiecto coactivae potestati obnoxio.

Subiectum poenis obnoxium.

CAN. 2226. — § 1. Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur.

§ 2. Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior.

§ 3. Quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis.

§ 4. Poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur.

Exceptiones.

CAN. 2227. — § 1. Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus in can. 1557, § 1.

§ 2. Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti.

Poenis sunt obnoxii qui legi vel praecepto tenentur.

104. Ex praescripto can. 2226, § 1, *poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur*. Iamvero ille tenetur lege aut praecepto qui, praeter alia (V. can. 12) est *subditus*, ille nempe qui subiicitur iurisdictioni illius qui legem tulit aut praeceptum dedit; ac proinde in eo territorio in quo deliquit (1) habeat domicilium vel quasi domicilium. Legitur enim in can. 13: « § 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt. § 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem *domicilium* vel *quasi-domicilium habent* et *simul actu commorantur*, firmo praescripto can. 14. Et merito quidem; nam poenae irrogatio est actus iurisdictionis qui nonnisi in subditos exerceri potest.

Peregrini poenas non incurrunt...

105. Notentur verba transcripti can. 13, § 2 « *et simul actu commorantur* ». Hinc peregrini, quandiu versantur extra dioecesim, non tenentur legibus poenalibus latis in suo territorio: etiamsi discesserint eo animo ut se obligationi legis subtraherent. Etenim legislator non obligat subditos ad commorandum

(1) Deliquisse autem quis intelligitur ubi delicta vel commissa vel inchoata sunt. D'ANNIBALE l. c. § 306, not. 28.

in loco, sed ad servandam legem, quandiu ipsi in loco versantur (1). Eapropter ille qui delinquit *dum peregre agit*, sive violaverit legem suae dioecesis, a qua abest, sive alienae in qua moratur, neutrius poenas incurrit: non suae, *quia actu non commoratur in territorio*, ad praescriptum can. 13, § 2, et extra territorium ius dicenti impune non paretur; non alienae, quia non est subditus eius loci, et profecto nemo potest suis legibus nisi suos subditos obligare; nec denique utriusque, si forte in utraque dioecesi eadem sit poena constituta (2). Diximus, non incurrere poenam *illum qui delinquit dum peregre agit*; sed si quis, *post delictum* in sua dioecesi patratum, peregre absit, potest a proprio Ordinario poenis ligari (3). Hinc legitur in canone 1566, § 2: « Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum, et sententiam in eum ferendi ».

Exceptiones.

106. Animadvertendum vero est ex can. 14, quod *peregrini remanent obstricti legibus suae dioecesis, quotiescumque, licet physice absentes,* per fictionem iuris *reputantur praesentes moraliter*, ideoque censentur delinquere in proprio territorio; seu uti legitur in can. 14, § 1, n. 1°, legis transgressio in proprio territorio nocet. Hinc ex. gr. clerici innodantur poenis ab Episcopo latis in nolentes accedere ad synodum dioecesanam, vel in parochos non residentes, etiamsi degant extra dioecesim. Notetur etiam quod peregrini, quodam quasi naturali iure, *tenentur legibus eius loci in quo versantur si*, huiusmodi leges *necessariae sint ad servandum ordinem publicum, vel sine scandalo violari nequeant*: hinc si ipsas violaverint, fiunt subditi ratione delicti, atque ideo poenis coerceri possunt (4).

(1) Cfr. D'ANNIBALE l. c. § 205.

(2) Cap. 2, *de constitutionibus*, 1, 2, in VI°; LEO XIII, const. « Romanos Pontifices » d. 8 Maii 1881.

(3) Cf. D'ANNIBALE l. c. § 306, § 86, not. 37; § 205 etc.

(4) Legitur in can. 14, § 1, n. 2°: « Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant ». *Ad vagos* quod spectat in eodem can., § 2 edicitur: « vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur ».

107. Denique in § 1 can. 2226 additur « *nisi expresse eximatur* ». Haec verba respiciunt *S. R. E. Cardinales*, qui ex praescripto can. 2227, § 2, *sub lege poenali non comprehenduntur, nisi expresse nominentur, et etiam Episcopos, qui* pariter, nisi expresse nominentur, *non comprehenduntur sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti.* Ratio huius privilegii invenitur in cap. 4, *de sententia excommunicationis*, V, 11 in VI° ubi legitur : « Quia periculosum est Episcopis et eorum superioribus, propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto : Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi et alii superiores praelati nullius constitutionis occasione, sententiae sive mandati praedictam incurrant sententiam ullatenus ipso iure : *nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur* » (1). Notetur discrimen inter Episcopos et Cardinales. Episcopi, nisi expresse nominentur, non comprehenduntur tantum sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti ; hinc subiacent excommunicationi aliisve poenis latae sententiae, etsi non nominentur expresse : Cardinales vero, nisi expresse nominentur, non comprehenduntur sub lege poenali, *et consequenter* ab omnibus poenis et censuris, etiam excommunicationis eximuntur. Diximus, et *consequenter* eximuntur ab omnibus poenis etc., quia poena, utpote sanctio legis vel praecepti, habetur veluti *accessorium* ; ac proinde si quis quacumque ex causa eximitur a lege poenali, eo ipso et a poena quoque exemptus haberi debet (2).

Exceptiones quoad Cardinales et Episcopos.

108. Hisce adnotatis quoad § 1, nunc ad § 2 quod spectat animadvertendum est, neminem ob idem crimen pluribus legibus reum fieri ; *quoties* igitur *nova aliqua lege, poena fertur pro eodem delicto, prior cessat* in eodem foro, *tametsi nova poena sit lerior*. « Nec sane verisimile est (ait Papinianus in l. 41 ff. de poenis) delictum unum eadem lege variis aestimationibus coerceri ». Hinc si posterior lex statuat poenam ferendae sententiae, intelligitur abrogata lex, quae de eodem delicto statuebat poenam latae sententiae. Et si quis delictum patravit

Non prior vel posterior, **sed mitior lex** applicanda est.

(1) C. 37, *de electione et electi potestate*, 1, 6, in VI°.
(2) Cf. Card. Lega l. c. n. 117.

vigente una lege poenali, et in ius rapiatur vigente altera, *non iuxta priorem vel posteriorem indistincte, sed secundum mitiorem ex eis puniendus est* (1).

Sublata lege vel poena, haec cessat, non censura incursa.

109. Praeterea ex praescripto § 3 *si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, exceptis censuris iam contractis.* Notetur discrimen inter poenas et censuras; illae, etsi incursae sint, statim cessant, hae vero, si contractae fuerint, non cessant. Ratio huius exceptionis habetur in can. 2248, § 1, ubi legitur: « Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum *legitima absolutione* ». Non igitur abrogando legem qua censura lata fuit, neque auferendo per legem posteriorem ipsam censuram, haec tollitur, si iam contracta fuerit. *sed absolutione opus est.*

Poena reum tenet ubique, et iam resoluto iure Superioris.

110. Tandem in § 4 edicitur quod *poena reum tenet ubique terrarum, etiam resoluto iure Superioris,* nisi aliud expresse caveatur. Et ratio est, quia, etsi poenae applicatio fiat ab Ordinario unius dioecesis, tamen effectus poenarum profluunt ex ipso iure communi, quod ubique terrarum viget, *independenter* ab illo, qui ipsas tulit. Cum igitur poenae contractae fuerint, reum tenent ubique terrarum, et perdurant, etiam resoluto iure Superioris qui eas tulit. Scribit ad rem D'Annibale l. c. § 331: « Porro censura, (uti et poena) tum quia adimit ea quae cohaerent *statui personae christianae, vel clerici;* tum *quia vim suam capit a iure canonico,* quod viget ubique, cum fuerit contracta, reum sequitur ubique locorum, prout, seu vulgo dicitur, *umbra corpus, et lepra leprosum* ». Et Card. Lega l. c. n. 191 scribit: « Si limitatio non sit expressa, suspensio se porrigit ad quaecumque officia. Sed quaeritur; an etiam *ad quaecumque loca?* Et si agatur de suspensione ab ordine, nullum dubium subest: prohibita enim legitime, seu ab eo qui ius habet, a suo usu, potestate ordinis, quoad omnia loca prohibita intelligitur, quia pertinet ad *statum* personae clerici, et *quae statum afficiunt personarum, personam sequuntur ubique terrarum* ». Et addit in nota: « Statum personarum constituunt ea iura quae

(1) In *Cod. Poen. Ital.* sub art. 2 legitur: « Se la legge del tempo in cui fu commesso il reato e le posteriori siano diverse, si applica quella, le cui disposizioni sono più favorevoli all'imputato ».

faciunt *clericum, religiosum seu regularem, civem.* Unde hic status non constituitur nisi a iure *communi.* Quare dum ius commune permittit, per remedia poenalia, status diminutionem, haec personam sequitur ubique locorum. — Suspensio quoad *unum locum* non afficit *statum* personae. Id etiam statuitur in codicibus, veluti in *Regolam.* Gregoriano, § 7. — Cod. civ. Ital., 6; Gall., 3 » (1).

Additur in fine huius § 4, *nisi aliud expresse caveatur;* et planum est: hinc ex. gr. si Ordinarius poenam inflixerit *ad suum beneplacitum*, poena cessabit cum iurisdictione Ordinarii poenam infligentis idest resoluto iure Superioris (2).

Personae soli R. P. subiectae.

111. Et haec satis esse possunt ad rite intelligendos canones 2226 et 2227. Tantum quoad § 1 canonis 2227 animadvertendum est quod cum Summus Pontifex sibi reservaverit omnes causas quae respiciunt personas de quibus in praedicto canone 1557, § 1; necessario consequitur nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari posse poenas in easdem personas. Et planum est.

CAN. 2228. — Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis.

Crimen perficitur *dolo* et *facto.*

112. Ad habendum delictum, uti diximus supra (nn. 42, 54) non sufficit animus delinquendi seu dolus, sed requiritur ut huiusmodi animus exterius pateat per actionem externam, criminosi propositi exsecutivam, quae ordinem socialem perturbat. *Proinde praeter dolum seu culpam opus est actione externa.* Sed non quaevis actio externa obnoxia est poenis *in iure* statutis, *sed perfecta et consummata.* Etenim, praesertim in odiosis, verba legis cum effectu accipienda sunt (3): et ex can. 19, leges poenales strictae subsunt interpretationi. Hinc merito ex praescripto huius can. 2228, poena *lege* statuta, idest **poena a iure** (ca-

(1) Idem A. l. c. addit: « Nam censura suspensionis *ab officio* seu ab exercitio ordinis et eccles. iurisdictionis est poena statuta *ex iure communi,* et hoc iure eius effectus reguntur, qui proinde plene vigent, etsi censurae applicatio fiat ab Ordinario unius dioecesis; et hi effectus in ipsum censurantem vim habent ».

(2) S. C. de Prop. Fide, Instr. ed. 20 oct. 1884, n. 5.

(3) Cap. 4, X, *De clericis non residentibus,* III, 4.

none 2217, § 2, n. 3) non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis.

113. Sed animadvertendum est, uti docet D'Annibale, l. c. § 298, quod *omnis actio externa* aut *opere* aliquo *perficitur*, aut *verbis constat*, aut *omissione continetur*. *Omissum* aliquod intelligitur postquam tempus, intra quod faciendum erat, penitus praeterierit; hinc ex. gr. si poena suspensionis statuta sit contra non recitantes horas canonicas, incurritur postquam media nox praeterierit; tunc enim delictum perfectum censetur. *Delicta quae verbis constant* (ut haeresis, blasphemiae), tunc regulariter perfecta esse intelliguntur, cum sic ore prolata fuerint ut, si quis praesens esset, ea intelligere potuisset; dummodo, scilicet, integrum et manifestum prodant animum dicentis.

Demum *actio* quae *opere aliquo perficitur*, aut *merum factum est*, velut homicidium, aut *actus*, ex. gr. matrimonium, baptismus, absolutio a peccatis. Iamvero *factum criminosum* quo ius violatur, uti diximus supra (n. 54), plerumque pluribus partibus constat, et velut *initio, progressu et fine*. *Initio* habentur actus praeparatorii; *progressu* habentur *conatus*; *fine* habetur *delicti consummatio*. Quoties igitur factum criminosum coercetur poenis, hae *poenae incurruntur quando factum* est perfectum secundum proprietatem verborum legis, quando scilicet factum *ea ratione consummatum fuerit, qua lege expresse continetur* [1].

Poena incurritur crimine consummato.

Quamobrem huiusmodi poenis neque actus praeparatorii, neque conatus obnoxii sunt, *sed factum penitus absolutum;* et si hoc ab effectu capit perfectionem, poena non tenet facientem, quoad effectus sequutus fuerit; ut puta homicidium, quoad mors sequuta fuerit [2].

[1] « Requiritur enim actus consummatus, sive peccatum in suo genere completum, ita, *ut effectus lege, aut praecepto prohibitus reipsa consequatur*. Hinc si homicida excommunicetur, non incurrit censuram, qui solum percussit, vel vulneravit... quia qui non est perfecta causa illius actus propter quem decreta est excommunicatio, non incurrit illam ». Ita Schmalzgrueber, l. 5, tit. 39. - *De sent. excom.* n. 72.

[2] « Verum hoc ad eos effectus pertinet, qui actionem integrant; quamobrem si effectus actionem tuam non integrat; sed aliquid aliud ab ea est, haec regula cessat; puta si in iudicio peierasti ut reus absolveretur, et is nihilominus condemnatus fuerit, lues », D'Annibale, l. c. § 298, 27.

Denique *actus perfectus intelligitur cum factus fuerit iure*, quia verba cum effectu (maxime in odiosis) accipienda sunt. Ac proinde ut actus sit poenis obnoxius, opus est, ut nihil essentiale, sive *natura sua*, sive *iure*, illi desit. Quapropter hoc verbum, *actus*, (ex. gr. emptio et venditio, matrimonium, baptismus) actum validum, non invalidum et nullum significat; nam irrita venditio, irritum matrimonium, etc. qua emptio, qua matrimonium etc. nihil est; *et non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum* (l. 55 *De R. I.*). Excipe tamen si ipsa lex irritet actum (vel irritum supponat) et ponat poenam facienti v. can. 2347, 2388 etc. [1]; tunc enim poena incurritur per actum vel iure nullum; quia lex non actum, sed factum (ausum) coercet. Verum ut *factum* dici possit, necesse est, ut nihil *natura sua* essentiale ei desit: idest ut alias constare possit saltem naturali iure.

Causae a poenis l. s. excusantes vel non.

CAN. 2229. — § 1. A nullis latae sententiae poenis ignorantia *affectata* sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat.

§ 2. Si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae.

§ 3. Si lex verba illa non habeat:

1° Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit *crassa vel supina*, a nulla poena latae sententiae eximit; *si non fuerit crassa vel supina*, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis;

2° Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant;

3° Metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit.

§ 4. Licet reus censuris latae sententiae ad normam § 3, n. 1 non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat.

Notio et divisio ignorantiae.

114. Uti rite intelligantur ea quae in hoc canone constituta sunt, prae primis tradenda est *notio ignorantiae affectatae, crassae vel supinae et graviter culpabilis*. Ignorantia, uti vidi-

[1] Vid. num. 57.

mus supra (n. 29) *alia est invincibilis,* sive *physice*, si nullo modo vinci possit, sive *moraliter,* si adhibita morali diligentia tolli nequeat; alia vero *vincibilis*, quae nempe provenit ex negligenti usu facultatis intellectivae. Haec ignorantia vincibilis, excludit dolum, minime vero culpam, et consequenter imputatur ad poenam, quae maior erit vel minor, prout ipsa culpa gravior erit vel levior (can. 2202, § 1). Gravitas culpae desumitur ex defectu diligentiae quam adhibere quis debuisset ad ipsam legem cognoscendam; et praecise ratione gravitatis huius culpae ignorantia alia est *leviter culpabilis,* alia est *graviter culpabilis* [1] alia denique *gravissime* culpabilis, prout ex levi, vel gravi, vel gravissima provenit negligentia. *Ignorantia quae provenit ex gravissima negligentia dicitur crassa vel supina.* Denique ignorantia *affectata*, de qua in § 1 huius can., *habetur cum quis voluntarie excludit media deponendi ignorantiam* ad liberius peccandum. Ignorantia affectata differt a crassa vel supina in hoc, quia haec consistit tantum negative in negligentia gravissime culpabili, affectata vero positive oritur ex proposito non inquirendi legis notitiam, quum hanc perspecte cognitam, quis violare forsan non auderet [2].

Affectata a nullis poenis excusat.

115. His praemissis, facile intelligitur dispositio § 1 huius canonis, idest *ignorantia affectata* sive legis sive solius poenae *a nullis latae sententiae poenis excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat.* Et ratio est quia *ignorantia affectata dolum includit et scientiae aequiparanda est*, ac proinde nulla, ex parte intellectus imputabilitatis imminutio habetur. Praeterea ex unanimi omnium DD. sententia, non excluso D'Annibale, qui l. c. § 312, not. 7, contendit ignorantiam affectatam excusare

[1] Ante novum Codicem disputabant DD. an revera haberi posset ignorantia *graviter culpabilis,* quae tamen non esset *crassa aut supina.* Nunc ex aperta dispositione huius canonis, § 3, 1 quaestio finita est. Etenim ad ignorantiam crassam *summa* quaedam negligentia requiritur, et potest dari negligentia graviter culpabilis, licet non sit *summa.*

[2] « Certe non potest negari latum esse *discrimen inter ignorantiam graviter culpabilem ex negligentia* (ut evenit in *crassa* et *supina*) et idcirco *indirecte* tantum voluntariam *et ignorantiam directe voluntariam et studiose quaesitam* ut quis liberius agere possit contra legem (ut *evenit in affectata*) » : Wernz, l. c. 158, not. 72.

a poenis latis contra eos, qui *consulto* vel *scienter* aliquid fecerint, ignorantia affectata non caret dolo. Iamvero dolus nemini debet patrocinari, et consequenter ignorantia affectata a nullis poenis latae sententiae excusat, licet lex contineat verba de quibus in § 2. Placet heic referre id quod scribit cl. Wernz l. c. n. 159, not. 72: « *Praesumptio et temeritas* contra legem agentis ex ignorantia studiose quaesita, si non est maior quam in transgrediente legem cognitam, certe *non est minor:* cfr. Suarez. De cens. disp. IV, sect. 10, n. 3; S. Thom. 1, 2, q. 6, art. 8; q. 76, art. 3; De malo, q. 3, art. 8, ubi dicit illam ignorantiam *augere* peccatum; Sanchez in Decal. l. I, c. 17, n. 5. — Quodsi in casu violantis legem cognitam dolus est *formalis* et in casu ignorantiae affectatae dolus est *virtualis,* cum tamen dolus *virtualis* in casu non sit coniunctus cum minori malitia, videtur etiam aequiparandus in poena » (1).

Crassa a poenis l. s. in praesumentes etc.

116. Praeterea ex § 2 si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio* sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis *eximit a poenis latae sententiae.* Et ratio est quia lex poenalis in casu poenam infligit tantum in violantes legem ex plena cognitione intellectus ac plena voluntatis determinatione: idest lex taliter significata non punit simplicem violationem, quae sit graviter imputabilis, uti fit quando lex verba illa non habet: sed eam violationem, quae perfecta est cum plena legis cognitione ac voluntatis determinatione (2). Quoties igitur talis intercesserit causa, quae plenam intellectus cognitionem vel liberam voluntatis determinationem praepedierit, tunc minuitur dolus ideoque moralis imputabilitas actus, et consequenter deficientibus circumstantiis a iure statutis, idest plena cognitione ac deliberatione, delictum non est imputabile, et poena cessat. Exinde patet ignorantiam etiam *crassam vel supinam* excusare ab huiusmodi poenis incurrendis (3).

(1) Cf. D'Annibale, l. c. § 312, not. 72; Lugo, *De fide,* disp. XX, sect. 6; Ballerini-Palmieri, t. 1, n. 39, 51, sq. t. VII, n. 101; Hilar. a Sexten, *Tractatus de cens. eccl.,* p. 27.

(2) Card. Lega, l. c. n. 42.

(3) Cl. Maroto, *Institutiones iuris canonici,* Madrid, 1918, tom. 1, n. 404.

Si desint verba uti § 2: an et a quibus excusent:

a) ignorantia

117. Si vero (§ 3) lex verba illa non habeat:

1° ignorantia legis aut solius poenae non excusat a poenis vindicativis; sed excusat tantum a censuris, dummodo ignorantia crassa non fuerit vel supina. Et ratio apertissima est: etenim censurae sunt poenae medicinales, quae ex indole et natura sua diriguntur ad frangendam contumaciam delinquentis, ideoque tantum in contumaces seu in contemnentes censuram feruntur, quia a contemnenda censura quis contumax dicitur. Sed censura contemni non potest, nisi prius cognoscatur: hinc ille qui ignorat censuram, ipsam non contemnit, et consequenter ipsam non incurrit, quia contumax non est. Sed ad poenas vindicativas latae sententiae incurrendas non requiritur contemptus poenae, uti requiritur contemptus censurae: posita proinde violatione legis *graviter imputabili*, non est ratio cur quis a poenis vindicativis eximi debeat. Merito proinde sub § 3, n. 1, huius canonis constitutum est, ignorantiam legis aut etiam solius poenae, *si non fuerit crassa vel supina*, excusare a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis (1). Et exinde etiam intelligitur id quod statuitur sub n. 2 eiusdem § 3, quod scilicet, *ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, non excusant a poenis latae sententiae*, si, non obstante imputabilitatis deminutione, *actio sit adhuc graviter culpabilis*.

b) ebrietas etc. n. 2

c) metus gravis.

118. Id quod statuitur sub n. 3, § 3 satis intelligitur ex iis quae diximus explanantes can. 2205. Ne igitur actum iterum agamus, recolantur ea quae diximus supra n. 32 et sqq. et praesertim n. 35.

119. Tandem sub § 4 animadvertitur quod *etsi reus censuris latae sententiae non teneatur* ad normam § 3, n. 1, *id* tamen *non impedit quominus Superior, si res ferat, aliam congruam poenam vel poenitentiam imponere possit*. Declaratio huius § 4 iam patet ex can. 2222 (vid. num. 85); vid. etiam n. 179.

(1) Cap. 2, *De Constitutionibus*, 1, 2, in VI°.

CAN. 2230. — Impuberes excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur; puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint vel cum eis in delictum concurrerint ad normam can. 2209, §§ 1-3, ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt.

Puberes incurrunt poenas l. s. Impuberes: a) excusantur

120. Prae primis heic recolantur ea quae diximus supra (n. 31, can. 2204) quoad varios gradus aetatis, ac praesertim quoad puberes vel impuberes sive proximos infantiae sive proximos pubertati. Hisce omnibus prae oculis habitis, facile intelligitur curnam *impuberes excusantur a poenis latae sententiae, dum e contra puberes poenas lege statutas incurrunt* (1). Ratio discriminis est, quia impuberes, etiam proximi pubertati, ex non satis firmo et evoluto aetatis iudicio, non tanti doli capaces sunt, quam minores pubertatem adepti. Iamvero poenae canonicae, maxime censurae, animadvertunt in eum, qui dolo malo legem violat et contemnit (2); cumque haec omnia haberi nequeant sine perfecta mentis cognitione et necessaria voluntatis determinatione, merito proinde statuitur, impuberes excusari, minime vere puberes a poenis latae sententiae incurrendis (3).

121. Notetur vero quod impuberes ex praescripto huius canonis *excusantur a poenis latae sententiae tantum: hinc possunt incurrere poenas ferendae sententiae.* Quapropter si constiterit, dolo malo deliquisse, possunt a iudice poenis ligari: quod dici debet et de impuberibus proximis infantiae, *dummodo*

(1) Ante novum Codicem acriter inter DD. controvertebatur, an impuberes proximi pubertati, qui nempe decimum cum dimidio aetatis annum excesserint, obnoxii essent poenis l. sent. Alii affirmabant, uti GIRALDI in sua *Expositione iuris Pontificii*, P. 1, sect. 857, c. 2, tit. *De delictis puerorum*, V, 23; THESAURUS, *De poenis*, l. 1, c. 17; alii vero negabant, uti D'ANNIBALE, l. c. § 312 et *Commentar. in Const. Ap. Sedis*, n. 111; LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, II, n. 870; S. ALPHONSUS, *Theol. Mor.*, *De Censuris*, n. 14. Hinc merito concludebat Card. LEGA l. c. n. 37: « Ergo, *in dubio iuris*, censendi sunt has poenas non incurrere impuberes ».

(2) Card. LEGA, l. c. n. 37.

(3) C. 3, X, *De delictis puerorum*, V, 23: « Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum, mandamus, quatenus *si constiterit* filium praedicti *H. intra 14 aetatis suae annum* eumdem excessum *commisisse*,... praedictos centum solidos non exigat » etc.

b) potius punitionibus educativis corrigendi sunt.

et ipsi dolo malo deliquerint. Sed hi mitius puniendi sunt, quia minor aetas, nisi aliud constet, eo magis minuit delicti imputabilitatem quo ad infantiam propius accedit (can. 2204). Optime tamen in canone animadvertitur, *impuberes potius punitionibus educativis quam censuris* aliisve poenis gravioribus vindicativis *esse corrigendos* (1).

122. Denique notetur quod irregularitates *ex delicto*, quippe quae sunt ad instar impedimenti seu inhabilitatis, et adhaerent delinquenti, nulla habita ratione aetatis, dummodo dolus adfuerit in perpetrante facinus, tenent etiam *impuberes infantiae proximos*. « Quare, scribit Card. Lega l. c. n. 37, in decernendo an quis contraxerit huiusmodi irregularitates, in primis ratio habenda est doli; et aetas assumenda est uti indicium; ex adverso in aliis poenis l. sent. aetas iam praescripta assumitur uti regula... ». Vid. can. 985, 988, 994 § 1.

CAN. 2231. — Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, §§ 1-3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena; ceteri vero non item, sed alia iusta poena pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.

Qua poena tenentur correi:

123. In hoc canone continetur exceptio quae confirmat regulam generalem constitutam in can. 2219, quo edicitur, poenas stricte esse interpretandas, et non excedere casum suum, ideoque non licere poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior. Haec regula fallit quando agitur de pluribus delinquentibus, qui communi delinquendi consilio simul concurrerint *principaliter*, sive physice sive moraliter, in consummationem unius eiusdemque delicti c. 2209. Posito enim principio in cit. can. 2209 constituto, quod isti omnes eodem modo rei habentur, et quod, ceteris paribus, eamdem imputabilitatem contrahunt, prono alveo fluit, *ipsos eisdem poenis esse coercendos*. Consequenter *eadem poena*

a) principales

(1) In hodiernis Codicibus poenalibus decernitur ut iudex possit aliquando poenae substituere quamdam reprehensionem iudicialem, quae consistit (*Cod. Poen. Ital.* art. 26) « in un ammonimento adatto alle particolari condizioni della persona e alle circostanze del fatto, che, intorno ai precetti della legge violata e alle conseguenze del reato commesso, il giudice rivolge al colpevole, in pubblica udienza ».

expresse statuta contra unum conreum principalem, statuta etiam intelligitur contra alios conreos principales de quibus in can. 2209, §§ 1-3; ideoque etsi unus tantum in lege nominetur, alii vero omittantur, tamen omnes conrei principales in lege poenali comprehenduntur, ac eadem poena tenentur; nisi aliud expresse in lege caveatur.

b) accessorii.

124. Alii vero conrei, idest *accessorii*, cum minorem contrahant imputabilitatem (can. 2209, § 4), cumque in poenis decernendis aequa proportio cum delicto servari debeat (can. 2218, § 1), non sunt obnoxii iisdem poenis latis in delinquentes principales, sed *aliqua iusta poena* pro prudenti Superioris arbitrio *coercendi sunt*, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.

Necessitas sententiae declar. ut poena se vetur.

CAN. 2232. — § 1. Poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4.

§ 2. Sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit.

Poena l. s., patrato crimine, reum tene

125. Quod *poena latae sententiae*, sive medicinalis sive vindicativa, statim, *patrato crimine, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, teneat in utroque foro*, patet omnino ex ipso conceptu poenae latae sententiae, de qua legitur in can. 2217: « Poena dicitur: .... 2° *Latae sententiae*, si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto **ut incurratur ipso facto commissi delicti** ». Cum igitur poena l. s. ea sit quae statim, patrato crimine incurritur, consequenter huiusmodi poena, sive medicinalis, sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet. Praeterea adnotantes supra discrimen inter sententiam condemnatoriam, quae locum habet in poenis fer. sententiae, et sententiam declaratoriam, quae locum habet in poenis latae sententiae, vidimus quod iudex, proferens sententiam declaratoriam, *non infligit poenam*, quae iam ab ipso iure inflicta est, sed declarat delictum esse in suo genere *perfectum secundum proprietatem verborum le-*

gis (1) C. 2228; ideoque *poenam esse incursam ab ipso momento patrati criminis;* unde effectus sententiae declaratoriae retrotrahitur *ad momentum commissi delicti*, uti etiam legitur in § 2 huius canonis. Ergo statim, patrato crimine, poena latae sententiae in utroque foro tenet delinquentem, qui delicti sibi sit conscius.

Si ipsam servando se proderet, excusatur.

126. Sed potest quis teneri aliqua lege vel poena, et tamen ob iustam et rationabilem causam ab ipsius observantia excusari. Hinc additur in hoc canone: « *ante sententiam tamen declaratoriam a poena servanda delinquens excusatur quoties* **eam** *servare sine infamia nequit* ». Quamvis igitur delinquens per se teneatur poena iam incursa, si ipsam servare nequeat sine infamia, excusatur ab ipsa poena observanda. Et ratio est, quia prevalet ius naturale praecipiens « *neminem teneri prodere seipsum* ».

Poenae positivae vel negativae.

127. Ut autem dignoscatur, an poena servari nequeat sine infamia, adnotanda est distinctio inter poenas *positivas* et poenas *negativas*. « *Poena... positiva* (ita D'Annibale, l. c. § 308) *ea dicitur quae in facto consistit;* idest quae sine facto aliquo nostro, vel alterius, subiri non potest; ut puta publicatio bonorum, carcer, exilium, mulcta. *Negativa ea est, quae consistit in iure;* idest quae vel privat aliquo *iure quaesito*, velut officio, beneficio, iurisdictione, iure suffragii; vel *acquirendis facit inhabilem;* idest quae in odium patrati criminis nobis *adimit capacitatem* seu canonicam, seu civilem, seu naturalem faciendi, acquirendi, contrahendi » (2). Hisce adnotatis quoad poenas positivas, et negativas, quisque videt quod *delinquens regulariter servare nequit sine infamia poenas positivas*. Etenim reus ponens actum necessarium ad poenam subeundam, seipsum proderet. *Quod et de poenis negativis, quae privant iure quaesito*, veluti beneficio,

(1) Sententia declaratoria, uti notat THESAURUS, op. cit., P. I, cap. 5, Resp. III, non est declaratoria *poenae*, sed *criminis*, seu est declaratoria *facti*, non *iuris*.

(2) *Canonicam;* ut puta quae haereticos (C. 2, *De haeret.* in VI) vel simoniacos ad Parochias examinatores (Trid. XXIV, R. 18) reddit inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica. *Civilem* veluti quae mortuos civiliter prohibet foro, et muneribus publicis (§ 118). *Naturalem*, ut puta quae matrimonium inter reos *criminis*, vel inter raptorem et raptam, consistere vetat (D'ANNIB., § 308, n. 43).

officio, iure patronatus etc. pariter *dicendum est*. Nam hae poenae consistunt in privatione iuris, at secumferunt aliquod factum nostrum vel alterius, saltem *omissionis*, ut exsecutioni demandentur. Ita ex. gr. privatio tituli beneficialis secum trahit amissionem vel ablationem rerum beneficialium, inhabilitas ad officia acquisita, non sortitur exsecutionem sine actu *omissionis* publico coram societate (1). Eapropter quando agitur de huiusmodi poenis, sive positivis, sive negativis, quae privant aliquo *iure quaesito*, regulariter delinquens excusatur ab ipsis servandis ante sententiam declaratoriam.

Poenae mere negativae.

128. Sed *quid iuris quoad poenas negativas, quae privant, non iure quaesito, sed capacitate iuridica ad iura acquirenda?* ex. gr. inhabilitas ad beneficia acquirenda. *Revera hae poenae,* quae consistunt in privatione iuris, nullam secumferentis externam rei alicuius possessionem, absque facto nostro vel alterius exsecutioni demandari possunt, et consequenter *quia sine infamia servari possunt, tenetur reus ipsas servare, etiam ante sententiam declaratoriam.*

129. Tandem additur in can. « et *in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium*, firmo praescripto can. 2223, § 4 ».

Quando poenae observantia exigi potest.

Dicitur – *nemo* – hinc, excepto casu notorietatis, quia in notoriis nulla probatio, *neque ipse legitimus Superior potest exigere a reo poenae latae sententiae observantiam ante sententiam declaratoriam.* Potest utique Superior, ad normam can. 2223, § 4, si hoc expedire iudicaverit, proferre sententiam declaratoriam, imo debet hanc proferre sententiam, si legitime fuerit requisitus, vel bonum commune id exigat; et post crimen declaratum exigere potest ut delinquens poenae obtemperet; sed ante sententiam declaratoriam incursae poenae observantiam exigere non potest. Et merito quidem, agitur enim de re gravissima, in qua omni adhibita cautela procedendum est (2); ideoque antequam delinquens publice habeatur gravissimis poenis mulctatus,

(1) Card. Lega, l. c., n. 86.

(2) « Quae cautelae (ita Card. Lega l. c. n. 87) praecipue huc spectant, ut delinquens coram societate non habeatur hisce gravioribus poenis mulctatus antequam publice constet de eius crimine. Ast coram societate modus ordinarius quo factum constet, est iudicis sententia declaratoria ».

iuridice de patrato crimine constare debet. Hic modus legitimus est sententia declaratoria a competente iudice rite prolata (canone 2210, § 2; et can. 2225). « Quo pacto (scribit Card. Lega, l. c. n. 87) evitatur dubietas ex parte *facti* et *durities* ex parte exsecutionis poenae, quae a iudice exsecutioni demandatur, retro acto effectu poenae ad momentum criminis admissi ».

Hinc in cap. 19 De haereticis in VI (V-2) in quo bona haereticorum *ipso iure* confiscata decernuntur, constituitur ut confiscationis exsecutio vel bonorum ipsorum occupatio locum non habeat « antequam per Episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, quae super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata ».

Ad infligendam poenam, praesertim medicinalem, requiritur:

CAN. 2233. — § 1. Nulla poena infligi potest, nisi certo constet de lictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum.

§ 2. Licet id legitime constet, si agatur de infligenda censura, reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3, dato, si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; contumacia persistente, censura infligi potest.

130. In § 1 huius canonis dicitur « *nulla poena infligi potest* » etc.; hinc agitur de poena *ferendae sententiae*, quae nempe infligitur a iudice per sententiam condemnatoriam. Iamvero *nefas est iudici* ex praescripto huius canonis (§ 1) *poenas infligere, nisi prius certo constiterit delictum admissum fuisse* ab eo qui reus postulatur *et non esse legitime praescriptum*. Etenim ad reum condemnandum non sufficiunt probabiles vel probabiliores de patrato delicto probationes, sed requiruntur probationes certae (1); et quousque maneat dubium, an delictum admissum fuerit necne, semper reo favendum est, quia nemo praesumitur malus nisi probetur, et in dubio sive facti sive iuris praestat nocentem absolvere, quam innocentem condemnare (2).

a) ut constet delictum admissum fuisse,

(1) L. 25 *De Probationibus*, ibi: « *Nemo condemnandus est* nisi ex probationibus vel indiciis luce clarioribus ». V. Deuteron., 21, 2.

(2) Cf. l. 178 De R. I.; Thesaur., op. cit. 1-16. Hinc sive *factum* sit dubium, ex. gr. an abortus revera sequutus fuerit (can. 2350, § 1); vel quod ad irregularitatem, *an foetus animatus* (can. 985, § 4); sive *auctor facti*, veluti si duo in clericum telum iecerint, et unus ferierit, sed uter ex eis non appareat; quia satius est impunitum relinqui facinus nocenti, quam innocentem condemnari, l. 5 *De Poenis;* sive denique dubitetur an quis ex dolo malo, vel ad vim repellendam, hominem vulneravit (V. can. 2205, § 4).

Hinc scribit D'Annibale l. c. § 304 : « Ut locus poenae fieri possit, ante omnia duo exploratissima esse debent, factum, et ius: idest 1° delictum admissum fuisse ab eo qui reus postulatur, et hoc manifestam rationem continet; 2° poenam adversus delictum huiusmodi in iure comprehensam esse; nam instar axiomatis semper fuit, et erit semper, *nulla poena sine lege:* in dubiis autem semper id accipiendum esse, quod est favorabilius reo ». (V. supr. n. 76).

131. Additur in canone — *et non esse legitime praescriptum:* etenim elapso tempore a iure constituto ad normam can. 1703, non potest amplius urgeri actio poenalis ad poenam infligendam, salvo semper praescripto can. 2222, § 2. (V. supr. n. 87 et sqq.). *b*) et non esse praescriptum.

132. In § 2 huius canonis fit sermo *de monitionibus, quae praemittendae sunt irrogationi censurarum.* Praestat igitur ut videamus: 1° *quid sit monitio et quomodo dividatur:* 2° *quomodo monitio facienda sit.* *Pro censuris* praemittenda est *monitio.*

Monitio nihil aliud est quam *intimatio qua Superior declarat delinquenti, ipsum incursurum fore in censuram, si non resipiscat aut non pareat.* Ratio vero cur nam praemittenda sit monitio, antequam reus censuris innodetur, desumitur ex ipsa natura censurae, quae ad frangendam contumaciam delinquentis dirigitur. Hinc nisi prius constiterit, reum contempsisse censuram, idest esse contumacem, quia a contemptu censurae reus contumax dicitur, censura infligi non potest. Sed quia censura contemni non potest, nisi prius cognoscatur, hinc ut constet de hac cognitione et contemptu censurae ex parte delinquentis, praemittenda est monitio, qua censura incurrenda prius comminatur (1). Scribit ad rem cl. Icard: « Multi opinantur monitiones non requiri ad validitatem, quia id non exprimitur in iure; sed animadvertere oportet *eam esse rationem censurae, ut praeter reatum delicti,* **supponat contumaciam;** atqui nisi praecesserit monitio, reus non est contumax, aut saltem utrum talis sit, ignorat superior; ergo non solum con-

(1) C. 26, X, *De appellationibus,* II, 28; c. 48, X, *De sententia excommunicationis,* V. 39; ibi: « Sacro approbante Concilio (Later. an. 1215) prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, *nisi competente admonitione praemissa,* et personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, probari possit monitio, promulgare praesumat ».

tra regulas iuris, **sed et contra naturam ac finem proprium censurarum** agit iudex, si censuram ferre praesumat nulla praemissa monitione » (1).

Monitio *a iure* vel *ab homine*.

133. Praeterea *monitio alia est a iure, alia vero ab homine*, prout decretum censurae incurrendae denunciatur vel *ex ipso ministerio legis*, vel *a iudice*. Optime scribit ad rem Cardinalis D'Annibale, l. c. § 329: « Censura sine contumacia, haec sine comminatione censurae ne intelligi quidem potest. Age modo: comminatio haec vel a iure est, vel ab homine. *A iure*, quae continetur in lege, vel praecepto, quo aliquid iubetur aut vetatur: *ab homine* (*ex persona*), ea est, qua reo praecipitur aliquid praestare intra certum ac definitum diem (v. gr. intra triduum restituere; raptam, aut concubinam dimittere), secus tali censura, v. g. excommunicatione, plectendus: haec est quae vulgo *monitio canonica* dici solet » (2).

Mon. *canonica* fit in scriptis vel oretenus.

134. Tandem quod ad *modum seu formam* monitionis *ab homine*, quae vulgo *monitio canonica* dici solet, notetur quod *haec fieri potest in scriptis vel etiam oretenus*. Legitur enim in can. 2143, § 1: « Quoties monitiones praescribuntur, hae fieri debent *vel oretenus* coram cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus, *vel per epistolam* ad normam can. 1719 ». Idest: « Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu iudicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit ».

Potest repeti, bis vel ter.

135. Uti patet ex canone 2233 supra transcripto, neque trina (3) neque bina (4) praescribitur monitio, sed totum nego-

(1) ICARD, *Praelectiones iuris can.*, tom. 3, n. 763; Card. LEGA, l. c. n. 102-6.

(2) Card. LEGA, l. c. n. 102; ICARD, l. c. n. 763; HILARIUS A SEXTEN, op. cit. pag. 31.

(3) Cap. 9, *De sententia excommunicationis*, V-11, in VI; ibi: « Statuimus quoque ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur excommunicationis sententia, **statuunt iura praemitti**, *iudices, sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla*, nisi necessitas aliter ea suaserit moderanda ».

(4) Conc. Trid. Sess. XXV, de ref. cap. 3.

tium remittitur prudenti iudicis vel Superioris arbitrio. *Nihil proinde impedit quominus monitio bis vel ter repetatur, vel sit una tantum peremptoria.* Mens tamen Ecclesiae est, **ut non praecipitetur censura, sed serius infligatur,** *ubi alia media non suppetunt* (1). Hinc in can. 649 statuitur: « ut professus a votis perpetuis dimitti possit, *praecedant necesse est* tria delicta cum *duplici monitione* ac defectu emendationis ad normam can. 656-662 »

136. Item *quoad competentia dierum intervalla*, quae inter unam et aliam monitionem, vel inter unicam monitionem et censurae irrogationem interesse debent, *res tota remittitur prudenti iudicis arbitrio;* nam edicitur: « dato, *si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio* casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore. Utiliter tamen iudex prae oculis habebit canones 660 et 662 quibus statuitur: « Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis: in delictis autem continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem *saltem trium dierum integrum spatium* » (can. 660). Et in can. 662 legitur: « Religiosus censetur se non emendasse, si post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter perstiterit: *post ultimam monitionem* **sex saltem dies erit expectandum,** antequam ad ulteriora progressus fiat ». Dato congruo ad resipiscentiam tempore.

137. Praeterea *necesse est ut iudex in monitione recolat censuras in iure statutas* (can. 2168, § 2, et can. 2176) *et addat* monitionibus *opportunas exhortationes et correctiones*, et alia quae apta censeantur ad emendationem delinquentis (can. 661). Ea quae addenda sunt monitionibus.

138. Denique monitio, si fieri potest, *ipsi reo tradenda est* (can. 1717, § 1); vel si reus se absentaverit, tradi potest citationis scheda a cursore alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum (can. 1717, § 3); vel si domum non habeat aut inveniri nequeat, fit locus monitioni per edictum (can. 1720) (2).

(1) Cf. Icard, op. cit. n. 763

(2) Vid. can. 1724.

De eo plurium delictorum.

CAN. 2234. — Qui plura delicta commisit, non modo gravius puniri, sed si, prudenti iudicis arbitrio, res id ferat, subiici etiam debet vigilantiae vel alii remedio poenali.

Gravius punitur,

139. Id quod statuitur in can. 2234 intime connectitur cum can. 2208. Ille enim *qui plura delicta committit*, suam auget culpabilitatem, (can. 2208, § 2), ideoque et imputabilitatem, et consequenter *gravius puniri debet* (can. 2218). Haec omnia clara et perspicua sunt. Sed praeterea quia ille qui pluries delinquit, quodammodo ostendit pertinaciam in mala voluntate (can. 2208, § 1), ac spernere videtur tum Ecclesiae auctoritatem tum etiam bona quibus ipse privatur, hinc *Superior* ex praescripto huius can. 2234, § 1, *potest delinquentem qui plura commisit delicta, subiicere vigilantiae vel alii remedio poenali*. Vigilantia diversimode a Superiore applicari potest pro diversis adiunctis rerum et personarum (can. 1957). Hinc ex. gr. potest Episcopus decreto suo mandare reo ut ad tempus deserat oppidum vel paroeciam, vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique maneat sub peculiari vigilantia alicuius sacerdotis qui invigilet moribus ipsius. — Notetur quod « vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos » can. 2311, § 2 (1).

et subiici potest vigilantiae...

De del. frustrato et de conatu delicti quoad poenam.

CAN. 2235. — Delictum frustratum aut conatus delicti, nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri, salvo praescripto can. 2213, § 3.

140. Quid sit delictum frustratum et conatus delicti, quaenam vero sit imputabilitas sive conatus sive etiam delicti frustrati, aliaque huiusmodi, iam vidimus supra declarantes can. 2212, 2213, 2224, § 3, 2228. Ne igitur actum iterum agamus, heic recolantur ea omnia quae exposuimus in praedictis canonibus declarandis. Hisce prae oculis habitis, quisque facile videt, quo! conatus punitur vel quatenus incipit exsecutionem criminis, vel quatenus est delictum *sui generis*, idest seorsum sum-

(1) In *Cod. Poen. Ital.* art. 28 legitur: « La legge determina i casi nei quali il giudice deve aggiungere alla pena inflitta la sottoposizione del condannato alla vigilanza speciale dell'Autorità di pubblica sicurezza... La stessa Autorità gli può vietare la residenza in luoghi determinati durante il tempo della vigilanza ».

ptus est actio criminosa; hinc legitur in can. supra transcripto — *nisi tamquam distincta delicta lege plectantur.* — Si conatus delicti vel delictum frustratum, tanquam distincta delicta lege plectantur, ea prae oculis haberi debent quae diximus supra n. 37. Si vero conatus puniatur quatenus *est inchoatio delicti,* videndum est, an poena in conatum sit in ipsa lege statuta vel non. Si primum, servandum est praescriptum can. 2224, § 3; si alterum, ad normam huius canonis, delictum frustratum aut conatus delicti, possunt congrua poena pro gravitate puniri salvo praescripto can. 2213, § 3.

Hisce omnibus adnotatis de poenarum notione, speciebus, interpretatione, atque applicatione, necnon de subiecto activo et passivo poenarum ecclesiasticarum, nunc praestat ut declaremus titulum VII, qui inscribitur *de poenarum remissione.* Sit itaque

TITULUS VII.

De poenarum remissione.

Quinam possit remittere poenam.

CAN. 2236. — § 1. Remissio poenae sive per absolutionem, si agatur de censuris, sive per dispensationem, si de poenis vindicativis, concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est.

§ 2. Qui potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere.

§ 3. Iudex qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit.

Censurae *absolutione,* poenae *dispensatione* auferuntur.

141. Uti patet ex § 1 huius canonis, *censurae auferuntur per absolutionem, poenae vindicativae per dispensationem;* et hoc rite intelligi debet. Etenim censurae, ut diximus supra, sunt poenae medicinales, infliguntur nempe ad frangendam contumaciam delinquentis, ideoque statim ac reus resipiscit ad normam can. 2242, § 3, et exhibet sufficientia signa emendationis, a censuris absolvitur; nam quo medicina, sanato morbo? Poenae vindicativae e contra reum tenent suapte natura, aut in praefinitum tempus aut in perpetuum. Exinde patet quod *poenae medicinales suapte vi expostulant absolutionem, sed vindicativae non exquirunt, sed patiuntur dispensationem.* Hinc absolutio a censuris toto coelo differt a poenarum dispensatione.

Discrimen inter absol. et dispens.

142. Et re quidem vera:

a) *Absolutio est secundum intentionem legis*, quae vult, ut statim ac reus a contumacia recedat, absolvatur; hinc necessario concedenda est censuratis poenitentibus, eamdem petentibus. *Necessario* diximus, quia non potest pendere ab arbitrio absolventis; *dispensatio* vero *est contra legem*, quippe legem poenalem infringit. Exinde sequitur quod

b) *Absolutio est actus iustitiae*, qui non potest pendere ab arbitrio absolventis; *dispensatio* vero *est actus gratiae*, qui proinde pendet omnino a voluntate Superioris poenam ferentis, in cuius potestate est concedere vel minus hanc gratiam (1); et consequenter

c) *Pro iniuste denegata absolutione*, quia denegatur id quod nobis ex iustitia debetur, *patet appellatio ad Superiorem, sed* e contra *pro denegata dispensatione*, quia nullum adest ius comparatum ad ipsam obtinendam, est enim actus gratiae, *haud praesto est appellatio, sed aliquando*, ut puta quum adest gravis necessitas publica aut privata obtinendi hanc dispensationem, *tunc patet recursus ad Superiorem* ob denegatam dispensationem. quo in casu, uti advertit Card. Lega, non exoritur ratio recursus a natura dispensationis *intrinseca*, sed ex adiunctis rerum extrinsecis; cf. Thesaurum P. I, c. 20 (2).

Patet igitur ex dictis curnam censurae auferuntur per absolutionem, uti legitur in § 1 huius canonis, poenae vindicativae per dispensationem.

Poenam remittere potest:

143. Additur in eadem § 1 quod absolutio vel dispensatio *concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est.*

a) qui poenam tulit,

Dicitur *primo — ab eo qui poenam tulit* — quia illius est solvere cuius est ligare; et iuxta reg. iur. 1: « *omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* »; et

(1) Inter absolutionem vero et dispensationem hoc distat, quod dispensatio contra legem est, absolutio vero secundum legem; (illa est enim actus gratiae, haec iustitiae); atque ideo illa strictam potius, haec potius latam interpretationem recipit. Ita D'ANNIBALE l. c. § 313 et not. 4. — Vid. SUAR. *De Legib.*, VI, 10, 9; *De Censuris*, 29, 1, 18.

(2) Haec omnia docet Card. LEGA, l. c., n. 121 et seq.

reg. 35 ff. ibi: « *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est* ». Et hoc valet etiamsi reus domicilium mutet, idest debet semper absolvi ab eo qui poenam tulit, quia mutatione domicilii reus subterfugere non potest iurisdictionem auctoris poenae.

Dicitur *secundo — vel ab eius* **competente** *Superiore* — hinc Metropolitae seu Archiepiscopi non possunt pro lubitu absolvere a censuris vel dispensare a poenis Suffraganeorum suorum, sed tantum tempore visitationis (c. 274, 5), vel causa ad ipsos per appellationem devoluta (c. 274, 7); *quia tunc sunt Superiores competentes, in casibus nempe a iure statutis.* *b*) eius Superior,

Additur — *aut successore — quia hic eamdem cum antecessore potestatem habet,* et eadem cum ipso persona censetur; hinc legitur in Reg. 46 R. I. in VI°: « *Is qui in ius succedit alterius,* eo iure, quo ille uti debebit ». *c*) Successor,

Tandem additur — *vel ab eo cui haec potestas commissa est;* — etenim « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum »; et « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum ». Reg. 68, 72 R. I. in VI°. *d*) delegatus,

144. Id quod edicitur in § 2 huius canonis, explanatione non indiget. Etenim ille *qui potest plus, potest et minus* (1), ac proinde ille qui potest *a tota lege* eximere, potest quoque eximere ab eius *vi coactiva* seu ab eius sanctione, quae habetur veluti accessorium (2). Hinc scripsimus supra n. 107: « Poena utpote sanctio legis vel praecepti habetur veluti accessorium: ac proinde si quis quacumque ex causa *eximitur a lege* poenali, eo ipso et a poena quoque exemptus haberi debet ». Sed quis potest a lege eximere? Profecto ille qui potest dispensare: et in can. 80 statuitur: « Dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel Superiore, nec non ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserint ». *e*) qui a lege eximere potest.

145. Tandem id quod statuitur in § 3 huius canonis, facile intelligitur ex iis quae diximus supra, declarantes can. 2220, § 1, Iudex poenam remittere nequit...

(1) « Plus semper in se continet, quod est minus » Reg. 35, R. I. in VI°.

(2) « Accessorium naturam sequi congruit principalis » Reg. 42, R. I. in VI°.

ubi legitur: *qui pollent potestate iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.* Hinc iudex, qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, postquam applicavit poenam, functus est munere suo; nec aliud agere potest; nam « lex superioris per inferiorem tolli non potest » (1).

Potestas Ordinarii circa poenas l. s. iuris communis.

CAN. 2237. — § 1. *In casibus publicis* potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis:

1° Casibus ad forum contentiosum deductis;

2° Censuris Sedi Apostolicae reservatis;

3° Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iurispatronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.

§ 2. *In casibus vero occultis,* firmo praescripto can. 2254 et 2290, potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis.

146. Poenae ad forum cumprimis externum pertinent, ideoque remitti nequeunt, sive per absolutionem, si agatur de censuris, sive per dispensationem, si agatur de poenis vindicativis, nisi ab illis qui habent iurisdictionem in foro externo. Et quia illius est solvere cuius est ligare, hinc non ab omnibus indiscriminatim remitti possunt, licet externa iurisdictione praeditis, *sed regulariter ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est* (can. 2236, § 1). Diximus — regulariter — quia uti patet ex hoc can. 2237, *Ordinarii possunt poenas latae sententiae iure communi statutas, exceptis casibus indicatis in eodem canone, remittere.* Et quidem nedum possunt ex § 2 huius can. remittere poenas ex delicto occulto provenientes, uti ediverat Sacrum Concilium Tridentinum in Sess. 24, cap. 6, De Ref.; sed etiam ex § 1 huius can. poenas incursas ob delictum publicum. Legitur enim in § 1 huius canonis: « *In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis* » etc.

(1) Cap. 2 Clem. *De electione et electi potestate,* 1-3; et MASCHAT, *De poenis,* n. 202.

147. Antequam exponamus casus qui excipiuntur, nonnulla breviter, claritatis gratia, adnotanda sunt:

Adnotanda circa hanc potestatem.

1) *Quinam sint casus publici, quinam vero casus occulti*, iam scimus ex alias dictis. Hinc ne actum iterum agamus, recolantur ea quae diximus declarantes can. 2197.

1) Casus publici, occulti.

2) Praeterea notetur quod facultas remittendi poenas ex delicto publico provenientes, conceditur *Ordinariis*. Iamvero ex can. 198 « *in iure nomine Ordinarii intelliguntur*, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ».

2) Quinam sint Ordinarii.

3) Quamvis pro remittendis poenis in casibus publicis non addantur verba quae habentur in § 2 huius canonis « *per se vel per alium* » tamen, quia agitur de potestate ordinaria (c. 197, § 1), quae proinde potest alteri delegari (c. 199, § 1), hinc Ordinarii nedum per se, sed *etiam per alium praedictas poenas remittere possunt.*

3) Possunt etiam per alium

4) Ulterius notetur, *facultatem concessam Ordinariis in hoc canone respicere poenas latae sententiae iure communi statutas.* Etenim poenae **ferendae sententiae,** etsi iure communi statutae « **considerantur tamquam ab homine** » (can. 2218, § 1, n. 3), ideoque *remitti possunt tantum ab illo qui condemnavit,* idest qui tulit sententiam condemnatoriam, vel a iudice appellationis, nisi expresse remissio poenae sit reservata ipsi legis seu poenae latori, quod praecipi non solet (1). Quando dicimus — *ab illo qui condemnavit... vel a iudice appellationis* — intelligimus Ordinarium qui condemnavit, vel Ordinarium ad quem causa devolvitur iure appellationis; nam ex can. 2236, § 3 « *iudex* **qui ex officio** applicat poenam a superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit » (2). Iudex enim, postquam sententiam dixit, iudex esse desiit (3). — Qua-

4) quoad poenas a iure f. sent.

(1) Card. Lega, l. c. n. 130.
(2) L. 14 Cod. *De Poenis.*
(3) L. 55 *De Re iudic.*

propter etiamsi agatur de poena iure communi statuta, quam quisque Ordinarius remittere potest, et reus qui poenas contraxit, desierit subditus esse eius qui eas irrogavit: ut puta si alio domicilium transtulit, si Instituto Regulari nomen dedit, tamen, ne intercipiatur ordo iurisdictionum, uti statim melius declarabimus, poena remitti debet ab eo qui condemnavit.

5) quoad poenas ab homine.

5) Item *si poenae sint ab homine,* ferantur nempe *per modum praecepti peculiaris*, (can. 2217, § 1, n. 3), *valet principium — illius est solvere cuius est ligare.* « Tunc *a fortiori* (scribit Card. Lega l. c. n. 130), haec (idest censura, quod et de poena vindicativa etiam valet), non absolvitur nisi ab eius auctore et successore in eodem munere, nec per se esse potest *reservata* Papae, nisi Hic, ob praecellentem potestatem, absolutionis concessionem sibi expresse avocet. Exinde, *a fortiori*, certum est quoad hanc censuram, ut censuratus, etsi desierit esse subditus censurantis, tamen ab eo tantum, non ab alio iudice ordinario absolvi potest; et hoc explorati iuris est, quia in hac censura non tantum sententia condemnationis, sed ipsum *vinculum* poenae repetendum est omnino ab auctoritate censurantis. Haec dicta sunt arg. cc. 29, 48, De sent. excom. X (V, 39); 7 h. t. in 6 (V, 11) et 8 De off. ord. X (1, 31) ».

Exceptiones: *a*) quoad casus publicos

148. Hisce adnotatis quoad facultatem concessam Ordinariis remittendi poenas latae sententiae iure communi statutas ex delicto publico provenientes, *nunc breviter declarandae sunt exceptiones quibus haec facultas coarctatur.* Et in primis excipiuntur casus ad forum contentiosum deducti; nam legitur: « *exceptis:*

1° *Casibus ad forum contentiosum deductis* ».

Tunc *casus dicitur deductus ad forum contentiosum, cum iudex competens negotium pertractare coeperit* (1). Haec exceptio eo spectat ne ordo iudiciorum et iurisdictiones perturbentur. Ubi enim iudicium incoeptum est, ibi debet finiri. Vid. can. 1568 (2). Iamvero interciperetur ordo iurisdictionum, si post-

(1) « Nec refert utrum deducti iure, an iniuria; hoc enim solius iudicis fori exterioris arbitrium est » (SUAR., 41, 2, 6). Ita D'ANNIB., § 316, not. 11.

(2) Can. 1568: « *Ratione praeventionis,* cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, *ei ius est* causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit ».

quam iudex seu Ordinarius negotium praeoccupaverit, alius Ordinarius poenas iam incursas remitteret (1). Sequitur proinde ex dictis quod delictum non habetur uti deductum ad forum contentiosum in casu quo iudex est absolute incompetens, vel si competens est, declaravit non esse locum processui, absolvit nempe reum ab impetitione iudicii (2).

Dein additur in canone:

« 2° *Censuris Sedi Apostolicae reservatis* ». Unde etsi casus non sit deductus ad forum contentiosum, si tamen delictum sit publicum, et mulctetur censura Sedi Apostolicae reservata, vi huius canonis Ordinarii nihil agere possunt. Haec innuisse satis est, quia de censuris reservatis inferius redibit sermo. — Denique sub num. 3 scribitur:

3° *Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.* Haud opportunum ducimus nunc declarare quid sint huiusmodi poenae inhabilitatis ad beneficia, officia etc. vel eorum privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris etc.; haec omnia declarabimus in decursu tractationis. Nunc adnotare satis est quod Ordinarii ab huiusmodi poenis latae sententiae iure communi statutis ob delictum publicum incursis dispensare non possunt.

149. Ex hactenus declaratis quoad § 1, facile etiam intelliguntur ea quae in § 2 huius canonis constituta sunt. Ex hac § 2 *Ordinarii nedum per se, sed etiam per alium remittere possunt omnes poenas provenientes ex delicto occulto sive materialiter sive formaliter,* (can. 2197, 4), *exceptis tantum censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis,* de quibus inferius loquemur.

b) quoad casus *occultos.*

(1) Card. Lega, l. c. n. 131: « Sed deductio ad *forum contentiosum,* impedit exercitium huius concessionis, etsi instantia iudicialis sit occulta; quia iudex, iure praeventionis, negotium praeoccupavit ».

(2) « Item si res deducta sit ad forum contentiosum, et reus vel definitive absolvatur, vel tantum absolvatur, *ab instantia,* seu edicatur, modo non esse *locum instantiae,* crimen deinceps censetur occultum, quamvis *falsa instrumenta* vel *falsi testes* intercesserint ad obtinendam sententiam absolutionis ». Card. Lega, l. c. not. 1; vide etiam D'Annibale l. c. § 316 et 242.

Legitur in § 2: « *firmo praescripto can. 2254 et 2290* », quia ad praescriptum horum canonum *in casibus urgentioribus quilibet confessarius potest* in foro sacramentali a censuris latae sententiae quoquo modo reservatis absolvere, ac obligationem servandae poenae latae sententiae suspendere, servatis servandis, uti postea declarabimus.

150. *Patet* proinde ex dictis *quam lata sit potestas concessa nunc Ordinariis* in novo Codice iuris canonici quoad censuras absolvendas vel poenas vindicativas dispensandas. Antea enim *ex iure Decretalium* a nonnullis tantum poenis poterant Episcopi dispensare, idest a poenis latae sententiae incursis ob adulteria et crimina his minora (1). Et ex potestate eis concessa *a Concilio Tridentino* absolvere poterant in casibus, et dispensare in irregularitatibus et suspensionibus occultis. Legitur enim in cap. 6, Sess. XXIV de Ref.: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, *et in quibuscumque casibus occultis*, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Item et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae *eis tantum*, non eorum vicariis, sit permissum.

Nunc praestat ut declaremus canones 2238 et 2239, ut videamus *quomodo danda sit* absolutio a censuris vel dispensatio a poenis vindicativis.

(1) Quaenam essent crimina maiora vel minora aestimabatur ex poenis, quibus in iure coercebantur. Hinc erant crimina *minora* furta, sacrilegia, periuria; *maiora*, homicidium, simonia, haeresis. V. THESAURUM, l. c. cap. 23, D. IV; SUAREZ, XXIX, 1, 21; SAYR., VII, 11, 15; D'ANNIBALE, l. c. § 315, not. 9; Card. LEGA, l. c. n. 131.

CAN. 2238. — Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est. Quomodo poena remittenda est.

CAN. 2239. — § 1. Poena *valide* remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum.

§ 2. Licet poena etiam oretenus remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur.

CAN. 2240. — Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703.

151. *Poena libere remitti debet;* hinc ex can. 2238 si *vi aut metu gravi extorta fuerit, ipso iure irrita est.* Et merito quidem, « quod latenter, *aut per vim, vel alias illicite* introductum est, nulla debet stabilitate subsistere » (1): et in Reg. 64 R. I. in VI°, legitur: « *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi* ». Notetur quod in canone nulla fit mentio de iustitia vel iniustitia metus, uti ex. gr. fit in can. 1087, ubi legitur: « Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco **et iniuste** incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ». Consequenter, si quid opinor, irrita est poenae remissio, etiamsi metus gravis iuste fuerit incussus, quia quod absolute dicitur, absolute intelligi debet. 1) Libere.

Doctores declarantes cap. un. *De iis, quae vi metusve causa fiunt,* 1, 20, in VI°, ex quo hic canon 2238 desumptus est (2), tenent, *validam esse poenae remissionem* metu gravi **iusto** extortam. Hinc D'Annibale l. c. § 355, scribit: « Demum absolutio danda est scienter et *libere:* non valet data per errorem circa causam motivam, vel extorta metu gravi et *iniusto* ». Et addit in nota 25: « C. un. De iis quae vi in 6. Dixi *iniusto; nam si metus caret iniuria, sibi imputet qui eum patitur...* veluti si nolis eum absolvere, qui recessit a contumacia, et satisfecit parti laesae, et absolutionem humiliter petit (S. Alph. VII,

(1) Cap. 5, X, *de regulis iuris,* V. 41.

(2) Cap. un., *de iis, quae vi metusve causa fiunt,* 1, 20 in VI° ibi: « Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metum extorta, praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem *sine vindicta* violentiae crescat audacia, *eos qui absolutionem seu revocationem huiusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiae decernimus subiacere* ».

119) » (1). — Sed quomodo concilias humilem petitionem absolutionis, quae requiritur ex parte censurati, cum metu gravi quem ipse censuratus incutit legitimo Superiori? Nonne humilis petitio (si adfuerit) evanescit ipsa tumida agendi ratione censurati, qui in causa propria sibi ius dicens, quod nemini licet, (quia nemo iudex in causa propria) grave malum comminatur illi, cui omnimoda subiectio ac reverentia debita est? Hinc censuratus habet quidem in casu ius provocandi ad iudicem superiorem, sed nullum habet ius extorquendi metu, qui proinde semper erit iniustus, remissionem poenae. Et ideo in canone nulla fit mentio de iustitia vel iniustitia metus, uti fit in can. 1087, *quia in casu metus iustus ne concipi quidem potest.*

152. Iam vidimus, remissionem poenae *libere* esse concedendam, ideoque extortam vi aut metu, ipso iure esse irritam. Praeterea *ex praescripto can. 2239:* « *poena valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro interno vel externo tantum.* « Ad haec omnia rite intelligenda, nonnulla breviter adnotanda sunt:

1) *Forum ecclesiasticum dividitur in forum externum et forum internum.* Scribit ad rem D'Annibale l. c. § 25: « Hoc (forum ecclesiasticum) *in externum et internum* diducitur: *externum* in quo iura, negocia, sive temporalia sive spiritualia; seu reip. christianae, seu singulorum, exercentur, geruntur: *internum* in quo negocia, iura versantur quae conscientiae singulorum intersunt ».

2) In foro externo vel interno tantum.

Praeterea *forum internum subdividitur in forum sacramentale seu poenitentiale, et in forum conscientiae*, ideoque *facultas remittendi poenas aliquando conceditur pro actu confessionis*, scilicet in foro sacramentali, *aliquando vero pro foro conscientiae, idest etiam extra confessionem.*

3) Praesenti vel absenti.

2) *Qui habet potestatem remittendi poenas in foro externo, etiam absenti per litteras vel per nuncium potest remittere poenas,* imo iusta de causa, etiam in foro conscientiae, remissio poenae dari potest absenti (2). *Si* vero remissio poenae concedenda est *in foro sacramentali, non potest dari nisi prae-*

(1) Cf. Card. LEGA, l. c. n. 149, 5.
(2) Card. LEGA, l. c. n. 126.

senti. Scribit D'Annibale l. c. § 353: « Dari autem potest absolutio a censuris, quamdiu fuerint occultae, in foro interno, seu sacramentali, seu conscientiae (1) praeterquam in iubilaeo, quo danda est in foro sacramentali (2). Et licite, ex urgenti causa, *datur absenti per litteras, vel internuncium;* nisi alicui mandatum fuerit absolvere *in forma Ecclesiae consueta; vel in confessione sacramentali* » (3).

4) Absolute vel sub conditione.

3) Denique *poena valide remitti potest absolute vel sub conditione;* idest *sub conditione suspensiva,* vel *sub conditione resolutiva seu ad reincidentiam.* Placet heic referre id quod docet D'Annibale l. c. § 354: « Absolutionem a censuris dari posse sub conditione, etiam de futuro, translatitium est. Et sic dari potest ut valere incipiat postquam reus aliquid praestiterit, v. g., restituerit (conditio *suspensiva*); vel ut statim valeat, sed nisi intra certum tempus aliquid praestiterit, ex. gr., nisi restituerit (conditio *resolutiva*) ipso iure reincidat in eandem censuram. Haec posterior absolutio dicitur *ad reincidentiam* » (4).

Reincidentia est vel *a iure,* nempe a lege ipsa, vel ab homine, prout adiicitur vel imperio legis, vel ab eo qui absolvit (5); nec intelligitur, nisi absolutio sub hac expressa declaratione, idest adiecta reincidentia, data fuerit: et ab eo solo adiici potest, qui potest ferre censuras. Et quia, verius, nova (licet eiusdem speciei) censura est, sine nova culpa et contumacia, non incurritur (6).

(1) Dicitur seu sacramentali seu conscientiae quia poena remitti potest seorsum a peccatorum absolutione. V. D'Annib., l. c. § 336.

(2) « In Iubilaeo poena remittenda est tantum in actu confessionis »; ita expresse iussit Benedictus XIV sua Const. *Inter praeteritas,* § 63. D'Annib., l. c. not. 11.

(3) Forma Ecclesiae consueta pro foro interno ea est qua utimur in foro *sacramentali;* in externo, illa est quae invenitur in Rit. Rom. *De Sacram. Poenit.* V. infra num. 184, *De absolutione cens. in foro int. vel in foro ext.*

(4) D'Annib., l. c. not. 17.

(5) In can. 2254, § 1 legitur: « In casibus urgentioribus... quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, **sub poena reincidentiae,** intra mensem etc. ».

(6) D'Annibale, l. c.; Card. Lega, l. c. n. 134. Idem Emus A. n. 135, quoad conditionem reincidentiae advertit: « ... suapte natura, reincidentiae

153. In § 2 huius canonis animadvertitur quod: « licet poena etiam oretenus remitti possit, *si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur* »; et planum est, quia: « *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est* » (1).

154. Quoad canonem 2240 recolantur ea quae diximus supra n. 131.

SECTIO II.

De poenis in specie.

Materia sect. II.

155. Postquam exposuimus *Sectionem 1am — De poenis in genere* — nunc praestat ut declaremus *Sectionem 2am*, quae inscribitur — *De poenis in specie.* Haec secunda sectio *tribus titulis* absolvitur, quorum in primo agitur (cap. 1) de censuris in genere, et (cap. 2) de censuris in specie, idest (art. 1) De excommunicatione; (art. 2) de interdicto; et (art. 3) suspensione; in altero vero (idest tit. IX) agitur de poenis vindicativis, tum (cap. 1) communibus, tum (cap. 2) peculiaribus clericorum; demum in titulo 3 (idest X) fit sermo (cap. 1) de remediis poenalibus et (cap. 2) poenitentiis. Haec omnia breviter exponenda sunt. Sit itaque

conditio non *dispensationi*, sed *absolutioni* convenit; quia, uti significat ipsum vocabulum — *reincidentia* — seu in censuram relabi, pendet maxime ab ipsa voluntate contumacis; dum, e contra, vinculum poenae *proprie* dictae seu *vindicativae*, pendet, potissimum, a necessitate restaurandi ordinem socialem laesum ». « Verumtamen (ibidem), per se, nihil impedit, quominus Praelatus poenam dispenset sub ea conditione ut dispensatus si aliquid non praestet, iterum vinculo eiusdem poenae constringatur... ».

1) Reg. 35 ff.; V. can. 2225.

TITULUS VIII.

De poenis medicinalibus seu de censuris.

CAPUT I.

De censuris in genere.

Quid censura et quomodo infligenda.

CAN. 2241. — § 1. Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur.

§ 2. Censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione.

156. Censura a *censendo* seu corrigendo dicta, apud Romanos denotabat officium Censorum, qui descriptionem seu censum de personis et de bonis civium in tabulas censorias referebant, et mores civium publica auctoritate reprehendebant ac *censoria nota* signabant (1). Ecclesia suum fecit systema censurae seu sollicitae animadversionis in delinquentes, ac remedia poenalia quae ipsa constituit ad emendationem delinquentium, censuras nuncupavit (2). Sed animadvertendum est quod sicut progressu temporis in legibus romanis verbum censurae obtinuit generalem significationem poenae (3), ita et in foro ecclesiastico haec generalis significatio censurae paulatim recepta est, ac proinde primis Ecclesiae saeculis nomine censurae comprehendebantur diversa genera poenarum, veluti suspensio, excommunicatio, depositio, publicae poenitentiae (4). Postea vero clarius distincta fuit notio poenae vindicativae a notione poenae medicinalis seu censurae, ideoque nomine censurae non amplius comprehendebantur poenae vindicativae, sed tantum poenae spirituales et medicinales. Hinc anno 1214 cum quaesitum fuisset a Summo

(1) Cf. FORCELLINI, *Lexicon lat.* v. *Censura;* SCHMALZGRUEBER, op. c., libr. V, tit. 39, n. 1. REIFFENSTUEL, lib. V, tit. 39, n. 1; D'ANNIBALE, l. c. § 324, not. 1.

(2) Card. LEGA, l. c. n. 96 et seq.

(3) L. 1 Cod. Theod. *de off. rect. prov.* I, 7, L. 5 Cod. Theod. *ne s. bapt. iter.* XVI, 6.

(4) MORINUS, *De administr. sacram. poenit.* VI, 25.

Pont. Innocentio III, quid per censuram ecclesiasticam deberet intelligi, reposuit: « Quaerenti quid per censuram ecclesiasticam « debeat intelligi, cum huiusmodi clausulam in nostris litteris « apponimus, respondemus quod per eam non solum *interdicti*, « *sed suspensionis et excommunicationis sententia* valeat intel- « ligi, ut iudex discretus rerum et personarum circumstantiis « indagatis, ferat quam magis viderit expedire » (1).

Censurae notio.

157. Hisce adnotatis *quoad nomen censurae*, nunc *notio censurae evolvenda et declaranda est.* In § 1 huius canonis censura

1) *dicitur poena*, quia est privatio alicuius *boni spiritualis* vel spirituali adnexi propter delictum a competente auctoritate inflicta (can. 2215). *Est poena spiritualis*, non solum quia procedit a sola potestate spirituali, et in primis animarum saluti inservit (2); sed praecipue *quia spiritualia per se subtrahit bona*, licet indirecte et secundario privet etiam temporalibus; ita ex. gr. per excommunicationem impeditur civile commercium, per suspensionem fructus beneficii amittuntur (3). Praeterea censura *est poena* **medicinalis**, *quia per se et primario ordinatur*, non ad publicam vindictam criminis, sed *ad correctionem delinquentis*, ut reus nempe emendetur et ad meliorem frugem redeat (4). Scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 106: « Demum adverti debet, et hoc maxime interest advertere, censuram proprie haberi cum *usus* prohibetur *iurium spiritualium* vel *spiritualibus* adnexorum *ad frangendam contumaciam*; poenam proprie dictam, ex adverso, cum *usus vel proprietas* aufertur *rerum spiritualibus* adnexarum *directius ad restaurandum ordinem socialem laesum*. Quare non intelligitur *censura nisi qua est* **spiritus medela**; seu iuxta propositum D. Pauli, I Corinth. 5 « ut spiritus salvus sit in die Domini ». Et D'Annibale l. c. § 324 scribit: « Est poena cum primis, immo *suapte natura medicinalis*; quia uti medicina morbos, ita haec peccata aut cavet, aut curat: cavet antequam admittantur, curat cum fuerint admissa; et ex

(1) Cap. 20, X, *De Verb. signif.* V, 40.

(2) I AD COR. V, 5.

(3) SCHMALZGRUEBER, *De sent. excomm.* n. 2, 4; SUAREZ, Disp. 1, sect. 2, n. 5, 6; D'ANNIBALE, l. c. § 324.

(4) Cap. 1, *De sententia excommunicationis*, V, XI, in VI°.

hoc capite est poena sui generis. Hac re censurae, non in perpetuum, nec in diem certam, vel arbitrio eas ferentium inferri possunt, sed simpliciter inferri debent, ut cum reus se emendaverit, absolvi possit » (1).

2) Additur in can.: « *qua homo baptizatus, delinquens et contumax* », *quibus verbis exprimuntur conditiones ut quis censuris ligari possit.* Requiritur nempe *homo baptizatus*, quia (can. 12) nonnisi baptizati legibus mere ecclesiasticis obnoxii sunt; et Apostolus in ep. I^a^ ad Corinth. V, 12, 13, scribit: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare?... Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit ». Et in cap. 2, sess. XIV *De Poenitentia*, Concil. Tridentini legitur: « ... Cum ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis, qui foris sunt, iudicare?* ». Hinc ethnici, Iudaei aliique infideles censuris non innodantur. Quomodo enim communione ecclesiastica interdici possunt, qui intra eamdem communionem numquam extiterunt? Idest quomodo exire coguntur, qui nondum ingressi sunt? (2). Additur *delinquens et contumax: delinquens*, quia poena supponit delictum: hinc ex Reg. 23 R. I. in VI: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus »; et in canon. 2233, § 1, legitur: « *Nulla poena infligi potest*, nisi certo constet delictum commissum fuisse... ». Additur etiam *et contumax:* quia censura, uti diximus supra, est poena medicinalis, quae dirigitur ad frangendam contumaciam seu ad corrigendam pravam voluntatem delinquentis, ac proinde ea est ratio censurae ut, *praeter reatum delicti, supponat contumaciam.*

3) « **quibusdam** *bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur* »: dicitur — **quibusdam** — quia sunt quaedam bona spiritualia, quae per censuram non auferuntur; ex. gr. character, potestas ordinis, fides, spes, caritas, dona gratiae. Huiusmodi bonis utpote internis et propriis uniuscuiusque, Ecclesia neminem privare potest (3). Bona igitur quae per censuram auferuntur sunt bona communia, externa, illa nempe quorum dispen-

(1) Cf. Schmalzgrueber, *De sent. excomm.*, n. 5; Wernz, l. c. n. 145; Cappello, *De Censuris*, pag. 2.

(2) Cf. Icard, op. cit. n. 761.

(3) Salmat., *De censuris*, cap. 1, p. 1, n. 7; S. Alph., VII, 2.

satio Ecclesiae concredita est, uti Sacramentorum administratio et perceptio, beneficia, officia ecclesiastica, iurisdictio spiritualis, publica suffragia, et satisfactiones, sepultura ecclesiastica et alia huiusmodi (1).

— *Bonis spiritualibus* etc. — idest bona quae per censuram auferuntur sunt vel spiritualia, veluti indulgentiae, iurisdictio spiritualis, etc. vel spiritualibus adnexa, veluti fructus beneficii, administratio bonorum beneficii etc. (2).

4) « *donec, a contumacia recedens, absolvatur* »; etenim cum Ecclesia per censuras intendat praecipue peccatores ad meliorem frugem reducere, ipsos a censuris absolvit, quando a contumacia recedunt, idest quando exhibent signa sufficientia emendationis, et aedificationi fidelium satis provisum fuit can. 2242, § 3) (3).

Censurae ne infligantur, nisi *sobrie* et *magna cum circumspectione*.

158. Denique in § 2 huius canonis *Legislator advertit omnes Ecclesiae Praesules*, quibus competit potestas ferendi censuras (can. 2220), *ut non infligant censuras, praesertim latae sententiae, maxime excommunicationem, nisi sobrie et magna cum circumspectione*. Ratio huius dispositionis habetur in cap. 3, Sess. XXV De Ref. Conc. Trid. ubi legitur : « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, *sobrie* tamen *magnaque circumspectione* exercendus est, *cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem* » (4).

(1) Cf. DE ANGELIS, *Praelectiones iuris can., De sent. excommunicationis*, p. 361 et seq.

(2) D'ANNIB. l. c. § 324 : « Censurae... non ipsa bona spiritualia adimunt reo, *sed usum eorum tantum*, donec resipuerit » : et in hoc censura (ita Icard l. c. n. 761) « differt a privatione officii, a depositione et degradatione quae in perpetuum privant vel *ipsa re*, vel exercitio functionum ».

(3) D'ANNIB. l. c. not. 4 : « Sane medicinae nec in perpetuum parantur, nec in definitum diem, nec quandiu videbitur medico, sed quoad aegrotus sanitatem receperit : atque ideo censurae toto coelo distant a depositionibus, degradationibus et irregularitatibus ex delicto ».

(4) Cap. I, *De Sent. excomm.* V, XI, in VI° ibi : « Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat, caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis ».

CAN. 2242. — § 1. Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum ; potest autem ferri censura etiam in delinquentes ignotos. Quodnam delictum censura punitur.

§ 2. Si agatur de censuris ferendae sententiae, contumax est qui, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat ; ad incurrendam vero censuram latae sententiae sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur.

§ 3. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit ; iudicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur. De contumacia.

159. Ex dictis in canone praecedenti, censura ex ipsa indole et natura sua ferri non potest, nisi in hominem baptizatum, delinquentem et contumacem.

Nunc vero in hoc canone clare et perspicue statuitur, (§ 1) *quomodo debet esse delictum censurâ plectendum*, (§ 2 in quo proprie consistit contumacia quae requiritur ad incurrendam censuram sive latae sive ferendae sententiae, ac denique (§ 3) traduntur normae ad dignoscendum an quis a contumacia recesserit necne.

Ad primum quod spectat, *ut infligatur censura, requiritur ex* § *1* huius canonis *ut delictum sit* :

a) *externum* ; et hoc patet ex iis quae diximus declarantes can. 2195, § 1, quo edicitur : « Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur **externa** et moraliter imputabilis *legis violatio* etc. ». Ecclesia enim, quatenus est societas externa, de internis non iudicat (1). Recolantur ea quae diximus supra num. 4 et seqq. Delictum: *a*) externum.

b) *grave* ; etenim ipsa lex naturalis dictat servandam esse proportionem inter delictum et poenam ; et ideo in can. 2218 legitur : « In poenis decernendis servetur aequa proportio cum delicto ». Cum igitur consurae sint poenae omnium gravissimae, necessario consequitur, ipsas tantummodo in reos graviorum criminum ferri posse. « Quod si, omnium Doctorum consensu, ait « Benedictus XIV, *grave et enorme crimen requiritur ad irro-* *b*) grave.

(1) Can. II, Dist. 32.

« *gandam censuram*, etiam quam vocant comminatoriam et fe-
« rendae sententiae, multo sane gravius et execrabilius esse oportet
« delictum ob quod infligatur censura latae sententiae » (1).

c) consummatum.

c) *consummatum*; et hoc etiam intelligitur ex iis quae diximus declarantes can. 2228: hinc ne actum iterum agamus, recolantur ea quae diximus supra n. 112 et seqq. (2).

d) coniunctum cum *contumacia*.

d) *cum contumacia coniunctum*; etenim censura ex indole et natura sua dirigitur praecipue ad frangendam contumaciam, ideoque, praeter reatum delicti, supponit contumaciam seu contemptum censurae.

160. Sed censura contemni non potest nisi prius cognoscatur, hinc haec praevia censurae cognitio seu comminatio inducitur, uti vidimus supra n. 132 et seq., per monitiones *a iure vel ab homine*, quibus delinquentes, non obtemperantes, contumaces constituuntur. Et ita plane intelligitur § 2 huius canonis qua edicitur, *pro censuris ferendae sententiae illum esse contumacem, qui non obstantibus monitionibus* de quibus in can. 2233, § 2, *a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam* cum debita damnorum et scandali reparatione *agere detrectat; ad incurrendam vero censuram latae sententiae sufficere transgressionem legis vel praecepti* cui censura adnexa est: *quia lex interpellat pro homine*, et merito contumax habetur, qui legem cui censura latae sententiae adnexa est, perspectam habens, ipsam transgreditur. Hinc patet ex hac § 2 in quo proprie consistit contumacia requisita ad incurrendam censuram sive latae sive ferendae sententiae. Praesertim *pro censuris latae sententiae incurrendis, contumacia consistit in contemptu censurae sive for-*

Contumacia in poenis *latae vel fer.* sent.

(1) BENEDICTUS XIV, *De Synodo*, lib. X, cap. I, n. 3.

(2) D'ANNIB. l. c. § 326: « Uti autem latam, seu iure, seu quovis praecepto, censuram incurrere aliquis possit, opus est *delicto, et contumacia*. *Delicto*, naturali iure, quia poena est; eoque gravi, sive per se, sive per accidens, quia censura est gravis poena. *Contumacia*, iure canonico, quia censurae introductae sunt ad contumaciam cum primis coercendam. Contumacia (a contemnendo) heic est *contemptus censurae*: porro non potest contemni quod non est; ideo nisi censura antea in delictum lata (comminata) fuerit lege aliqua, vel praecepto, eius contemptus (ac proinde contumacia) ne intelligi quidem potest. Quisquis igitur factum aliquod, vel omissum, censuris punire vult, necesse habet eas comminare... idest illud prius vetare, hoc praecipere sub censura, eaque specifica ».

mali, sive implicito et virtuali, qui nempe in eo habetur, qui sciens aliquid per legem vel mandatum Superioris sub censura prohiberi, legem tamen vel mandatum transgreditur. Scribit ad rem Icard l. c. n. 761 : « Quod vero ad contumaciam attinet, animadvertemus contumaces merito reputari, non solum qui formaliter contemnunt auctoritatem Ecclesiae, sed etiam qui, cum sufficienter noverint legem aliquid vetantem et censuram qua sancita fuit, eam nihilominus *culpabiliter* violant » (1).

Additur in fine § 2 huius canonis : « *nisi reus legitima causa ab hac excusetur* »; et planum est; dummodo tamen ad normam can. 2218, § 2, « pro foro externo excusatio evincatur ».

Censura ferri potest etiam in delinquentes *ignotos*.

161. Praeterea animadvertendum est, quod *censura*, uti edicitur in § 1 huius canonis, *ferri potest etiam in delinquentes ignotos*. Dicitur *in delinquentes* **ignotos**, minime vero in delinquentes **incertos** ; etenim subiectum censurae debet esse *certum*. Scribit Card. Lega l. c. n. 119 : « Subiectum vero censurae esse non potest nisi *persona certa*, eo sensu ut nullius valoris esset censurae sententia quam ferret iudex in unum tantum ex pluribus delinquentibus sibi nullimode cognitum : quum diceret : *ex decem furibus unum excommunico*. Si alias determinet dicens, eum excommunico qui, recensitis omnibus, quinto numero distinguetur, excommunicatio *irrita non est* ». Et cl. Wernz l. c. n. 150 scribit : « Subiectum censurae debet esse certum et saltem conditionate determinatum. Id quod fit etiam in censuris, quae ipso iure incurruntur. Sententia vero censurae in personam vel personas vage determinatas v. g. excommunico unum ex tribus auctoribus huius criminis est nulla et irrita. Cfr. Suarez l. c. disp. V, sect. 2 ».

Sed *auctor alicuius delicti, quamvis certus, potest quandoque manere ignotus*. Ita ex. gr. si agatur de delicto « quod natura sua complicem postulat » (can. 2209, § 2), et unus conreus cognitus sit, alius vero ignotus ; in casu delinquens est certus, sed ignotus, qui procul dubio impunitus evadere non debet, et iure meritoque censuris mulctandus est.

Sed dices : quomodo tunc praemittuntur monitiones, de qui-

(1) Cf. Reiffenst. V, 39, 14 ; D'Annibale l. c. § 325, nota 5 : ibi : « *Et sufficit contemptus virtualis* », et § 271 ; Wernz l. c. n. 145.

bus in can. 2233, § 2, ut cognoscatur an delinquens ignotus sit contumax necne? Responsio patet ex dictis supra (n. 138); fit nempe locus monitioni per edictum (can. 1720); et si, elapso congruo tempore ad resipiscentiam adsignato, reus monitioni non obtemperet, iure meritoque censura percellitur.

Quando contumacia desisse censetur.

162. Demum superest declaranda § 3 huius canonis quam iudex vel Superior prae oculis habere debet, ad dignoscendum an censuratus rite absolvi possit necne. *In concedenda enim* censurarum *absolutione caveri debet ut appositae dispositiones adsint in absolvendo a censuris.* Siquidem *recessus a contumacia secumfert ut reum vere delicti commissi poenituerit,* et simul ut praebeat congruam satisfactionem pro damnis et scandalo, idest satisfaciat ei quem affecit iniuria, et obtemperet mandatis Ecclesiae seu legitimi Superioris, cuius contempsit auctoritatem (1). Quod si in praesens satisfacere nequeat, promittat, cum primum poterit, satisfacturum. — Ante novum Codicem iuris canonici ut quis posset obtinere absolutionem *in foro externo*, nondum reddita legitima satisfactione, cavere debebat vel cautione *pignoraticia* vel saltem *fideiussoria*, vel, ad minus, *iuratoria* se pariturum absolventis mandatis (2). Nunc vero, uti patet ex canone transcripto, huiusmodi cautiones non requiruntur, nam dicitur tantum « *aut saltem serio promiserit* ». Attamen quia (uti legitur in fine canonis) iudicare utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua *aut eiusdem promissio seria necne*, illius est, a quo censurae absolutio petitur »: hinc nihil impedit, quominus Superior quandoque cautiones exquirere possit, si ipsas, pro diversis adiunctis rerum et personarum, opportunas duxerit.

(1) Cap. 15, X, *De sententia excomm.*, V, 39; c. 20, 21, 23, X, *De Appell.* II, 28 et 23, X, *De Verbor. Signif.* V, 40.

(2) Diximus — *in foro externo* — minime vero *in foro interno, sive sacramentali, sive conscientiae*; « nam cautio (ita D'ANNIBALE l. c. § 351, not. 6) res est fori exterioris, et canones qui illam exigunt ad forum externum pertinent, quia censura est poena exterioris fori ». Hinc S. Poenitentiaria suis responsis d. 10 Dec. 1860 et d. 11 Apr. 1869 edixit, sufficere, si animo parati sint damna resarcire, reparare scandala, et stare mandatis Ecclesiae desuper ferendis.

CAN. 2243. — § 1. Censurae inflictae per sententiam iudicialem, statim ac latae fuerint, exsecutionem secumferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo ; item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum. Appellatio vel recursus a censuris inflictis vel comminatis.

§ 2. Appellatio vero vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto comminante censuras *etiam latae sententiae nondum contractas*, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, si agatur de re in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo ; secus censuras suspendunt, firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto.

163. Appellatio definitur : « ius provocandi ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem » (can. 1879). Notio appellationis.

Dicitur — *ius provocandi* — quia appellatio fit per provocationem, quasi Superioris invocata defensione, quia haec intenditur omni actu, quo altioris iudicis imploratur officium et auxilium.

Additur — *ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem* — quia provocatio nonnisi ad iudicem superiorem fieri potest, idest ad iudicem, cui ius est inferioris sententiam rescindere aut revocare. Exinde patet quod ideo fit appellatio ad iudicem superiorem, ut obtineatur rescissio vel emendatio prolatae sententiae, et consequenter appellatio legitime interposita *devolvit* ad iudicem superiorem, cognitionem totius causae cum omnibus accessoriis [1] : et hic *effectus* appellationis, *qui devolutivus* dicitur, disiungi non potest ab appellatione. Etenim iudex superior sententiam rescindere aut revocare non potest, quin totum negotium ad ipsum devolvatur. Quare deficiente effectu devolutivo, appellatio ne intelligi quidem potest [2].

Praeter effectum devolutivum, habetur et effectus suspensivus, qui consistit in hoc, ut suspendatur vis sententiae, et iudicis inferioris a quo appellatur competentia, ita ut hic prolatam sententiam exsequi non valeat, nec aliquid innovare possit in re litigiosa contra ius appellantis ; ideoque uti, lite pendente, nihil potest innovari (can. 1725, 5°), ita, appellatione pendente, nihil est innovandum [3]. Effectus *devolutiv.* et *suspens.*

[1] Cap. 55, X, *De appellationibus*... II, 28.
[2] Card. LEGA, op. cit. vol. I, nn. 658, 659.
[3] Card. LEGA, l. c. n. 656.

Sed animadvertendum est, quod effectus suspensivus, non ita necessario sequitur appellationem, uti effectus devolutivus : et hoc probatur, aliis praetermissis, ex hoc ipso canone 2443, quo edicitur, a censuris inflictis per sententiam iudicialem, non dari appellationem, nisi in devolutivo, idest *sine effectu suspensivo*. Haec omnia quae diximus confirmantur ex can. 1889, quo statuitur :

§ 1. « Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium : « *lite pendente nihil innovetur* » : appellatio autem in devolutivo tantum, non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae. § 2. Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can. 1917, § 2 ».

A cens. inflictis appellatio *in devolutivo tantum*.

164. Hisce declaratis, facile intelligitur dispositio § 1 huius can. 2243 ; ideo nempe *a censuris inflictis* sive per sententiam iudicialem, sive ad modum praecepti, *non datur appellatio vel recursus, nisi in devolutivo*, quia, uti advertitur in ipso canone, censurae « statim ac latae fuerint, exsecutionem secumferunt » (1). Idest censura, statim ac irrogatur, *ab ipsa sententiae publicatione* incurritur, quin ullus alius exsecutionis actus requiratur ; cumque censura « semel contracta, tollatur tantum legitima absolutione » (can. 2248 § 1), plane omnino consequitur, interpositam appellationem a censuris inflictis, nec auferre, nec suspendere posse easdem censuras, ideoque *habere tantummodo effectum devolutivum* (2).

A comminatis *ab homine*, etiam in suspensivo.

165. Si vero agatur, *non de censuris inflictis, sed tantum comminatis per sententiam iudicialem vel per praeceptum, regulariter* datur appellatio vel recursus *etiam in suspensivo, etiamsi agatur de censuris latae sententiae nondum contractis* ; idest appellatio vel recursus suspendunt censuras, « firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto » § 2.

(1) Cap. 53, X, *De Appellationibus*, II, 28, ibi : « Nos itaque respondemus, quod cum exsecutionem excommunicatio secum trahat... » etc.

(2) Cap. 37, X, *De Appellationibus*, II, 28 ; Cap. 20 *De sent. excomm...* V, 11 in VI.

Et ratio est, quia per appellationem suspenditur iurisdictio iudicis, qui amplius exsequi non potest comminatam censuram. Hinc optime scribit D'Annibale l. c. § 333 : « Porro censura eo tempore irrogari intelligitur, quo contrahitur, seu, tunc cum effectum habere debet (1) : ideo, non erit amplius censurae locus, si medio tempore (post delictum videlicet admissum, et ante censuram contractam) res ad eum casum devenerit, in quo irrogari non potuisset. Nempe 1° ex parte eius, qui illam tulit, *si appellatio interposita fuerit* ante sententiam ; **vel post eam quidem latam**, *sed pendente die ex qua, vel conditio sub qua lata fuit* ».

Sequitur proinde ex dictis quod *regulariter* admittitur appellatio vel recursus, *etiam in suspensivo, quando agitur tantummodo de censuris comminatis ab homine* sive per sententiam iudicialem, sive per praeceptum ; nam *a censuris comminatis a iure non datur appellatio ad effectum suspensivum* (2).

Et ratio est quia quando agitur de censuris comminatis ab homine *infligendis*, per interpositam appellationem intercipitur iurisdictio illius a quo appellatum est, ideoque censuram iam comminatam amplius exsequi non valet. Dum e contra *in censuris a iure latae sententiae*, pro quibus incurrendis sufficit transgressio legis, cui censura l. s. adnexa sit (can. 2242, § 2), *ne concipi quidem potest appellatio in suspensivo, etsi aliquando intercesserit monitio ab homine*. Tunc enim etsi intercipiatur iudicis comminantis iurisdictio, patrato crimine, censura incurritur, quia non a iudice, sed ab ipsa lege irrogatur.

Diximus — *regulariter* — quia, uti legitur in can. § 2, quando agitur de re in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo, appellatio vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto comminante censuras, etiam latae sententiae nondum contractas, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt ; et planum est.

(1) Cap. 40, X, *De Appellationibus*, II, 28 ; V. D'Annib. § 307, not. 41 ; Suar. III, IV, 10, 13 ; V, I, 15.

(2) Const. *Ad militantis*, Benedicti XIV, ed. die 30 martii 1742, § 36.

Censurae multiplicantur in eodem subiecto.

CAN. 2244. — § 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari.

§ 2. Censura *latae sententiae* multiplicatur :

1° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur ;

2° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta ;

a) latae sententiae : 1) diversas violans leges.

3° Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur.

§ 3. Censura *ab homine* multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant [1].

166. Uti patet ex canone transcripto, *eadem persona plures censuras contrahere potest, sive diversae sive eiusdem speciei*, et quidem sive ex transgressione diversarum legum quibus censura latae sententiae adnexa sit, sive etiam *ex repetita, non incontinenti, sed ex intervallo, eiusdem legis transgressione.* Immo censura latae sententiae multiplicatur etiam ob unicum delictum, diversis censuris a distinctis superioribus mulctatum.

Hinc *si quis violet diversas leges poenales, quibus censura l. s. adnexa sit,* ex. gr. violentas manus in clericum iniiciat, et quaestum faciat ex indulgentiis, duas incurrit excommunicationes, alteram Ordinario proprio (can. 2343, § 4), alteram Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (can. 2327).

2) eandem legem ex intervallo.

167. Item si quis bis terque violentas manus iniecerit *ex intervallo* in personam clerici, duas vel tres incurrit excommunicationes Ordinario proprio reservatas (can. 2343, § 4) [2]. Et ratio est, uti diximus supra, declarantes can. 2224 (n. 100), quia lex efficaciam habet contra singulas praevaricationes, et *multiplicatio censurarum eiusdem vel diversae speciei in eodem subiecto non repugnat;* ac proinde *quoties lex temere violatur, toties nova censura incurritur.* Neque dicatur, hominem iam privatum omnibus bonis spiritualibus quibus privari potest, non posse iterum iisdem privari; nam *censura non habetur uti mera* privatio, *sed veluti causa positiva et vinculum*

[1] Heic recolantur omnia quae diximus supra, declarantes can. 2224.

[2] « Si quis (ita S. ALPHONSUS, lib. VI, n. 28) reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo cui imposita est censura, toties censuram incurrit ; secus, si moraliter actus non interrumpitur ».

inducens hanc privationem. Porro nihil obstat, plures causas, seu plura vincula adiici ad eandem privationem inducendam, sicut homo potest pluribus praeceptis obligari ad abstinendum eodem actu (1). Scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 120: « Demum minime abhorret a conceptu censurae, aliquem ligari pluribus censuris vel eiusdem speciei, veluti excommunicationibus; vel diversae speciei, veluti excommunicatione, suspensione, et interdicto. Nam hae constituunt vincula poenalia et nihil prohibet quominus aliquis non uno tantum vinculo, sed pluribus vinculis vel eiusdem vel diversi generis et speciei et eodem tempore constringatur » (2).

168. Pariter (§ 2-3) *multiplicantur censurae ob unicum delictum diversis censuris a distinctis Superioribus punitum*, ex. gr. a S. Pontifice et ab Episcopo, ita ut ab utroque Superiore absolutio postulanda sit; et si unus Superior absolvat, alius absolvere detrectet, censuratus subiicitur censuris quousque ipsum absolverint omnes qui censuram inflixerunt.

3) eandem a distinctis Superioribus sancitam.

169. Et sicut multiplicatur censura *a iure latae sententiae*, ita *pariter multiplicatur censura ab homine*; idest *potest quis ligari pluribus censuris ab homine, si transgrediatur plura praecepta* vel plures sententias vel plures distinctas partes eiusdem praecepti vel sententiae, quibus praecipitur ut aliquid fiat vel omittatur, sub poena censurae ipso facto incurrendae; et planum est.

b) ab homine: violando plura praecepta vel plures sententias.

CAN. 2245. — § 1. Censurae aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae.*

Reservatio censurarum.

§ 2. Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato; ex censuris vero *a iure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi.*

§ 3. E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt *reservatae simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo.*

§ 4. Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget.

(1) Cfr. cap. 27 et cap. 42, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39, in quibus agitur de homine pluribus simul excommunicationibus ligato ob plures excessus, vel a pluribus Praelatis censura mulctato ob varias causas.

(2) Cf. Wernz, l. c. n. 150; D'Annibale, l. c. § 327, not. 21 et 22; Icard. l. c. n. 767; Suarez, *De Censuris*, disp. V, sect. 2, n. 13; Schmalzgr., *de sent. excomm.* num. 51.

Quomodo introducenda et interpretanda.

CAN. 2246. — § 1. Ne reservetur censura, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium.

§ 2. Reservatio strictam recipit interpretationem.

Reservatio impediens receptionem Sacram.

§ 3. Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est ; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat.

CAN. 2247. — § 1. Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre.

Ubinam viget reservatio..

§ 2. Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit.

Ignorantia reservationis in confessario.

§ 3. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata .

170. Reservantur tum peccata tum censurae, et una reservatio cum alia intime connexa est, praesertim reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum, quae ex can. 2246, § 3, importat reservationem peccati cui censura adnexa est. Nos *heic loquemur tantumodo de* **reservatione censurarum**, *quia de reservatione peccatorum fit sermo in Libro III, can. 893 et seqq.* Reservatio itaque est : *casus alicuius avocatio ad iudicium superioris.*

Notio reservationis.

Coercet iurisdictionem inferiorum.

Casum heic intelligimus sive peccatum sive censuram (1). — *Avocatio ad iudicium superioris — hinc reservatio vi et natura sua coercet iurisdictionem inferiorum, qui* proinde *nihil possunt in reservatis, excepto mortis articulo*, in quo omnis reservatio cessat, et salvo praescripto can. 2247, § 3. Diximus quod reservatio *coercet iurisdictionem inferiorum,* idest *limitat inferioribus absolvendi potestatem;* can. 893, § 1. Per reservationem peccatorum, ut heic advertit D'Annibale, iurisdictio adimitur, per reservationem censurarum iurisdictio non datur (2).

Siquidem *potestas absolvendi a peccatis* et *potestas absolvendi a censuris ex diverso fonte promanant*, ideoque pluribus ex capitibus differunt inter se. *Illa* inest ordini sacerdotali, et cum datur ab Ordinario, magis subditi dari intelliguntur in quo

(1) D'ANNIBALE, l. c. § 338 et § 347, not. 16.

(2) D'ANNIBALE, l. c. § 338, not. 16; Card. LEGA, l. c. n. 123 in nota.

exerceri possit, ideoque datur ab Ordinario eius loci in quo confessiones excipiuntur. *Haec*, idest potestas absolvendi a censuris, per se cohaeret potestati iurisdictionis, hinc nullo modo his competit penes quos nulla est iurisdictio in foro externo, ideoque *revera datur* ab eo qui censuras tulit, quia eius tantum est solvere cuius est ligare. *Illa* presbyteris tantum, *haec* cuivis clerico dari potest, veluti parocho, qui adhuc sacerdotalem ordinem non est adeptus. *Illa* spectat tantum ad forum sacramentale, et in eo dumtaxat potest exerceri, *haec* per se spectat ad forum externum, sed, propter salutem animarum, etiam in foro interno exerceri permittitur. Et quoad forum internum utraque potestas exerceri potest etiam extra proprium territorium. Hinc Episcopi vel parochi extra dioecesim vel paroeciam subditos suos a peccatis, et etiam a censuris, utraque enim iurisdictio voluntaria est, absolvere possunt. Ita D'Annibale l. c. §§ 336 et 338 not. 16.

171. Diximus pariter — *inferiores nihil posse in reservatis*, excepto etc. — Hoc enim consequitur ex ipsa notione reservationis. Hinc legitur in cap. VII sess. XIV *De Poenitentia, Concilii Tridentini:* « Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, *nullius momenti absolutionem eam esse debere*, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem » (1).

Exceptiones.

Addidimus — *excepto mortis articulo*, — quia, uti subdit l. c. Concilium Trid. « pie admodum, ne hac ipsa occasione (idest reservat.) aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis* (2), atque ideo *omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt* »; *v. can. 2252.*

Denique diximus — *salvo praescripto can. 2247, § 3.* — Legitur enim in cit. can. « *Si confessarius, ignorans reservationem*, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, *dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo*

(1) Cap. 2, *de poenit.* V, 10, in VI°.

(2) Cap. 5, *de poenis*, V, 9, in VI°; cap. 3, *de poenis*, Clem. V, 8; cap. 1, *de privilegiis*, V, 7, in Extravag. com.

modo Sedi Apostolicae reservata ». Quamvis igitur inferiores nihil possint in reservatis, valide tamen absolvunt a quibusvis peccatis et censuris quoslibet poenitentes in periculo mortis constitutos : *ac praeterea* ex novo Codice can. 2247, § 3, *etiam extra periculum mortis, si ignorantes reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvant, valet absolutio censurae*, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (1).

Quinam possunt casus sibi reservare.

172. Tradito conceptu reservationis, animadvertendum est quod, *praeter Summum Pontificem, possunt nonnullos casus sibi reservare etiam locorum Ordinarii*, ad praescriptum can. 893, § 1, quo edicitur : « Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, *excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali*, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes. § 2. Haec avocatio dicitur reservatio casuum ». Exinde palam apparet, duplex esse genus reservationum, unum earum, quae a Rom. Pontifice, sive sibi absolutionem reservaverit, sive locorum Ordinariis; alterum earum quae a locorum Ordinariis sunt introductae. Placet hic referre id quod legitur de hac reservatione casuum in citato cap. VII, sess. XIV, *de Poenitentia, Conc. Tridentini :* ibi : « Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut *atrociora* quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur, unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare » (2). Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt (3), quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioe-

(1) Conc. Trid. l. c. ibi « . . . extra quem articulum, sacerdotes *cum nihil possint in casibus reservatis*, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant ». Cfr. D'ANNIBALE, l. c. 343 ; ibi : « Si inferior absolvit ignarus reservationis procul dubio nihil agit ». Vide etiam §§ 337 et 338.

(2) Cap. 1, 3, 19, 22, 24, 32, X, *de sententia excomm.*, V, 39 ; c. 11, 18, *de sententia excommunicationis*, V, 11 in VI°.

(3) Ep. AD ROM., XIII, 1.

cesi, *in aedificationem* tamen, *non in destructionem* liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est ».

Ex relatis verbis Concilii Trid. quisque videt *quam caute procedere debeant locorum Ordinarii in casibus reservandis.* Hinc :

1) *Casus reservandi sint pauci omnino...* et *ex gravioribus* tantum *et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis* (can. 897). Ideo legitur in can. 2246, § 1 : « Ne reservetur censura, nisi attenta *peculiari gravitate* delictorum et *necessitate* aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium ».

2) ... « ipsa vero *reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit* ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam » (can. 897). Denique

3) « Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre » can. 2247, § 1 (1).

173. Hisce declaratis quoad reservationem et quoad potestatem qua pollent Ecclesiae Praesules censuras sibi reservandi, nunc praestat ut videamus : 1) quaenam sint censurae reservatae ; 2) quaenam sit vis harum reservationum, quae sive a Summo Pontifice sive ab Ordinariis locorum introductae sunt ; 3) quo ex tempore quove ex loco aestimanda sit potestas absolvendi a censuris reservatis ; 4) denique quomodo reservationes sint interpretandae.

Principio igitur censurae, uti alias diximus, vel *a iure* sunt vel *ab homine*, et tum censurae a iure tum censurae ab

(1) D'Annibale, l. c. § 339, not. 19 ibi : Nulla autem est mixta (idest pontificia simul et episcopalis) reservatio : nec esse potest ; nam quae ad superioris iudicium avocantur, ipso iure a iurisdictione inferiorum subtrahuntur : alias data ab illo absolutio prope inutilis foret. Itaque Ordinarius non potest sibi quoque eos casus reservare, qui Rom. Pontifici sunt reservati ; et si quos sibi reservaverat, illos postea Rom. Pontifex sibi reservet, reservatio episcopalis ipso iure evanescit. Suar., *de Poeniten.* 31, 4, 26 : Lugo, *de Poeniten.*, XX, 149, 151.

homine sunt vel latae vel ferendae sententiae, can. 2217, § 1, 2° et 3°.

Censura ab homine *per sent. iudic.*

1) *Censura ab homine, quae fertur per sententiam iudicialem, semper reservata censetur* « ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato »; can. 2245, § 2. Ratio est, quia quando censura infligitur per sententiam condemnatoriam, praemittitur cognitio iudicialis, ac proinde interciperetur ordo iurisdictionum, si alius iudex in dioecesi inferior, vel etiam iudex alterius dioecesis, sed non competens, hanc censuram absolveret (1). Recolantur ea quae diximus supra declarantes can. 2236.

Censurae l. s. a *iure* vel ab homine *per praeceptum.*

2) *Censura latae sententiae, sive sit a iure, sive ab homine per praeceptum, nisi expresse dicatur in lege vel praecepto, non est reservata*, can. 2245, § 4.

Ratio quae datur pro censuris a iure in cap. 29, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39, est : « quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi ». Et haec regula tradita ab Innocentio III in praedicto capite pro censuris a iure, **nunc in novo Codice**, can. 2245, § 4, valet etiam pro censura ab homine lata per praeceptum.

Censurae reservatae: *a*) Ordinario, *b*) Ap. Sedi:

3) *Ex censuris a iure reservatis, aliae sunt reservatae Ordinario, aliae Apostolicae Sedi;* can. 2245, § 2. Hinc praeter censuras quas ipsimet Ordinarii sibi possunt reservare, sunt et aliae censurae, quae a iure eisdem reservantur. Illae reservatae *a nobis*, hae *nobis* dici solent (2).

1) simpliciter 2) speciali modo 3) specialissimo modo.

4) « *E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt reservatae simpliciter, aliae speciali modo, aliae specialissimo modo* »; canone 2245, § 3. *Multiplex intercedit discrimen inter censuras uno vel alio modo reservatas:* etenim *a*) requiritur potestas *generalis* absolvendi a censuris, si censura *simpliciter* reservata sit, *specialis*, si reservata *speciali modo*, denique requiritur potestas *specialissima*, si reservata *specialissimo modo*, salvo praescripto can. 2254 (can. 2253, § 3). Praeterea *b*) « absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae

(1) Card. LEGA, l. c. n. 130.
(2) D' ANNIBALE, l. c. § 340, not. 19.

sententiae *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; can. 2338, § 1. Ulterius *c*) censurae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae, excluduntur a facultate absolvendi Ordinariis concessa in canone 2237, § 2, scilicet absolvendi per se vel per alium ab omnibus censuris iure communi statutis, ex delicto occulto provenientibus (1). Denique *d*) pro absolutis in articulo mortis, a sacerdote, specialis facultatis experte, a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, imponitur onus, postquam convaluerint, recurrendi, sub poena reincidentiae, ad legitimum Superiorem; can. 2252.

Quando reservatio censurae importat reservationem peccati.

174. Nunc *ad secundum* quod spectat, idest *quaenam sit vis reservationum, quae sive a S. P. sive ab Ordinariis locorum introductae sunt*, dicimus quod *aliquando reservatio censurae importat etiam reservationem peccati cui censura adnexa est.* Diximus *aliquando* quia non reservatio cuiuscumque censurae indiscriminatim, sed *tantum reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum,* ex. gr. reservatio censurae excommunicationis (can. 2260) « *importat reservationem peccati* cui censura adnexa est »: can. 2246, § 3. — Ratio huius dispositionis datur a S. Pontifice Benedicto XI in cap. I, de privilegiis, V, 7, in Extravag. com. ibi: « *Inconveniens enim existimamus, ut a peccato absolvat, qui* poenitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis poenam, peccati sequelam, *vel excommunicationem,* quae infligitur maxime a iure quandoque pro crimine, quaeve quem ab Ecclesia, et per consequens a participatione ecclesiasticorum Sacramentorum excludit, *removere non potest* ». — *Quando igitur reservatio censurae importat reservationem peccati, duplex est reservatio, una peccati, altera censurae.* Hinc quaeritur, num utraque sit principalis, an altera tantum.

Ante novum Codicem, quoad casus reservatos Sedi Apostolicae, concors erat Doctorum sententia, una excepta calumniosa sollicitationis accusatione (2), reservationem censurae esse principalem, reservationem vero peccati esse accessoriam, ideo-

(1) Vid. can. 2247, § 3; can. 2249 etc.
(2) Vid. can. 894 et 2363.

que si quid excusaret a censuris, cessabat quoque reservatio peccati. Sed quoad casus quos sibi Ordinarii reservabant, magna erat Doctorum controversia. Iuxta communiorem sententiam, utraque reservatio (tum censurae, tum peccati) erat principalis, ac proinde etiamsi censura non incurreretur, reservatio peccati manebat. Sententia minus communis, et iuxta D'Annibale verior (1), tenebat, in huiusmodi casibus idem iuris esse ac in censuris a Romano Pontifice reservatis (2). *Et haec sententia* **praevaluit in novo Codice**. Etenim in can. 2246, § 3, facta distinctione inter censuram impedientem vel non impedientem receptionem Sacramentorum et constituto principio quod reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est: statim additur: « *verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat* ». *Quando igitur* ad praescriptum huius canonis, *reservatio censurae importat reservationem peccati, reservatio censurae est principalis, reservatio peccati est accessoria,* nisi contrarium expresse caveatur, uti videre est in cit. canone 2363.

reservatio censurae est *principalis*, reservatio peccati *accessoria*.

Potestas absolvendi a cens. reserv.

175. *Quoad tertium,* idest *quo ex tempore quove ex loco aestimanda sit potestas absolvendi a censuris*, animadvertimus cum D'Annibale (3) quod cum *potestas absolvendi a censuris reservatis sit actus iurisdictionis, ex eo tempore aestimanda est, quo haec exercetur, idest ex tempore quo datur absolutio;* quamobrem, si eo tempore censura sit reservata, nihil proderit, quod ante reservationem fuerit contracta: et contra, si eo tempore reservatio cessavit, nihil oberit quod incursa fuerit tempore quo erat reservata (4). *Quoad locum vero in quo dari potest absolutio a censuris reservatis,* interest videre an censurae sint reservatae *a iure communi*, vel *a iure particulari seu dioecesano, vel ab homine.*

a) ex quo tempore aestimanda.

b) quove ex loco.

Censurae reservatae *a iure communi tenent ubique*, ideoque censuratus ab illis absolvi debet, quibus competit facultas, ad normam sacrorum canonum, ab iisdem absolvendi.

(1) D'ANNIBALE, l. c. § 340.
(2) Card. LEGA, l. c. n. 123.
(3) D'ANNIBALE, l. c. § 341.
(4) Et idem dicendum est de peccatis reservatis; vid. D'ANNIBALE, l. c.

Censurae vero *reservatae a iure dioecesano, non tenent extra territorium reservantis,* et planum est. Hinc statuitur in can. 2247, § 2: « Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur ». Et etiam in can. 900 edicitur: « Quaevis reservatio omni vi caret: ...3° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit ».

Denique *censura ab homine,* quae fertur per sententiam iudicialem, *semper et ubique locorum reservata censetur,* quia pro huiusmodi censuris valet principium: illius tantum est solvere, cuius est ligare; et hoc supra explanavimus (n. 173). Hinc edicitur in can. 2247, § 2: « censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit » (1).

Reservatio stricte interpretanda.

176. Tandem *quoad interpretationem reservationum* legitur in can. 2246, § 2: *Reservatio strictam recipit interpretationem;* et in canone praecedenti § 4 statuitur: *et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget.* Et merito quidem; etenim « leges (can. 19) quae... liberum iurium exercitium coarctant... strictae subsunt interpretationi ». Praeterea omnis reservatio odiosa est; et ex reg. 15 R. I. in VI°: « Odia restringi, favores convenit ampliari ». Quamobrem heic aptanda sunt quae diximus supra declarantes canon. 2219, § 1 (n. 75 et seqq.), et can. 2228 (n. 112 et seq.). Quia igitur Ecclesia non solet reservare nisi graviora crimina et atrociora (can. 897 et canon 2246, § 1), ad reservationem incurrendam requiritur, ut delictum sit externum, grave et consummatum (2), uti statuitur

(1) In peccatis inspicitur locus in quo absolutio datur; proinde si in eo reservata sunt, absolvi nequeunt, licet in loco ubi non erant reservata fuerint admissa; et contra. Et ratio est quia iurisdictio ad peccata absolvenda datur ab Ordinario loci in quo confessiones excipiuntur. Ita D'ANNIBALE, l. c.

(2) Hinc si actus ex effectu perfectionem capit, ante effectum sequutum, reservatio non intelligitur. Etenim neque censura tunc incursa est; can. 2228, et can. 2242, § 1. Ac proinde si alicubi reservatum sit homicidium, et homicida confiteatur nondum mortuo eo, quem letaliter vulneravit, reservatio cessat. Cf. D'ANNIBALE, l. c. § 342, not. 30; et § 298, not. 27.

in can. 2242, § 1, quoad delicta quae censura mulctanda sunt. « Et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget »; (can. cit.) quippe odiosa, uti diximus. Heic subest (advertit D'Annibale § 342) et alia ratio, quia nempe in dubio melior est conditio possidentis ius suum; sive absolventis, sive absolvendi; seu dubium sit facti seu iuris, quia lex dubia non ligat (1); seu dubium, quocumque nomine, sit peccatum (2), seu censura, seu reservatio. Nec retractatur absolutio si postea vel peccatum, vel censura, vel reservatio indubia apparuerint et manifesta. Ratio est, quia in casu iurisdictio suppletur a iure, uti probatur ex can. 209: « In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo, tum interno ». Quia igitur Ecclesia supplet iurisdictionem, perinde est, ac quis ea praeditus sit (3).

Quomodo aufertur censura:

CAN. 2248. — § 1. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur *tantum* legitima absolutione.

§ 2. Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242. § 3; a censura autem absolvens, potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere.

§ 3. Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit.

177. *Censurae, stricto sensu acceptae,* cum semel fuerint contractae, *tolli non possunt, nisi per legitimam* Superioris competentis *absolutionem. Et haec absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit* ad normam canonis 2242, § 3. — Notetur vero quod *haec* quae constituuntur §§ 1 et 2 huius canonis 2248, *intelligi debent de censura proprie dicta.* Haec enim, uti diximus supra, est poena medicinalis, quae per se et primario ordinatur, non ad publicam vindictam criminis, sed ad correctionem delinquentis, ad medendum vulneribus criminosi. Quapropter, non in perpetuum, nec in diem

a) proprie dicta sola absolutione.

(1) Ceterum, si verba, quibus censura reservatur, obscura sint, confessarii, quasi iudicis, erit ea interpretari. D'ANNIBALE, l. c., not. 31.

(2) Atque ideo, sive delictum sit dubium, sive dubium sit an fuerit perfectum, et consummatum, et, si ex effectu capit perfectionem, utrum effectus secutus fuerit necne.

(3) D'ANNIB., l. c. not. 33.

certam, vel arbitrio irrogantis infligi possunt, sed simpliciter inferri debent, ut, cum reus se emendaverit, absolvi possit. Exinde plane consequitur quod (§ 2) « absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam canon. 2242, § 3 »; nam quo medicina sanato morbo? Ideo diximus supra, absolutionem a censuris esse secundum intentionem legis, neque pendere ab arbitrio absolventis, sed necessario esse concedendam censuratis poenitentibus eandem petentibus; ita ut ab iniuste denegata absolutione pateat appellatio ad Superiorem.

178. Sed animadvertendum est quod *aliquando, suspensio et interdictum,* nunquam vero excommunicatio, quae nonnisi uti censura infligi potest, *feruntur in vindictam criminum, seu uti poenae vindicativae;* can. 2255, § 2. Ita ex. gr. suspensio quae fertur in perpetuum, vel in diem, vel ad beneplacitum irrogantis etc. tenet uti poena, quae, uti omnes et aliae poenae vindicativae, vel dispensatione auferri potest, vel *ipso iure cessat,* lapso tempore constituto ab illo qui poenas inflixit. Sola igitur censura *stricte sumpta* tollitur tantum legitima absolutione, quae denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit.

b) Secus si feratur uti poena.

179. Sed *quamvis reus, a contumacia recedens,* ad normam huius can. *debeat absolvi,* quia censura suapte vi expostulat absolutionem, *tamen absolvens a censura, potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere.* Et merito quidem; uti enim reus, etiam quando excusatur a censuris latae sententiae incurrendis ad normam canonis 2229, § 3, n. 1, potest, si res ferat, « congrua alia poena aut poenitentia affici » can. 2229, § 4; et etiam quando probabile tantum est delictum fuisse commissum, potest Superior, ad scandalum evitandum, prohibere clerico exercitium sacri ministerii, aut etiam eundem amovere ab officio ad normam iuris; can. 2222, § 2; ita pariter in casu de quo agitur, potest Superior, *si scandalum forte datum id ferat, congruam vindicativam poenam vel poenitentiam pro patrato delicto infligere.* — Dicitur tamen — *potest, si res ferat* — non autem *debet,* quia Ecclesia, uti vidimus supra (n. 65), intendit salutem animarum, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendan-

Absolutio denegari nequit recedenti a contumacia.

Potest tamen eidem poena infligi.

dum, et ad ceteros deterrendos ab eius imitatione. Quapropter si, etiam post obtentam delinquentis emendationem, scandalum forte datum id ferat, potest absolvens a censuris, infligere vel congruam poenitentiam, vel etiam poenas vindicativas ad tutandam incolumitatem ordinis socialis externi, removendo scandalum, et alios a similibus patrandis deterrendo.

Censura reviviscit si detur ad reincidentiam.

180. Denique dispositio § 3 huius canonis plane intelligitur ex iis quae diximus declarantes can. 2239, § 1. Vidimus enim quod *censura absolvi potest absolute vel sub conditione*, idest *sub conditione suspensiva, vel sub conditione resolutiva seu ad reincidentiam.* Scilicet ita datur absolutio, ut statim valeat, sed nisi intra certum tempus, reus aliquid praestiterit, ex. gr. nisi restituerit, ipso iure iterum incidit in eandem censuram, quae proinde dicitur reviviscere, quia iterum ligat reum, perinde ac absolutus non fuisset. Recolantur ea quae diximus supra num. 152.

Vis absolutionis particularis vel generalis.

CAN. 2249. — § 1. Si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis.

§ 2. Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide.

Potest quis ab una censura absolvi, aliis non absolutis.

181. Censura, uti alias innuimus, ad instar cuiusdam vinculi esse intelligitur (1); hinc prouti potest quis pluribus huiusmodi vinculis adstringi (can. 2244), ita *potest ab una censura absolvi, ceteris minime absolutis.* Nulla enim inter censurarum vincula est connexio, nec profecto haberi potest indirecta censurarum absolutio, uti habetur indirecta absolutio peccatorum. Peccata enim vel omnia absolvuntur vel nulla; nam absolutio a peccatis datur ad reconciliandum hominem cum Deo, et impossibile est Deo reconciliari, nisi omnibus peccatis absolutis; hinc si poenitens aliqua peccata inculpabiliter praetermiserit, confessis directe absolutis, *reliqua omissa* indirecte absolvuntur. Sed e contra absolutio a censuris pertinet ad dissolvendum vinculum poenae, quod pendet non a nostra, sed a voluntate Supe-

(1) D'ANNIBALE, l. c. §§ 327 et 351.

rioris; proindeque uti edicitur in § 1 huius can. si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis (1).

182. Eapropter *qui pluribus censuris irretitus, unam tantum censuram exposuit* Superiori, a qua absolvi postulat, *obnoxius remanet ceteris quibus innodatur. Quod si Superior, qui competens sit*, non obstante particulari petitione, seu uti legitur in can. « quamvis particularis petitio facta sit », *velit ac intendat absolvere reum ab omnibus censuris,* quibus irretitus est, *tunc generalis absolutio valet quoque pro reticitis bona fide,* excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, *non autem pro reticitis mala fide* ». Non valet absolutio pro reticitis mala fide, quia mendax precator indignum se facit beneficio absolutionis, ac *fraus et dolus nemini debent patrocinari* (2). Placet heic referre id quod scribit ad rem Card. D'Annib., l. c., § 353 ibi: « Quid si absolutus per superiorem (seu ordinarium seu delegatum) aliquam censuram vel peccatum (nam heic pari passu ambulant) reservatum oblitus (hinc bona fide) omiserit, num et illa quoque absoluta, et quoad hoc reservatio adempta dicenda sit? Negant Vasq., Concina etc., affirmant Sanch., Lugo etc., si absolvens dixerit — *Ego te absolvo ab* **omni** *vinculo,* etc., et communissima, teste vel ipso S. Alph., sententia est. Et mihi verior; nam si ea verba — *ab omni vinculo* — rite adiiciuntur, absolutio pendet, non ex iudicio, *sed ex potestate et voluntate* absolventis; voluntas autem ea praesumitur, quam verba demonstrant: maxime si absolverit in foro sacramentali, et de his censuris agatur, quibus prius non absolutis, nefas est a peccatis absolvere... Aliud iuris est (et vix aliquis negat) si quid dolo reticuit ». V. § 343, not. 37.

Absolutio generalis valet pro reticitis bona fide.

Exceptio.

(1) D'Annibale, l. c. § 337.

(2) Cap. 16, X, *de Rescriptis,* 1, 3; c. 27, 42, X, *de sententia excommunicationis,* V, 39. V. D'Annib., l. c. § 355. not. 24.

Quando, firma censura, dari potest vel non absolutio a peccatis.

CAN. 2250. — § 1. Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura.

§ 2. Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit.

§ 3. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam.

183. Absolutio a censuris potest separari ab absolutione a peccatis, idest potest quis absolvi a censuris, quin absolvatur a peccatis, et vice versa, potest quis *aliquando* absolvi a peccatis, quin absolvatur a censuris. Diximus — *aliquando* — quia, uti scribit D'Annibale l. c. § 347. « nisi prius censuris absolutis, peccata, regulariter, absolvi prohibentur ». Sed *nunc* melius ex novo Codice ad praescriptum huius can. 2250, *videndum est an agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem*, ex. gr. de censura suspensionis, vel potius agatur *de censura quae impedit Sacramentorum receptionem*, ex. gr. de excommunicatione (can. 2260), vel interdicto personali (canon 2275). *In primo casu censuratus*, rite dispositus et a contumacia recedens, *potest absolvi a peccatis, firma censura.* In *secundo vero casu censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censuris absolutus fuerit.* Et hoc plane intelligitur ex iis quae diximus supra, declarantes canonem 2246, § 3 (num. 174) (1).

Datur: *a*) Si censura non impediat receptionem Sacramentorum. *b*) Secus non.

184. Denique in § 3 huius can. animadvertitur quod absolutio censurae *in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum* in libris ritualibus praescripta; idest in Rit. Rom. tit. III, cap. 2, n. 2, « *Misereatur tui* » etc. *In foro non sacramentali*, idest *sive in foro conscientiae, sive in foro externo, absolutio censurae quolibet modo dari potest,* dummodo Superior seu absolvens a censuris aliquo signo externo suam manifestet voluntatem. Hinc scribit Card. D'Annibale l. c. § 355: « Et aliquo signo externo danda est. Et si ab una, vel altera, ex pluribus, detur, apparere debet a qua detur, alias perinde erit, ac

Forma absolutionis.

(1) S. C. S. Off. (S. Hyacinthi), 7 mart. 1883.

si data non esset. Et quamvis dari possit facto et reipsa, nunquam tamen praesumendum est sic datam fuisse; ut puta si R. P. communicet cum vitando (1). Tandem advertit Legislator quod si absolvenda sit in foro non sacramentali censura excommunicationis, regulariter formam adhiberi *convenit* in eisdem libris traditam » (2).

CAN. 2251. — Si absolutio censurae detur in foro externo, utrumque forum afficit : si in interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi ; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit.

De vi absolutionis datae in foro externo vel interno.

185. Declarantes can. 2239 vidimus quid sit forum externum, quid forum internum (n. 152). Nunc animadvertendum est quod *iurisdictio fori externi respicit directe et immediate bonum communitatis, iurisdictio fori interni respicit directe et immediate bonum individui.* Eapropter diversae regulae applicantur in exercitio utriusque iurisdictionis; nam in foro interno regulariter creditur asserenti pro se et contra se, nisi aliud appareat manifeste, iuxta illud notissimum : credendum est poenitenti sive pro se, sive contra se dicenti ; e contra in iudicio fori externi reus iuxta acta et probata iudicatur, quia in foro externo nihil est nisi quod apparet, et res tunc fieri dicuntur, cum innotescunt (3) idest cum probatae fuerint (4). Consequenter *absolutio censurae data in foro interno tantum non suffragatur regulariter pro foro externo,* ita ut Superior fori externi possit

Data in *f. interno*, non valet regulariter pro *f. externo*.

(1) C. 4, *de sent. excomm.* V, 10, in Clem. ibi : « Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet literis, verbo vel osculo seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, *nisi* se velle forsitan *exprimat* illum ex hoc pro absoluto haberi ».

(2) C. 28, X, *de sent. excomm.* V, 39 : ibi « Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum poenitentiali psalmo, et tam oratione Dominica quam alia consueta ». Pontificale Rom. tit. *Ordo suspensionis, reconciliationis* etc. ; tit. *Ordo excommunicandi et absolvendi ;* Rituale Rom., tit. III, c. 2. *Absolutionis forma ;* c. 3, *de absolutione ab excommunicatione in foro externo ;* c. 5, *de modo absolvendi a suspensione vel ab interdicto* extra vel intra sacramentalem confessionem.

(3) REIFFENSTUEL, III, 5, 348.

(4) BENED. XIV, *De Synod.*, XIII, 22, 8.

procedere contra reum ad urgendam exsecutionem censurae incursae, perinde ac absolutus non fuisset. Sed *si concessio absolutionis probetur in foro externo*, ex. gr. per schedulam confessarii, *aut saltem legitime praesumatur*, ut puta quia publice constat censuratum fuisse confessum habenti facultatem absolvendi a censuris, potest Superior fori externi cum taliter absoluto benigne agere et acceptare illam absolutionem ut suffragetur etiam pro foro externo (1). Sed notetur quod Superior nihili facere debet absolutionem concessam tantum in foro interno, si absolutus non dedit debitam satisfactionem parti laesae, et haec instet ut sibi detur congrua satisfactio (2).

Ex dictis etiam intelliguntur illa verba canonis: « *si in interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi* ». Idest si publica est censura, ut quis, absolutus in foro interno, possit uti talem se habere etiam in actibus fori externi, ad praecavendum scandalum, *palam constare debet de obtenta absolutione*. Secus fideles videntes illum quem sciunt censuratum, se habere uti non censuratum, paterentur scandalum, quod omnino evitandum est (3).

Data in *f. externo*, valet etiam pro f. interno.

186. Denique notetur quod *absolutio censurae valide concessa in foro externo, utrumque forum afficit*, idest valet etiam pro foro interno, quia in hoc foro semper veritas attenditur; hinc ex. gr. absolutus a censuris in foro externo, alia non eget absolutione (a censuris) in foro interno.

(1) THESAUR., op. cit. cap. 22; SUAR., *De Censuris*, disp. 7, sect. 5, n. 29.

(2) Card. LEGA, l. c. n. 125, not. 1; D'ANNIB. l. c. § 336, not. 13.

(3) C. 39, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39, ibi « Respondemus, quod nisi excommunicati a te super absolutione sua literas nostras, vel illius, cui vices nostras in hac parte commisimus, reportaverint, aut alio modo legitime de illorum absolutione tibi constiterit, tu ipsos pro excommunicatis, ut prius, habeas et facias evitari ». — S. C. S. Off., 3 ian. 1640; 28 sept. 1672; litt. d. 7 maii 1822; (Missur.), 28 aug. 1861; S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Missionarios Congi), 14 ian. 1726, n. 2, ibi « Assolvendo essi Missionarii nel foro interno taluno degl'incorsi nelle censure riservate alla S. Sede, e dichiarati incorsi dai vescovi per pubblica sentenza, o in altro modo giudizialmente, sono tenuti di avvertire gli assoluti che fin a tanto non saranno stati assoluti nel foro esterno dal Vescovo, devono reputarsi e contenersi come se non fossero stati in alcun modo assoluti, e però non esser lecito ai medesimi di conversare, intervenire nella chiesa, ricevere i Sacramenti etc. ». — S. Poenit. 27 apr. 1886, ad 4.

Nunc praestat videre *a quo dari possit absolutio* a censuris sive in periculo mortis (can. 2252), sive extra periculum mortis (can. 2253), sive denique in casibus urgentioribus.

CAN. 2252. — Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine: ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.

De absolutis *in periculo mortis* a sacerdote facultate carente.

187. Hic canon complet ac perficit dispositionem can. 882, imponens illis qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, onus, si convaluerint, recurrendi sub poena reincidentiae ad Superiorem, eiusque mandatis parendi. Haec omnia breviter declaranda sunt.

Dicitur primo — *qui in periculo mortis constituti. — Mortis periculum,* uti docet D'Annibale, significat illud rerum discrimen in quo et superesse et occumbere utrumque est vere graviterque probabile, sive illud sit ab intrinseco, ut puta morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta etc.; sive ab extrinseco, velut ex bello, navigatione periculosa et id genus ceteris (1).

Quid sit periculum mortis.

188. Additur — *a sacerdote, specialis facultatis experte. — Non dicitur, a confessario, sed — a sacerdote — idest ad confessiones non approbato;* quia « in periculo mortis, omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, *etiamsi praesens sit sacerdos approbatus,* salvo praescripto can. 884, 2252 » (2). Uti patet ex hoc canone *absolutio* data in casu a sacerdote ad confessiones

(1) D'ANNIBALE, *Commentar. in Const. Ap. Sedis.*, n. 238.

(2) Hic canon desumptus fuit ex Conc. Trid. Sess. XIV, *de poenitentia*, cap. 7, ibi: « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ». Cfr. c. 5 *de poenis*, V, 9, in VI; c. 3, *de poenis*, V, 8 in Clem.; c. 1, *de privilegiis*, V, 7 in Extrav. comm.

Absolutio in casu valida et licita est, etsi adsit sac. approbatus.

non approbato *est valida et licita, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus*, salvo *praescripto can. 884, 2252*. Et ita sancitum fuit in novo Codice responsum datum a S. Congr. S. Off. sub die 29 Iul. 1891, quod ita legitur: « Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos adprobatus; et qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem ».

Pro quibus censuris imponitur onus recurrendi ad Superiorem.

189. Dicitur — receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur* etc. Ex praescripto huius can. 2252 *obligatio recurrendi ad Superiorem sub poena reincidentiae imponitur tantum absolutis ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.* Sed **ante novum Codicem,** uti probatur ex responsis editis a S. Congr. S. Off. d. 28 Iun. 1882; d. 17 Iun. 1891 ad 3; d. 30 Martii 1892 ad 4, imponebatur hoc onus etiam pro censuris *speciali modo* Papae reservatis.

Ad rite intelligenda alia verba huius canonis circa onus recurrendi ad Superiorem, vide ea quae habentur inferius num. 194 et seq.

Extra mortis periculum quis potest absolvere *a censuris:*

CAN. 2253. — *Extra mortis periculum* possunt absolvere:

1° *A censura non reservata,* in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum;

2° *A censura ab homine,* ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit;

3° *A censura a iure reservata,* ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes superiores aut delegati. *Quare a censura reservata Episcopo vel Ordinario,* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; *a reservata Sedi Apostolicae,* haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint *sive generalem,* si censura *simpliciter reservata* sit, sive *specialem,* si *reservata speciali modo,* sive denique *specialissimam,* si reservata specialissimo modo, salvo praescripto can. 2254.

190. Id quod statuitur sub n. 1° huius canonis plane intelligitur ex alias dictis, et praesertim ex cap. 29, X, *de sen-*

tentia excommunicationis, V, 39, ubi legitur: « Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi ». *a*) a non reservatis

Ideo in foro sacramentali absolvit quilibet confessarius, minime vero quilibet sacerdos, quia potestas absolvendi a censuris in foro interno, cohaeret potestati absolvendi a peccatis (1). *Extra forum sacramentale absolvit — quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum* — quia censurae sunt poenae fori exterioris, et proinde nonnisi illi qui habent iurisdictionem in foro externo, possunt absolvere a censuris extra forum sacramentale. Quamobrem (ita D'Annibale l. c. § 335) nec in externo simplices confessarii, nec in interno simplices sacerdotes valide absolvere possunt.

Quid sit forum sacramentale et non sacramentale, et quaenam sit vis absolutionis datae in uno vel altero foro, iam scimus ex dictis in can. 2251. Hinc ne acta iterum agamus, recolantur ea quae supra (num. 185 et seq.) dicta sunt.

191. Etiam id quod traditur sub num. 2 huius canonis plane omnino intelligitur ex dictis in can. 2245 (num. 173). Tantummodo animadvertendum est, quod **nunc ex novo Codice** *censura ab homine lata per praeceptum non est reservata, nisi in praecepto id expresse dicatur;* can. 2245, § 4. **Antea vero** quaecumque censura ab homine lata sive per sententiam iudicialem sive per praeceptum erat reservata. Unde scribit D'Annibale l. c. § 345: « ... nam quae irrogantur ab homine, sive per modum sententiae particularis, sive per modum praecepti, *translatitium est* ab inferioribus absolvi non posse ». *b*) ab homine

192. Denique ea quae sub num. 3 huius canonis constituta sunt, explanatione non indigent, quia ab ipso Legislatore clare et perspicue declarantur. Uti supra dictum est (can. 2245, § 2) « ex censuris a iure reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi* »; hinc *statuitur principium: « A censura a iure reservata*, ille (potest absolvere) qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati » (2). Deinde Legislator *c*) a iure reservatis.

(1) D'Annibale, l. c. § 335.
(2) Vid. supr. n. 143.

declarans hoc principium, subiungit: « Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos (1); a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint, sive *generalem*, sive *specialem* sive *specialissimam*, prout censura sit *simpliciter*, *speciali modo* vel *specialissimo modo reservata* ».

Absolutio a censuris res. *in casibus urgentioribus.*

CAN. 2254. — § 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet *confessarius in foro sacramentali* ab eisdem, *quoquo modo reservatis*, absolvere potest, *iniuncto onere recurrendi*, sub *poena reincidentiae*, *intra mensem saltem per epistolam et per confessarium*, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.

§ 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.

Si recursus sit impossibil s.

§ 3. Quod si in casu aliquo extraordinario *hic recursus sit moraliter impossibilis*, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2367, *potest absolutionem concedere sine onere* de quo supra, *iniunctis tamen de iure iniungendis*, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, *recidat in censuram*.

193. In hoc canone, *paucis immutatis*, *confirmatur ius novissimum quod pluribus responsis editis a S. C. S. O. constitutum fuerat*. Et ad § 1^am^ quod spectat placet heic referre *decretum editum* a laudata S. C. sub *d. 16 Iun. 1897*; ibi: « Ex decreto S. Inq. 23 Iun. 1886 (V. n. 1858) cuilibet confessario *directe* absolvere licet a censuris etiam speciali modo S. Pontifici reservatis *in casibus vere urgentioribus*, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per

(1) Vid. can. 198.

medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Dubium tamen oritur pro casu, quo nec scandalum nec infamia est in absolutionis dilatione, sed poenitens censuris papalibus innodatus in mortali diu permanere debet, nempe per tempus requisitum ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis; praesertim cum theologi cum S. Alphonso de Ligorio ut quid durissimum habeant pro aliquo *per unam vel alteram diem* in mortali culpa permanere. Hinc post decretum 23 Iunii 1886, deficiente hac in questione theologorum solutione, quaeritur: 1. Utrum *in casu quo* nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed *durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere* per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, *simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem* ». Et responsum prodiit: « *Ad 1. affirmative,* facto verbo cum SSmo ».

Observanda in concedenda absolutione.

194. Hisce relatis nunc animadvertendum est quod:

1. *absolutio a censuris data ad normam* can. 2254, § 1, *est directa.* Hoc probatur ex Litt. S. C. S. O. d. 19 Aug. 1891, ibi « Ex decreto S. Officii (23 Iun. 1886) *in casibus urgentioribus dari potest absolutio a censuris etiam speciali modo reservatis S. Pontifici*, sub quibusdam tamen conditionibus; sed in praelaudato decreto non dictum fuit an ista absolutio *sit directa vel indirecta* ». Hinc quaeritur: « 3. An absolutio data in casibus urgentioribus, a censuris etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, in sensu decreti S. Officii (23 Iunii 1886) sit directa, vel tantum indirecta ». Et prodiit responsum: « Ad 3. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem ».

2. *Onus recurrendi imponitur indiscriminatim pro omnibus censuris etiam simpliciter reservatis.* Hinc absolutis in periculo mortis, onus recurrendi imponitur *tantum* si tenebantur censura ab homine vel censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, absolutis vero in casibus urgentioribus ad normam can. 2254, § 1, onus recurrendi imponitur pro omnibus censuris, quoquo modo reservatis.

Onus recurrendi imponitur: *a*) pro omnibus cens. reserv.

b) sub poena reincidentiae

3. *Onus recurrendi imponitur — sub poena reincidentiae*, ideoque poenitens reincidit in easdem censuras, nisi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium huic oneri satisfaciat.

c) ad quos recursus fieri debet.

4. *Denique recursus fieri potest « ad S. Poenitentiariam* (1) *vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis »*. Hoc iam edixerat S. C. S. O. sub die 19 Dec. 1900. Legitur enim in Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. II, pag. 414 ibi « In casibus urgentioribus... (Decr. S. Off. 23 Iun. 1886 V. n. 1658) dari potest absolutio a reservatis S. Sedi, sub poena tamen reincidentiae nisi absolutus infra mensem ad Sanctam Sedem recurrat, eius mandata suscepturus. Ubi tamen Episcopi facultatem habent delegatam absolvendi a praedictis reservatis, qualis solet ipsis concedi per quinquennale folium S. Congr. de Propaganda Fide (Form. X sub n. 10) *dubitatur de necessitate recursus immediati* ad S. Sedem. Quaerit igitur Episcopus N. N., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus:

1. Utrum sufficiat in casu absolutionis, ut supra, concessae recursus ad Episcopum facultate absolvendi instructum; et quatenus affirmative:

2. Utrum sufficiat etiam in casu eodem recursus ad Vicarium generalem Episcopi, tamquam ad Ordinarium facultatum episcopalium absolvendi de iure participem. Et prodiit responsum: « R. Ad 1. et 2. *Affirmative*, facto verbo cum Sanctissimo ».

Absolutus uti supra potest a Sac. facultate praedito rite absolvi...

195. *In § 2 confirmatur et evolvitur responsum datum sub die 19 Dec. 1900 a laudata S. C. S. O.* Quaesitum nempe fuit: « *Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem*

(1) Recursus ad S. Poenitentiariam fit hoc modo:

Beatissime Pater,

Titius sacerdos vel parochus, unam poenitentem (vel duas) complicem in peccato turpi semel (vel bis, vel ter) sacrilege absolvit. Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per 15 dies Missam celebrare et Sacramenta ministrare perrexit. Delictorum suorum sincere poenitens, absolutus fuit a peccatis et censuris ad normam can. 2254, § 1 novi Codicis. Nunc ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus profitetur se omnino paratum ad quaecumque mandata exsequenda, quae S. V. placuerit ei iniungere et transmittere. Responsio dirigatur ad me subscriptum.

N. N.

habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus poenitens fuerit accidentaliter ut supra, vi decreti S. Officii 1886 absolutus ». Et prodiit responsum: « Negative ». Idest *recursus* ad quemlibet sacerdotem etc., ut supra, *non sufficit;* sed tamen *nihil impedit* (ita in § 2 h. can.) *quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, et etiam post factum recursum ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque,* repetita confessione saltem delicti cum censura, *consequatur absolutionem;* qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus. Et planum est; nam in § 1 huius can. edicitur: « iniuncto onere recurrendi... ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum *aliumve Superiorem praeditum facultate* ». Secus dixisset Legislator — aliumve *sacerdotem* vel *confessarium* praeditum facultate.

Si recursus sit impossibilis.

196. Denique in § 3 huius canonis edicitur *posse confessarium absolutionem concedere sine onere recurrendi ad Superiorem,* **si hic recursus sit moraliter impossibilis,** excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2367. *Haec dispositio,* uti videre est in cit. Collectanea N. 2023, et 2095, *desumpta fuit ex responsis traditis a S. C. S. O.* sub die 9 Nov. 1898, 7 Iun. 1899 et 5 Sept. 1900. Placet heic referre id quod legitur l. c. vol. 2, pag. 410; ibi « Relate ad censurarum absolutionem Summo Pontifici reservatarum, S. C. R. et U. Inq., die 7 Nov. 1898 sequentia decrevit: — « *Quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium,* in hoc casu *licet confessario poenitentem absolvere* etiam a casibus S. Sedi reservatis *absque onere mittendi epistolam* ». His statutis Episcopus N. ad pedes S. V. provolutus humiliter expostulat: An ut onus epistolam mittendi cesset, scribendi impedimentum adstringere debeat confessarium simul et poenitentem; vel sufficiat, sicut aliqui interpretati sunt, quod *poenitens scribendi impar,* eidem confessario a quo vi decret. 1886 et 1897 absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire; licet confessarius absolvens, pro poenitente, epistolam ad S. Sedem mittere posset: — R. Ne-

gative ad primam partem; Affirmative ad secundam. — SSmus adprobavit ».

Exceptio quoad absolventem complicem.

197. *Quoad exceptionem* desumptam ex responso dato a S. C. S. O. sub die 7 Iunii 1899. censemus etiam *nunc* esse retinendam interpretationem datam a Card. Lega l. c. n. 146: ibi « In rescripto diei 7 Iunii 1899 fit exceptio de sacerdote *qui absolvit complicem in peccato turpi: et hoc intelligi debet,* nempe sacerdotem non comprehendi in indulta exemptione a danda epistola ad S. Sedem; quia sacerdos non est *illiteratus:* sed si casus fingatur, eum *morbo* impediri quominus scribat, ratio non adest cur excludatur ab indulto generali ».

Imponenda sub poena reincidentiae.

198. Notentur verba, *iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita etc.* Idest iniungendum est reo, ut eo meliori modo quo fieri possit, scandalum reparet, ac satisfaciat parti laesae, ac praeterea imponenda est congrua poenitentia ac satisfactio pro censura. Haec omnia quam citius fieri potest adimplenda sunt, ita ut *si* poenitens *intra congruum tempus a confessario praefinitum non egerit poenitentiam ac satisfactionem non dederit; in easdem reincidat censuras.* Haec poena reincidentiae pro casu de quo agitur, nunc, uti quisque videt, a novo Codice constituta est.

Hactenus de censuris in genere; nunc de singulis censuris seorsum disserendum est. Sit itaque

CAPUT II.

De censuris in specie.

Quaenam sunt censurae et quomodo differunt.

CAN. 2255. — § 1. Censurae sunt:

1° Excommunicatio;

2° Interdictum;

3° Suspensio.

§ 2. Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos qui in delictum concurrerint; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem; excommunicatio et interdictum, etiam laicos; suspensio, clericos tantum; interdictum, etiam locum; excommunicatio est semper censura; interdictum et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae. sed in dubio praesumuntur censurae.

199. Censurati, uti vidimus supra can. 2241, privantur quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis, illis nempe bonis quorum dispensatio Ecclesiae concredita est; et

quidem non eodem modo hisce bonis privantur. sed diversimode, prout diversa est censura, qua quisque innodatur. Hinc, uti docet *Innocentius III in cap. 20, X, De Verbor. Signif.* (V, 40), *tres habentur, ratione effectus, species censurarum, idest excommunicatio, interdictum et suspensio.* « Quaerenti (ita l. c.) quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum huiusmodi clausulam in nostris litteris apponimus· respondemus quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi ». Excommunicatio, interdictum, suspensio.

200. *Gravissimum est discrimen inter excommunicationem, suspensionem et interdictum.* Etenim *excommunicatio est censura qua* **quis eiicitur foras,** idest excluditur a communione fidelium (can. 2257, § 1) et per consequens privatur omnibus iuribus propriis huius communionis, ideoque non distinguitur inter clericos et laicos; *interdictum et suspensio non eiiciunt foras,* idest non excludunt a communione fidelium (can. 2268, § 1); sed directe tantum prohibent ab usu quorumdam bonorum spiritualium. Idest **suspensio** aufert illa tantummodo, quae sunt propria clericorum, *prohibet nempe ab usu activo rerum sacrarum, seu a rebus sacris ministrandis,* nempe **prohibet qua ministros** ac proinde *tenet solos clericos;* **interdictum** vero *removet indiscriminatim fideles,* sive clericos sive laicos *a participatione quorumdam bonorum ecclesiasticorum, hinc prohibet ab usu passivo rerum sacrarum seu* **qua participes,** ideoque *tenet omnes, sed quasi laicos.* Discrimen.

201. Patet igitur ex dictis quod *excommunicatio et interdictum tum clericos tum laicos afficere possunt, imo interdictum etiam locum,* hinc habetur interdictum locale sive generale sive particulare (can. 2270), uti postea declarabimus: *suspensio vero solos clericos tenet.* Corollaria.

Sequitur etiam ex dictis quod excommunicatio, cum sit aliis censuris longe gravior, **non potest ferri nisi uti censura.** idest sub ea conditione ut absolvatur reus statim ac a sua contumacia resipuerit; *suspensio vero et interdictum,* et hoc parcius, *etiam uti poenae vindicativae ferri possunt.* « Ratio discriminis est (ita Card. Lega l. c. n. 106) quia *suspensio et interdictum* non eiiciunt a communione fidelium, neque omnibus et omnimode privant subsidiis spiritualibus, unde *gravi ex causa,*

etiam indolem induere possunt poenae vindicativae. Cf. Suarez, IV, 5, 29 ». Placet etiam referre ea quae scribit ad rem *D'Annibale* l. c. § 357; ibi: « Excommunicationem vim habere solius censurae, suspensionem vero et interdictum irrogari posse etiam per modum *poenae*, vel per modum *privationis* cuiusdam. Irrogari autem videntur per modum poenae quae 1° vel non contumaci, vel 2° contumaci quidem, sed non quasi medicinae irrogantur. Proinde excommunicatio ipso iure nullius momenti est; suspensio autem et interdictum tenent ut *poenae,* si irrogatae fuerint (ex 1°) in delictum omnino praeteritum; vel in delictum, quod nullum habet tractum successivum (§ 326, 19): vel nulla comminatione, seu monitione praemissa: aut (ex 2°) causa non expressa (§ 329, 30); vel in perpetuum, vel in diem, vel ad beneplacitum irrogantis... ».

Quod si dubitetur an in casu agatur de poenis vel censuris, praesumuntur censurae. Et ratio est quia censurae difficilius incurruntur et facilius absolvuntur.

Denique ex eo quod excommunicatio nonnisi uti censura ferri potest, plane omnino consequitur, quod *excommunicatio afficere potest tantum personas physicas*, et ideo (ita in canone 2255, § 2) si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; *interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem* ». Hoc intelligitur ex cap. 5, *De sententia excomm. in VI,* (V-11) ibi: « *In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus:* volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, *cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri; sed in illo dumtaxat* de collegio vel universitate, *quos culpabiles esse* constiterit, *promulgetur* ». Optime ad rem scribit Card. Lega l. c. n. 116: « Quia sunt *medicinales* censurae, non possunt infligi in personam moralem, quia crimina patrantur a personis physicis, non a moralibus, iuridice existentibus, arg. c. c. 49, De sent. exc. X. (V, 29) et 5, 16 eiusd. tit. in 6 (V, 11). Verum personae morales qua tales, in suis deliberationibus violantes legem possunt supponi suspensionibus, interdictis; tunc enim habentur *privationes poenales*, non *censurae* aut *poenae* proprio sensu, quibus amplius non tenetur qui desinat esse illius corporis membrum.

At nullum dubium quod omnes eidem personae morali adscripti aut nonnulli ex his qua singuli, censuris subiici possunt. Cf. De Luca, Adnot. Conc. Trid. disc. 43, n. 21 ». Et Card. D'Annibale l. c. § 357 scribit: « Demum quae irrogantur in personas morales (v. gr., senatum, capitulum, collegium), quoad innocentes ne poenae quidem sunt, quia *ubi noxa non est, ibi nec poena esse potest* (1); sed *privationes quaedam*, ut ecce cum civitas interdicitur. Verum hodie omnes censurarum appellatione, lata scilicet significatione, continentur (V. §§ 393, 394, 2) ». Ex dictis intelligitur id quod constitutum est in hoc canone, scilicet *si quando excommunicatio feratur in corpus morale, non afficit universitatem ipsam, ideoque non tenet insontes, qui nullimode sine delicto censura plecti possunt* (can. 2242, § 1): *sed intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint. Interdictum vero et suspensio, si quando ferantur in corpus morale, afficiunt etiam communitatem, ut personam moralem:* sed, tunc quoad insontes non sunt censurae proprie dictae, imo neque poenae, quia poenae sine culpa (saltem civili) neminem tenent, sed *privationes*. Hinc scribit D'Annibale l. c. § 358: « Verum privationes quae irrogantur in aliquam universitatem personarum, quae etiam ob unius delictum irrogari possunt, universitatem ipsam, seu personam moralem, regulariter, non singulos, tenent (V. § 44, 14 etc.): hac re tenent quidem et insontes, qui pars eius universitatis sunt, sed cessant statim ac eius pars esse desierint ».

CAN. 2256. — In canonibus qui sequuntur:

1° Nomine *divinorum officiorum* intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt; Quid divina officia.

2° Nomine autem *actuum legitimorum ecclesiasticorum* significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere. et actus legitimi ecclesiastici.

202. *Inter poenas* quibus delinquentes mulctantur, uti videre est praesertim in Parte 3ª huius Libri 5, *recensentur tum pri-*

(1) L. 22, C. *De Poenis*.

ratio iuris assistendi divinis officiis, tum etiam exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis (Vid. ex. gr. can. 2350, § 2; 2353; 2354, § 1; 2357, § 2; etc.). Optime proinde Legislator ut claritati consuleret simul ac brevitati; hoc in canone declaravit quid nomine divinorum officiorum, quid vero nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum intelligi debeat. Et ad primum quod spectat, statuitur: « Nomine divinorum officiorum intelliguntur *functiones potestatis ordinis*, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt ». Hinc per divina officia intelliguntur sacrae functiones quae fiunt a ministris Ecclesiae, veluti Missa, publicae processiones, cantus horarum, solemnes benedictiones et consecrationes, et caetera adnexa ordini clericali ex institutione Christi vel Ecclesiae, quae publice et solemniter fiunt, excepta concione.

203. Ad secundum vero quod attinet, animadvertimus quod *haec gravissima poena*, qua actus legitimi interdicuntur, etiam in societate civili constituitur, uti videre est in Cod. Poen. It. art. 20, ubi legitur: « L'interdizione dai pubblici ufficii è perpetua o temporanea. L'interdizione perpetua produce la privazione... 5° dell'ufficio di tutore o di curatore... etc. ».

Nunc praestat ut declaremus ea omnia quae in articulo 1° huius capitis constituta sunt de excommunicatione. Sit igitur

ART. I. — *De excommunicatione.*

Notio excomm.

CAN. 2257. — § 1. Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt.

Anathema.

§ 2. Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur.

Antiqua Ecclesiae disciplina.

204. Remedia coercitiva quibus antiquitus plectebantur mali fideles, continebantur in excommunicatione, *quae in veteri disciplina et censuras et alias poenas continebat, quaeque habita est velut genus omnium poenarum,* quae variae fuerunt in suis speciebus. Siquidem tot concepti sunt modi excommunicationis, quot communionis christianae considerati sunt, tum quoad participationem Sacramentorum et Sacramentalium, tum quoad ad-

ministrationem Sacramentorum sacrorumque officiorum. Quisquis enim apud veteres sive *ab omnibus iuribus* communionis christianae, sive *ab uno*, sive *a pluribus repellebatur*, generali vocabulo *excommunicatus* dicebatur, *quasi nempe positus extra illam communionem, quae suo gradui competebat,* sive integram amisisset, sive tantum partem illius (1). Exinde patet quod *in veteribus documentis excommunicatio et alia vocabula his similia non semper exprimunt censuram aut certam speciem censurarum, sed aliquando censuram, aliquando poenam, et non semel poenitentiam.*

Postea vero excommunicatio distincta fuit non modo a poenis proprie dictis, sed etiam ab aliis duabus censurae speciebus, nempe a suspensione et interdicto (2). Etenim, uti supra vidimus, excommunicatio *excludit* a communione fidelium et hinc privat omnibus huius communionis iuribus *active et passive;* sed suspensio et interdictum *non eiiciunt foras* seu non excludunt a communione fidelium (can. 2268), sed *directe* tantum prohibent ab usu quorumdam bonorum, scilicet suspensio *ab usu activo* rerum sacrarum, seu prohibet *qua ministros;* interdictum vero prohibet *ab usu passivo*, seu *qua participes.*

Definitio.

205 Hisce adnotatis, antequam exponamus effectus proprios excommunicationis, praestat ut videamus quomodo intelligenda sint verba quibus in § 1 huius can. 2257 *excommunicatio definitur — censura qua quis excluditur a communione fidelium.*

Dicitur 1) *censura*, quia excommunicatio est in genere censurae, ideoque omnia quae sunt propria censurae, excommunicationi applicanda sunt.

Additur 2) — *qua quis excluditur a communione fidelium.* — Haec verba intelligenda sunt iuxta dicta superius quum explanavimus definitionem censurae. Eo ipso enim quod quis excluditur a communione fidelium, privatur omnibus bonis propriis huius communionis, prohibetur nempe excommunicatus illis bonis, quorum dispensatio Ecclesiae concredita est (3): sed non priva-

(1) Haec omnia docte evolvit Berardi, *Com. in Ius Eccl.* V. 11, P. II, disc. 3, cap. 5.

(2) Card. Lega l. c. num. 96 et seqq.

(3) Vid. supra pag. 133.

tur illis bonis spiritualibus privatis seu propriis uniuscuiusque, ut sunt dona gratiae, fides, spes, caritas, character, potestas ordinis, pia opera, quibus Ecclesia neminem privare potest (1). Hinc Card. Lega, recensitis bonis spiritualibus quibus privatur excommunicatus, addit l. c. n. 99: « Verum excommunicatio non potest nos privare *interna* communione **Sanctorum** innixa Baptismati quo facti sumus membra capitis Christi, unde characterem gerimus indelebilem et virtutes habemus infusas ex fonte baptismali; et excommunicatus sive per sacramenta sive extra sacramenta gratiam Christi sanctificantem acquirere valet aliaque charismata ». Et Wernz l. c. n. 180 scribit: « At nequaquam est communio, quae *pendeat ab Ecclesiae voluntate*, communicatio illa *mere interna* in gratia et caritate et fide, per quam fideles inter se et cum Christo mystice copulantur. Quare privatio communionis ecclesiasticae nunquam sese extendit sua vi et efficacia ad illam communionem internam auferendam vel impediendam ». Sequitur proinde ex dictis quod potest quis habere gratiam sanctificantem, quamvis censura innodetur, v. gr. si perfecte poeniteat suorum delictorum, antequam a censura absolvatur.

Excommunicatio maior et minor.

206. *Ante Constitutionem « Ap. Sedis » excommunicatio dividebatur in maiorem et minorem.* Haec improprie excommunicatio dicta est, et contrahebatur ob communicationem illicitam cum nominatim excommunicatis. Regulariter in iure nomine excommunicationis intelligebatur non minor seu mitior, sed maior contra principium iuris — *in poenis benignior est interpretatio facienda* (2). — Hinc legitur in cap. 59, X. De sent. excomm., V, 39: « Si quem sub hac forma verborum: *illum excommunico, vel simili,* a ludice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum *non tantum minori, quae a perceptione Sacramentorum, sed etiam maiori excommunicatione (quae a communione fidelium separat) esse ligatum* ». — *Post dictam Constit. Ap. Sedis excommunicatio minor sublata fuit,* uti probatur ex responso tradito a S. C. S. O. sub die 5 Dec. 1883. Verum abolita excommunicatione minori contra communicantes cum excommu-

(1) Cf. DE ANGELIS, *Praelectiones iuris can.*, lib. 5, tit. 3, p. 361.
(2) Reg. 49 R. I. in VI.

nicatis nominatim a S. Pontifice, nullimode ablata fuit prohibitio. (V. can. 2267). Hinc S. C. S. O. proposito dubio: « Utrum ablata excommunicatione minori contra eos qui communicant cum excommunicatis nominatim a S. Pontifice, censeatur etiam ablata prohibitio » sub die 2 Aug. 1893 reposuit: « Negative ». Et merito quidem, secus illusorium esset decretum quo censuratus denunciatur vitandus. Hinc est quod etiam ex novo Codice sunt casus in quibus communicantes cum excommunicato vitando, mulctantur excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata (can. 2338).

Diversi modi inferendae excommunicationis.

207. Quoad excommunicationem maiorem Benedictus XIV De Syn. dioec. lib. X, c. 1, n. 7, haec tradit: « Norunt omnes viri docti *tres olim fuisse species excommunicationis maioris... prima dicebatur excommunicatio simplex, altera anathema, tertia maranatha...* (1). Simplex excommunicatio et anathema in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa solo verbo proferretur: *anathema* vero pronunciaretur celebri quadam solemnitate...; *maranatha* autem hoc anathemati addebat ut excommunicatus solius Dei iudicio relictus, ab Ecclesiae communione separatus permanere iuberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Iudicii, quod ex ipsa nominis ethimologia elicuit Augustinus apud Suarez De censuris Disp. 8, sect. 2, et explicant Patres Concilii Toletani IV etc. »

Quoad verbum — *maranatha* — scribit Wernz l. c. n. 179: « Quod si praeeunte S. Apostolo Paulo (2) verbo anathematis additur *Maranatha*, huiusmodi verbum, prout occurrit in legibus ecclesiasticis (3), refertur ad tempus futurum et significat *donec Dominus redeat*. Quae forma profecto auget extrinsecam sive accidentalem solemnitatem excommunicationis, sed novam poenam non addit neque necessario illo rigore est intelligenda quasi quis exinde absolute et sine ulla spe reconciliationis sit

(1) Heic recte advertit Card. Lega l. c. n. 157: « Verum istae non sunt diversae species excommunicationis; sed magis quidam diversi modi inferendae excommunicationis ».

(2) I Corinth. XVI, 22. « Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha ».

(3) Cfr. c. 30, C. XXIII.

ab Ecclesia separatus (1), ut complures scriptores arbitrati sunt » (2).

Et ita plane intelligitur dispositio § 2 huius canonis, quod scilicet excommunicatio — dicitur quoque anathema, praesertim si infligatur cum solemnitatibus quae in Pontificali Romano describuntur, idest pulsatis campanis, accensis et extinctis candelis aliisque adhibitis huiusmodi ritibus publicam execrationem significantibus (3).

Excomm. est omnium poenarum gravissima.

208. Animadvertendum vero est, quod *etsi excommunicatio infligatur absque solemnitatibus* et caeremoniis ab Ecclesia institutis ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem, *est tamen poena gravior ipsa depositione et degradatione;* etenim fidelis *excommunicatus est veluti membrum demortuum et ex corpore Ecclesiae resecatum.* Benedictus XIV l. c. (4). Eapropter in can. 2255 constitutum est, excommunicationem non posse infligi nisi uti censuram scilicet sub conditione ut reus absolvatur statim ac a sua contumacia resipuerit. « Namque (ita Card. Lega

(1) SUAREZ l. c. Sect. 2, n. 7.

(2) Cfr. BENED. XIV, *De synod. dioec.* lib. 10, cap. 1, n. 7.

(3) Divus THOMAS *in ep. ad Galat. cap. 1,* ita interpretatur vocem *anathema:* « *Anathema* componitur ab ανα quod est *sursum* et θεσις *positio* quasi sursum positio. Et est ortum ex quadam antiqua consuetudine: antiqui enim quando pugnabant et praedam aliquam capiebant ab hostibus quam nolebant convertere in usum proprium, suspendebant illam in templis, vel aliquo publico loco civitatis, quasi separatum a communi hominum usu, et omne tale sic suspensum nominabant Graeci *Anathema.* Et ex hoc inolevit consuetudo quod omne illud quod excludebatur ab usu communi, diceretur *anathematizatum*, unde, Iosue 6, dicitur de Hiericho et omnibus quae in ea sunt, quod Iosue mox anathematizavit eam. Et ideo etiam hoc in Ecclesia inolevit, ut illi qui excluderentur a communi societate Ecclesiae et a participatione Sacramentorum Ecclesiae, dicantur *anathematizati* ».

(4) Cap. 10, X, *De iudiciis,* 11, 1; ibi « Respondeo, quod si Clericus in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab Ecclesiastico Iudice *deponendus* est. Qui, si depositus incorrigibilis fuerit, *excommunicari debet:* deinde contumacia crescente, *anathematis* mucrone feriri: postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur ».

l. c.) si quis posset excommunicari in poenam seu privari in perpetuum vel ad certum tempus *vindicative* usu omnium bonorum quae sunt in dispensatione *interna* et *externa* Ecclesiae adeo ut non valeret, recedendo a contumacia, iterum frui eorumdem usu, tunc poena huiusmodi gravior extaret *et abhorrens a fine Ecclesiae principali*, scilicet a salute cuiuscumque fidelis spirituali et aeterna » (1).

Nunc nonnulla adnotanda sunt quoad divisionem excommunicatorum in *vitandos* et *toleratos*, de qua fit sermo in can. seq. quo edicitur:

Quinam excommunicati *vitandi*.

CAN. 2258. — § 1. Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*.

§ 2. Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1.

209. Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium (can. 2257. § 1). Nomine vero communionis fidelium « seu *communionis ecclesiasticae* comprehenditur etiam communio *mere civilis* et politica consistens in actionibus externis ad humanam societatem pertinentibus, quatenus versatur inter fideles et christianos... » (2). Quapropter excommunicatio non solum privat censuratum omnibus iuribus propriis huius communionis, sed etiam ipsum *arcet a communione humana* « quia in societate christiana ita amico foedere humana et divina coniunguntur, ut qui a fidelium communione seiunctus sit *in divinis*, etiam in *humanis* evitari debeat, quasi contagiosa labe infectus » (3). Hinc *antiquitus*, idest *ante Constit.* « *Ad evitanda* » *Martini V* « *omnes censurati, qui uti censura notati a populo certe cognoscebantur sive de facto sive ex sententia iudicis, erant vitandi...* Unde quisque fidelis cum *excommunicato* nullam omnino communionem habere poterat » (4).

(1) Card. Lega, l. c. num. 159.
(2) Cfr. Wernz, l. c. n. 180.
(3) Card. Lega, l. c. n. 160.
(4) Card. Lega, l. c. n. 100

Distinctio inter vitandos et tolleratos.

Sed Martinus V (in Conc. Constantien.) Const. « *Ad evitanda* » a. 1418 rigorem huius legis mitigavit, *distinguens excommunicatos in toleratos et vitandos* (1).

Ad normam praedictae Const. *vitandi erant*, praeter notorios percussores clericorum, *illi* tantummodo *qui erant notati censura ex sententia lata nominatim a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse. Reliqui excommunicati dicti sunt tolerati, quia fidelibus permissa fuit cum ipsis communicatio in humanis et civilibus et aliqua ratione etiam in divinis*, uti melius videbimus in explanandis canonibus qui sequuntur.

Quae requiruntur ut quis sit vitandus.

210. *Distinctio* a Martino V introducta, *semper in Ecclesia retenta fuit*, et **nunc in novo Codice** *sancita fuit*, ut patet ex hoc can. 2258 quem nunc brevissimis verbis explanabimus.

1) In § 2 huius can. dicitur primo — *Nemo est vitandus, nisi fuerit* **nominatim** *a Sede Apostolica excommunicatus.* — Requiritur nempe ut censura excommunicationis a Sede Apostolica infligatur, et quidem *infligatur in reum sub eius nomine* vel alia aequipollenti demonstratione significatum, ita ut non possit cum alio confundi.

2) Additur — *excommunicatio fuerit* **publice denuntiata.** — Publice denuntiata dicitur excommunicatio, cum sententia vel decretum excommunicationis editur in loco publico, ut puta in ecclesia, tempore Missae vel concionis, vel per ephemerides, vel per *Commentarium officiale Actorum Apostolicae Sedis*, vel quocumque alio modo quo lata excommunicatio ad fidelium noti-

(1) Legitur enim in cit. Const. (apud HARDOUIN, t. VIII, col. 892). « *Insuper ad evitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus*, quod *nemo deinceps* a communione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque divinis vel extra illa, praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae a iure vel ab homine generaliter promulgatae, *teneatur abstinere* vel *aliquem vitare* ac interdictum ecclesiasticum observare, *nisi sententia* vel *censura huiusmodi fuerit* in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem *a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse* ». De genuino textu huius Const. controvertitur inter DD. saltem a tempore Navarri, qui in *Manuali*, c. 27, n. 35 diversam retulit lectionem ab ea quae per S. Antoninum fuit divulgata et ipsi Concilio Constantiensi attributa. Vid. WERNZ, l. c. not. 216. Card. LEGA, l. c. n. 160, not. 2.

tiam deducatur. Quapropter quousque excommunicatio non fuerit publice denuntiata, nemo censetur vitandus, quamvis sit notorius, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1.

3) Tandem dicitur — *et in decreto vel sententia* **expresse dicatur ipsum vitari debere,** salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1. — Unde ut quis sit vitandus, non sufficit ut nominatim a Sede Apostolica excommunicetur, et excommunicatio publice denuntietur, sed requiritur etiam (salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1 de quo infra) ut in decreto vel sententia dicatur, non utcumque, sed expresse, ipsum vitari debere, *requiritur nempe ut denuntietur ut vitandus.*

211. Hisce declaratis, nunc superest animadvertendum quod *distinctio inter excommunicatos vitandos et toleratos introducta* est, uti iam innuimus supra, et melius patebit ex iis quae inferius tradenda sunt, *in bonum fidelium,* minime vero in commodum ipsorum excommunicatorum; proindeque ex praedicta Const. nullum ius adepti sunt excommunicati tolerati. Etenim fidelibus indultum est communicare cum toleratis, sed tolerati cum fidelibus communicare nequibant. Et *hoc principium* quod in novo Codice confirmatum fuit, *prae oculis omnino haberi debet ad rite intelligendos canones qui sequuntur.*

Distinctio in bonum fidelium inducta est.

CAN. 2259. — § 1. Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei.

§ 2. Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.

Privatio iuris adsistendi divinis officiis.

212. Ex praescripto § 1 huius canonis *excommunicatus quilibet, idest sive vitandus sive toleratus, caret iure assistendi divinis officiis.* Et planum est; posito enim principio quod distinctio inter vitandos et toleratos tantummodo in bonum fidelium inducta est, consequitur omnino quod uti vitandi ita et tolerati carent iure assistendi divinis officiis.

Additur in eadem § 1 « *non tamen praedicationi verbi Dei* ». Et hoc ipsis indulgetur, ut facilius convertantur. Unde scribit cl. Santi l. c. n. 34: « Sunt autem officia divina, quae

Etiam vitandis fas est adsistere praedicationi.

spectant etiam ad eos *qui foris sunt* sc. concio, catechismus, explicatio Scripturae sacrae; ideoque non prohibentur excommunicati etiam *vitandi,* neque vetantur orare eodem loco ubi ceteri orare solent, vel uti imaginibus, reliquiis, sacramentalibus realibus rebusque indulgentiis ditatis, licet non lucrentur indulgentias ». Et Card. Lega l. c. n. 161 scribit: « ... et quia excommunicatio est poena medicinalis, excommunicatis, etsi vitandis non interdicitur audire praedicatores, et etiam in Ecclesia orare, tamen privatim et ab aliis seorsim: arg. cap. 43, X *De sent. excomm.* ».

213. Nunc ad 2^am^ quod spectat animadvertendum, quod *progressu temporis vehementer attenuata fuit vis prohibitionis factae toleratis assistendi divinis officiis.* Hinc *cl. Bucceroni in Commentar. De censuris,* n. 99 scribit: « Licet eadem sit lex pro vitandis et toleratis, ad hos tamen quod spectat, cum hodie vix adsit confessarius, qui excommunicatum arceat a divinis officiis, et nullus sit excommunicatus qui existimet a divinis officiis sibi esse abstinendum, rigor iuris hac in re temperatus seu obsolevisse videtur ». Et D'Annibale l. c. § 362, not. 19 scribit: « Vitandus inquam, nam tolerati (timidus dico, forte omnium primus) aut nullatenus, aut leviter peccant, si intersint divinis officiis, licet usque ad finem intersint. Etenim, cum vix reperies confessarium, qui hodie excommunicatum, his prohibeat; vel excommunicatum, qui sibi his abstinendum ducat, rigor iuris hac in re obsolevisse videtur ». Item Card. Lega l. c. n. 161 haec habet: « Verum, ut advertit D'Annibale (I, 362, not. 19) et confirmat Lehmkuhl (II, 891) *hodie toleratis videtur permitti ut divinis intersint officiis:* imo quasi hoc in votis est catholicorum, ut acatholici et mali catholici videant suis oculis sacras functiones cultus catholici et in eum, rituum sanctitate, allicuntur ». Et ita facile intelliguntur ea quae habentur de assistentia passiva in § 2 huius can.; quod scilicet — *si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est.*

Ab adsistentia *passiva* expellendus est vitandus.

214. Si vero vitandus *expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo.* Quapropter si tempore quo divina officia celebrantur, adsit vitandus in ecclesia, monendus est ut exeat, quod si noluerit discedere, vi

Quid si expelli nequeat.

expellendus est; si vero expelli nequeat, divina officia interrumpi debent, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo. Item si tempore quo Missa celebratur, vitandus nollet egredi ab ecclesia, et ex coacta expulsione ipsius gravius incommodum timeatur, celebrans, nondum inchoato Canone, debet Missam abrumpere: si vero inchoavit, potest, caeteris abeuntibus, sacrum prosequi vel abrumpere, ob sententiae utriusque probabilitatem; *si* vero *consecravit,* debet, solo ministro manente, pergere usque ad consummationem inclusive, et reliqua perficere in decenti loco, quamvis cum ecclesia coniuncto, uti sacristia (1).

Quinam repelli debent ab adsistentia *activa*.

215. Additur in eadem § 2 quod — *ab assistentia activa,* quae *aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repelli debet non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.* — Haec omnia clara et perspicua sunt; tantummodo animadvertimus — *participationem* in celebrandis divinis officiis, lato sensu esse accipiendam, uti ostenditur ex particula — *aliquam* — ac proinde excommunicati, de quibus in hac § 2, repellendi sunt ab adsistentia activa quae secumfert *quamlibet participationem* in celebrandis divinis officiis.

Denique animadvertimus, clausulam quae habetur in fine huius canonis — *aut alioquin notorie excommunicatus — esse subintelligendam in canonibus qui sequuntur.* Etenim sententia declaratoria requiritur, ut publice constet, coram societate de patrato crimine antequam delinquens habeatur mulctatus poenis latae sententiae sive vindicativis sive medicinalibus (2). *Sed cum crimen,* propter quod in excommunicationem quis incidit, ita *notorium ac manifestum* sit, ut nulla possit tergiversatione celari, aut iuris suffragio excusari (3), tunc profecto *superflua redditur sententia declaratoria,* quia, iuxta regulam 31. *eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet* (4).

(1) S. Ligorius, lib. 7, n. 177; Santi, *Praelectiones iuris can.* (Ratisbonae, Romae, etc., edit. 3) tit. *De sent. excomm.* num. 34; Sabetti, *Theolog. mor.* num. 957; Card. Lega, l. c. n. 161.

(2) Card. Lega, l. c. n. 87.

(3) S. C. de Prop. Fide, Instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.) 29 Apr. 1784

(4) Reg. 31, R. I. in VI.

Privatio passiva Sacramentorum.

CAN. 2260. — § 1. Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia.

§ 2. Quod attinet ad ecclesiasticam sepulturam, servetur praescriptum can. 1240, § 1, n. 2.

Etiam tolerati, *illicite* recipiunt Sacramenta.

216. Quoad receptionem Sacramentorum seu *quoad usum passivum Sacramentorum decernitur* in § 1 huius canonis, *quod excommunicatus etiam toleratus, non potest licite suscipere Sacramenta:* imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia (1).

Ille enim qui contumax est praeceptis Ecclesiae, merito repellitur a maximis eius bonis participandis (2). Hinc graviter peccat excommunicatus hanc Ecclesiae prohibitionem infringens, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiae, iacturae bonorum etc.; nam leges Ecclesiae non obligant cum tanto incommodo (3).

Itemque ministri Ecclesiae neque excommunicatis toleratis Sacramenta licite administrare possunt. Quamvis enim omnibus permissum sit communicare cum tolerato, etiam in divinis, ideoque non peccarent contra legem Ecclesiae (4), tamen violarent Evangelii praeceptum, quo interdicitur ne margaritae mittantur ante porcos, idest ne Sacramenta indigno administrentur. Quod *si quis, scienter et sponte, Sacramenta administret vitando,* salvo praescripto can. 882, « *ipso facto incurrit in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* »; can. 2338 (5).

Sed tamen *valide.*

217. *Quamvis illicite, valide tamen excommunicati recipiunt Sacramenta* « dummodo excipiatur Sacramentum poenitentiae mala fide susceptum » (6). Et ratio est, quia valor Sacramenti dependet ex Christi institutione, nec potest impediri per censuram ecclesiasticam. Excipitur vero Sacramentum poe-

(1) Cfr. cit. instr. S. C. de Prop. Fide.

(2) SCHMALZGR., *Ius eccles. univ.*, lib. V, tit. 39, n. 128.

(3) S. ALPHONS., lib. VII, n. 158.

(4) S. ALPHONS., SUAREZ et alii communiter.

(5) Cfr. WERNZ n. 189, not. 271 scribit: « quoad toleratos vetat ius *divinum* prohibens ministrare sacramenta indigno, quoad vitandos praeterea lex Ecclesiae in Sententia excommunicationis contenta, cum illa ministratio contineat vetitam communicationem in divinis ».

(6) Cfr. WERNZ, l. c.; SCHMALZGR., op. cit. lib. V, tit. 38, n. 140 sq.

nitentiae, quia si quis *mala fide accedit,* non est dispositus, et deficiente dispositione, absolutio irrita est et nullum conficitur Sacramentum. Sed tunc, uti quisque videt, absolutio invalida est, non propter censuram, sed ob defectum dispositionis ex parte poenitentis (1). Consequenter excommunicatus valide recipit Sacramentum poenitentiae, si *bona fide accedat,* et aut ipse ex inculpabili ignorantia vel oblivione censuram non manifestet, aut Sacerdos censuram peccato adnexam ignoret aut non advertat, aut etiam advertens, absolvat ex malitia poenitentem, qui putat Sacerdotem gaudere facultate absolvendi.

Privatio ecclesiasticae sepulturae.

218. *Praeterea excommunicati* sive vitandi sive tolerati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, *ecclesiastica sepultura privantur* (2), *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa*; (can. 1240) (3). Ideoque eisdem « deneganda quoque sunt quaelibet Missa exequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria »; (can 1241) (4). Si vero excom-

(1) HILARIUS A SEXTEN, *Tractatus De Censuris eccl.* (Moguntiae, 1898) pag. 55; CAPPELLO, *De Censuris,* n. 36; WERNZ l. c.; Card. LEGA l. c. n. 162.

(2) Cap. 12, X, *de sepulturis,* III, 28, ibi « Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: et ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate praecisi, nec in articulo mortis Ecclesiae reconciliati fuerint ».

(3) Cfr. Card. GENNARI, *Consultazioni,* ed. 2ª, Roma, 1904, vol. 2, pag. 676 et seq. ibi: « Ecco intanto alcune norme date non ha guari dalla S. Sede: " ...Venendo a morte uno scomunicato notorio, od un pubblico peccatore, senza essersi riconciliato con la S. Chiesa, se però avesse desiderato l'opera del Sacerdote, dal quale fu trovato o già morto o destituito dei sensi, e se avesse dato segno di pentimento o baciando il Crocifisso o facendo altri atti di pietà, dovrà il parroco negargli la sepoltura e i funebri onori della Chiesa? ,,.

« R. In hisce casibus, evulgatis resipiscentiae signis, dari posse sepul-« turam ecclesiasticam, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus « exequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae occur-« rant, parochus consulat Ordinarium et stet eius mandatis »; v. Card. LEGA, l. c. n. 212.

(4) Cfr. BARUFFALDO, *Commentar. ad Rit. Rom.* tit. 34, n. 4, ibi « Nomine ecclesiasticae sepulturae non tantum locus sacer, verum etiam pulsatio campanarum, exequiae, luminaria, processiones, suffragia, missae, aliaque similia in Ecclesia catholica pro defunctis fieri consueta intelliguntur; propterea cui prohibitum unum est aut permissum, et alterum permissum aut prohibitum esse censetur ».

municatus vitandus, contra canonum statuta in loco sacro sepultus fuerit, si fieri potest sine gravi incommodo, cadaver exhumari debet, servato praescripto can. 1214, § 1, et in loco profano de quo in can. 1212, reponendum (can. 1242) (1).

Et haec satis esse possunt quoad receptionem seu usum passivum Sacramentorum et quoad ecclesiasticam sepulturam. Videamus nunc quid decernitur in can. seq. de administratione seu usu activo Sacramentorum.

Privatio activa Sacramentorum.

CAN. 2261. — § 1. Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur.

§ 2. Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi.

§ 3. Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia.

Excommunicati, etsi illicite, valide conficiunt Sacramenta.

219. Ex praescripto § 1 huius can. excommunicati *sive vitandi sive tolerati prohibentur licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare. Attamen si* praedicti excommunicati, hanc gravissimam prohibitionem violantes, *Sacramenta et Sacramentalia conficiant et ministrent, valide agunt, excepto Sacramento poenitentiae, si agatur de vitando.* Et ratio est, quia potestas ordinis inamissibilis est; sed ad valorem Sacramenti poenitentiae, praeter potestatem ordinis, requiritur etiam potestas iurisdictionis, qua prorsus caret vitandus; nisi agatur de extrema necessitate in articulo mortis, uti edicitur in § 3 huius can. vel de communi errore facti (2).

Exceptio.

Imo et licite: *a)* tolerati si requisiti.

220. Additur — salvis exceptionibus quae sequuntur; — idest *tolerati si a fidelibus fuerint requisiti* seu rogati, *etiam licite Sacramenta et Sacramentalia conficiunt et administrant, maxime si alii ministri desint.* Notetur quod « *etiam implicita*

(1) Cap. 12, X, *de sepulturis*, III, 28, ibi « Unde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu, in coemeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, et procul ab Ecclesiastica sepultura iactari... ».

(2) WERNZ, l. c. n. 190.

fidelium petitio ab illiceitate excusaret, et sic parochus vel capellanus, etsi excommunicatione occulta impediti sint, *licite* sistent die dominica in templo ad fidelium confessiones, uti solent diebus dominicis, excipiendas, ad Missam pro populo celebrandam ceteraque Sacramenta et Sacramentalia administranda » (1).

b) vitandi in periculo mortis.

Imo *et ipsi vitandi aliique excommunicati,* postquam intercesserit sententia condemnatoria aut declaratoria, *in periculo mortis,* ne quis pereat (2), *licite,* ratione censurae, *administrant Sacramentum poenitentiae* ad normam can. 882, 2252, *et si alii desint ministri, etiam cetera Sacramentalia* (3). Diximus, *licite ratione censurae,* idest excommunicati, in casibus praedictis, Sacramenta ministrando ad normam §§ 2 et 3, non peccant contra censuram excommunicationis. Secus enim lex sibi ipsi contradiceret; quia dum ex una parte permitteretur fidelibus petere ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia, ex alia parte, saltem indirecte, ratione caritatis, huiusmodi petitio Sacramentorum prohiberetur. Scribit ad rem cl. Cerato, l. c.: « *Licite,* inquam, ratione *censurae;* etenim ratione *delicti,* quod non deterserint Sacramento Poenitentiae vel saltem, si copia defuerit confessarii, actu contritionis, illicite profecto agerent ».

221. *Notentur verba* § 2 — *Fideles,* salvo praescripto § 3, *possunt ex qualibet iusta causa* etc. — Igitur fideles, salvo praescripto § 3, non possunt exquirere ministerium excommunicati tolerati absque iusta causa. Et hoc decernitur etiam in bonum ipsorum excommunicatorum, ut scilicet censurati rubore suffusi ob detestationem qua apud fideles notantur, citius recedant a contumacia et absolvantur.

Notentur etiam verba § 3 — *tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia.* — Idest fideles ab excommunicato vitando et ab aliis excommunicatis, postquam intercesserit sententia condemnatoria aut declaratoria, *possunt petere* in periculo mortis constituti *absolutionem sacramentalem,*

(1) CERATO, *Censurae vigentes,* Patavii, 1918, n. 37; HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 56; S. ALPH., l. VII, 169.

(2) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 7, *de Poenitentia.*

(3) HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 55; SANTI, lib. V, tit. 39, n. 34.

etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252 (can. 882); *ast cetera Sacramenta et Sacramentalia, nonnisi ubi desint alii ministri, petere possunt.*

Privatio indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.

CAN. 2262. — § 1. Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.

§ 2. Non prohibentur tamen:

1° Fideles privatim pro eo orare;

2° Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum.

222. Ex praescripto huius canonis *excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.* Videamus prae primis *quid sint indulgentiae, suffragia, publicae Ecclesiae preces.*

Notio indulg. suffrag. publicarum Eccles. precum.

Ad indulgentias quod spectat satis est heic referre can. 911 quo edicitur: « Omnes magnifaciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit *pro viris per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii.*

Suffragium vero est quodcumque opus bonum applicatum, proximo ad impendendum animae eius salutare auxilium; vel etiam dici potest, auxilium ipsum quod unus fidelis praebet alteri, sive huiusmodi auxilium prosit alteri ex opere operato, quod in solo Missae Sacrificio locum habet, sive ad modum operis operati, ut fit in indulgentiis, sive ex opere operantis, ut in orationibus, ieiuniis, eleemosynis etc.

Suffragia alia sunt *communia, alia* vero *privata. Communia ea sunt quae praestantur nomine Ecclesiae*, quaeque obveniunt fidelibus ex Missae Sacrificio, ex publicis ministrorum officiis et orationibus, necnon ex satisfactionibus Christi, B. Virginis et Sanctorum, quae thesaurum Ecclesiae constituunt et per indulgentias applicantur Praelatorum auctoritate.

Suffragia vero privata ea dicuntur quae praestantur nomine singulorum fidelium; eiusmodi sunt orationes, ieiunia, eleemosynae, aliaque bona opera quae a privatis fidelibus et ab ipsis Ecclesiae ministris, ceu personis privatis, fiunt (1).

(1) Ita HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 58; cfr. WERNZ, l. c. n. 188; ICARD, *Praelectiones iuris can.* n. 769 et seq.

Preces Ecclesiae publicae illae sunt, quae sive in ecclesia sive extra ecclesiam, cum populo vel sine eo, peraguntur liturgice a sacris ministris *et nomine Ecclesiae*, veluti sacrae functiones et supplicationes, quae fiunt cum sacro ministro. *Hinc preces fidelium, sive publicae fuerint*, ex. gr. si plures fideles simul orent publico modo in ecclesia publica, sine sacro ministro; *sive privatae*, ex. gr. unus vel alius fidelis seorsum et occulte, vel etiam plures simul orent in loco privato; *apprime distinguuntur a publicis Ecclesiae precibus* (1).

Non privantur priv. suffragiis nec precibus fidelium.

223. Hisce declaratis, facile intelligitur id quod statuitur in § 1 huius can. Idest *excommunicati, sive vitandi sive tolerati, non fiunt participes indulgentiarum, suffragiorum communium, publicarum Ecclesiae precum*; *sed tamen fieri possunt participes privatorum suffragiorum, necnon precum fidelium eorumque bonorum operum* (2). Ratio primi liquet ex ipsa natura excommunicationis. Etenim eo ipso quod excommunicati excluduntur a communione fidelium, privantur participatione bonorum communium Ecclesiae, et consequenter non fiunt participes neque indulgentiarum, neque suffragiorum communium, neque denique publicarum Ecclesiae precum. Ratio vero cur excommunicati non priventur suffragiis privatis et precibus fidelium est, quia, licet excommunicati mediante ecclesia cum coelo non communicent, tamen eorum communio interna cum Deo, quatenus ea sine ecclesia subsistere potest, non est praecisa, ideoque nihil obstat, quominus et ipsi et alii pro ipsis coelum precibus pulsent.

Caeteroquin, addunt DD. (3), ista non est communicatio in bonis spiritualibus, sed actus misericordiae et eleemosynae spiritualis. Unde sicut lex excommunicationis non prohibet, quominus excommunicato exhibeamus eleemosynam corporalem, ita nec spiritualem, et, sicut oratur pro infidelibus, ut eis detur fides, sic pro excommunicato, ut ei detur spiritus poenitentiae, ut ab excommunicatione solvatur (4).

Merito proinde additur in § 2 quod *non prohibentur fide-*

(1) Cfr. CERATO, *Censurae vigentes*, (Patavii, 1918) n. 37. 6.

(2) SUAREZ, disp. IX, sect. V; REIFFENSTUEL, *Ius can. univ.*, lib. V. tit. 38, n. 58; SCHMALZGRUEBER, l. c. n. 126.

(3) Cfr. SALMANTICENSES, *de Censuris*, Cap. 3, n. 58.

(4) HILARIUS A SEXTEN, l. c. p. 59

les privatim pro excommunicato orare, neque Sacerdotes Missam, privatim ac remoto scandalo, pro eodem applicare; sed si sit vitandus, pro eius conversione tantum [1].

Privatio tenet etiam toleratos.

224. Diximus supra — *sive vitandi, sive tolerati — quia privatio de qua in* § 1 *huius canonis tenet, nedum solos vitandos,* uti plures et graves Doctores docebant, antequam publicaretur novus Codex iuris can. [2], *sed etiam toleratos.* Lex enim non distinguit; nam dicitur absolute - *excommunicatus* - nulla facta distinctione inter vitandos et toleratos; nec nos proinde distinguere debemus.

Privatio iurisdictionis ecclesiasticae.

CAN. 2264. — Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto can. 2261, § 3; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2.

225. *Excommunicati nec potestatem ordinis exercere possunt,* uti iam vidimus in can. 2261, salvis exceptionibus ibi adnotatis, *nec potestatem iurisdictionis tam fori externi quam fori interni,* uti edicitur in hoc canone 2264. Semper tamen habenda est prae oculis nota distinctio inter excommunicatos toleratos simpliciter, et toleratos pro quibus intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria. Etenim:

Actus positi:
1) *a toleratis,*
a) semper validi;
b) quandoque et liciti;

a) *Excommunicati tolerati simpliciter semper valide exercent actus iurisdictionis* tam fori externi quam fori interni, *imo et licite agunt in casu necessitatis, et quoties a fidelibus rogati fuerint* ad normam can. 2261, § 2.

[1] S. C. S. Off. d. 19 apr. 1837. Quaesitum fuit a S. Officio: « Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro eo, sive in Ecclesia adstante, sive extra Ecclesiam manente ». Et prodiit responsum: « Iuxta exposita non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem ». Ex hoc responso sequitur, non licere generatim Missam applicare pro schismatico, utpote excommunicato (can. 2314), ad huius rogatum; sed tamen peti posse a schismatico Missae applicationem, *pro sui conversione.* Nunc ex novo Codice, can. 2262, § 2, n. 2, responsum S. O. confirmatur quoad vitandos tantum, idest *pro vitando* potest applicari Missa, « pro eius conversione tantum ».

[2] S. ALPHONSUS, lib. VII, 164; D'ANNIB., l. c. § 361; Card. LEGA, l. c. 161; WERNZ, l. c., n. 188.

b) Excommunicati vero *vitandi, vel tolerati post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, illicite et invalide exercent iurisdictionem.* Et ratio est, quia exercitium iurisdictionis est praecipua cum fidelibus communicatio, a qua vitandus est exclusus, quia cum ipso communicari non debet. Vitando autem aequiparantur in hoc excommunicati tolerati, post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam. Hinc isti invalide sententias proferunt, censuras infligunt, dispensationes concedunt, sive a censuris sive a peccatis absolvunt, et ita porro. Attamen *urgente mortis periculo, actus positi* ab huiusmodi excommunicatis, ad normam can. 2261, § 3, *nedum sunt validi, sed etiam liciti.* — Hisce adnotatis quoad can. 2264, gradum facimus ad declarandos canones 2263, 2265, 2266.

2) *a vitandis*, et aliis, *a*) invalidi

b) excepto periculo mortis.

CAN. 2263. — Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere, nisi ad normam can. 1654; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui.

Remotio ab actibus legitimis etc.

CAN. 2265. — Quilibet excommunicatus:

1° Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi;

2° Nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia;

3° Promoveri nequit ad ordines.

Prohibitio iuris eligendi etc. vel consequendi officia, beneficia etc.

§ 2. Actus tamen positus contra praescriptum § 1, nn. 1, 2, non est nullus, nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat.

CAN. 2266. — Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.

Privatio fructuum beneficii, vel ipsiusmet beneficii...

226. *Ex praescripto* **can. 2263** *excommunicati:*

1) *removentur ab actibus legitimis ecclesiasticis* intra fines suis in locis iure definitos;

2) exceptis toleratis simpliciter, qui *generatim stare in iudicio queunt* (can. 1654, § 2); *repelluntur ab agendo,* excepta causa excommunicationis in qua permittitur *ut per se ipsi agant,* et exceptis causis spiritualibus, (in quibus agitur de quovis animae suae praeiudicio avertendo) in quibus permittitur *ut agant per procuratorem;*

Quinam stare possunt vel non in iudicio.

3) *prohibentur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui.*

Primum et alterum facile *intelliguntur ex dictis* in canone **2256**, n. 2, *et ex cit. can. 1654.*

Ad tertium quod spectat, animadvertimus quod *haec prohibitio exercendi ecclesiastica officia*, plane omnino *consequitur ex canonibus supra explanatis.* Etenim officium ecclesiasticum stricto sensu sumptum secumfert aliquam saltem participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis (can. 145). *Cum igitur excommunicati nequeant exercere potestatem tum ordinis tum iurisdictionis* (can. 2261, 2264); *necessario consequitur, ipsos ecclesiasticis officiis seu muneribus haud fungi posse.*

Prohibentur eccles. officiis fungi.

227. Sed ulterius *haec prohibitio exercendi ecclesiastica officia intime connectitur*, uti quisque videt, *cum praescripto* **can. 2265**, *vi cuius excommunicati:* a) *nedum prohibentur iure eligendi, praesentandi, nominandi; sed* b) *nequeunt consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia.* Et planum est, etenim beneficium datur propter officium; *sed excommunicati prohibentur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi* (can. 2263); *ergo neque beneficia consequi valent.*

Hinc nec beneficia consequi valent.

228. Ad rite intelligendam § 2 h. can. 2265, iterum recolenda est distinctio inter excommunicatos toleratos simpliciter et alios excommunicatos. Nam *collatio beneficii,* dignitatis etc. *facta vitando, vel tolerato post sententiam* condemnatoriam aut declaratoriam, *est nulla;* collatio vero beneficii *facta tolerato simpliciter,* quamvis letali non careat, idest quamvis sit illicita, est tamen valida. Placet heic referre id quod scribit ad rem D'Annibale l. c. § 365, ibi: « *Et si est vitandus, fit inhabilis ad beneficia* deinceps obtinenda: ratio est, *quia cum ipso communicari non debet* (1). Num igitur et toleratus fiat inhabilis, quia ipsi nobiscum communicare non licet; an secus, quia nobis licet cum ipso communicare? Ego hoc aequius puto, quia cum omnia beneficia ad divinum cultum obeundum sint instituta, horum collatio ad nostram cum primis utilitatem pertinent: *utcumque,*

Collatio: *a*) facta *tolerato simpliciter, illicita,*

b) aliis excomm. etiam invalida.

(1) C. 7, 10, X, *De cleric. excom.* V, 27.

cum fuerint collata (tametsi hoc gravi non vacet), *locus erit regulae: In dubio respondendum est pro valore actus* ». Et Card. Lega l. c. n. 163 scribit: « Unde *irrita esset beneficii vel officii collatio facta excommunicato vitando*, qui huic muneri in Ecclesia inhabilis prorsus evadit. Re quidem vera tractare non potest haec officia, qui a communione illorum prohibitus est quibus eadem munia ordinata sunt ». Et n. seq. idem A. concludit: « Quapropter cum excommunicatus *toleratus* non evadat *inhabilis* administrandae iurisdictioni officiorum ecclesiasticorum, exinde *valida* dicenda videtur horum collatio eidem facta. Quare collatio fieri non debet, siquidem *illicita* est collatio facta *indigno* etsi aliunde non *inhabili*; at si facta sit, *respondendum est pro valore actus* ».

Innovatio inducta in can. 2266.

229. Denique *adnotanda est innovatio quae habetur in* **canone 2266**. Antiquo enim iure excommunicati non privabantur *ipso facto* beneficio iam obtento, neque, iuxta probabiliorem sententiam, *sufficiebat sententia declaratoria* pro auferendis fructibus dignitatis, officii, beneficii etc. Audiatur Card. Lega qui l. c. 163 scribit: « Tamen beneficia aut officia iam possessa *a vitando* ante censuram, non auferuntur: nisi sententia iudicis interveniat *condemnatoria*; et *declaratoria non sufficit* pro auferendis fructibus quoque beneficii, *quia nullibi in iure cautum est, excommunicatum vitandum ipso iure privari beneficii fructibus*; imo in *cap. 53 De appell.* X (II, 28) § *verum* iubetur. « *Et illi proventus ecclesiastici merito* **subtrahuntur** *cui Ecclesiae communio negatur* » (1). **Nunc** vero ex praescripto canonis 2266 « post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam *excommunicatus manet privatus* fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris si quod habeat in Ecclesia; *et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere* ».

a) Tolerati, post sent. decl. vel cond. manent privati fructibus beneficii;
b) vitandi ipso beneficio.

230. Hisce adnotatis, haud immorabimur in ceteris declarandis quae in suprascriptis tribus canonibus constituta sunt; ex dictis enim facile intelliguntur. Et sane:

1) Verba quae leguntur in fine can. 2263 « *concessisque ante ab Ecclesia privilegiis frui* »; clara et perspicua sunt.

(1) Aichner, l. c. § 218.

Excl. privantur *usu* privilegii, *non privilegio.*

Privatur nempe quilibet *excommunicatus usu privilegii*, « frui privilegiis », *non autem ipsa re, idest ipsis privilegiis.* Consequenter, ablata per legitimam absolutionem censura, excommunicatus ipso iure in suo privilegio restituitur.

Electio etc. facta a tolerato simpliciter, est illicita, ab aliis exc. etiam invalida.

2) Quoad prohibitionem vero iuris eligendi, praesentandi, nominandi, vel officia, beneficia etc. assequendi, de qua in can. 2265, § 1, animadvertitur in § 2 eiusdem canonis, quod actus positus contra praescriptum § 1 nn. 1, 2, idest electio, praesentatio, nominatio facta ab excommunicato, vel collatio officii, beneficii etc. facta pariter excommunicato, nulla est tantummodo quando agitur de excommunicato vitando vel de alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Hoc etiam intelligitur ex dictis supra num. 227 et sq. (1).

3) Praeterea ex eodem can. 2265, § 1, n. 3, *quilibet excommunicatus* « *promoveri nequit ad ordines* »; et ex § 2 *nequit*, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam « *gratiam ullam pontificiam valide consequi*, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat ».

Primum intelligitur ex dictis in can. 2222, § 2 (2). *Ad gratias vero pontificias quod spectat*, animadvertimus quod ante Const. « *Sapienti consilio* » ed. 29 Sept. 1908, censurati habebantur *indigni* gratiis pontificiis, et rescripta impetrata ab excommunicato, sive vitando sive tolerato, erant *ipso iure* nulla. Legitur enim in cap. 1, *de rescriptis* I, 3 in VI°: « *Ipso iure rescriptum*, vel processus per ipsum habitus, *non valeat*, si ab excommunicato, super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum ». Ideo ex stylo Curiae Romanae in Bullis et Rescriptis pontificiis, ad cautelam concedebatur in forma gratiosa *absolutio a censuris* latis a iure vel ab homine, ad effectum tantum illius Rescripti vel Bullae assequendum. Sed S. Pontifex Pius X in *Normis peculiaribus, cap. III, n. 6* edixit: « ... a die III mensis Novembris 1908, quo die incipient vim legis habere praescripta in Constitutione *Sapienti consilio, gratiae ac dispensationes omne genus* a Sancta Sede concessae, *etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae,* nisi

(1) Vid. can. 167.
(2) Vid. can. 973, § 3, et can. 2338, § 2.

de iis agatur *qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati* » (1). Et haec innovatio a Pio X inducta, paucis immutatis, confirmata fuit in novo Codice iuris canonici, uti videre est in can. 2265, § 2, 2275, n. 3, 2283 » ; idest nisi agatur de excommunicatis, interdictis personaliter et de suspensis *a quacumque legitima* auctoritate ecclesiastica, *post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam*. Diximus, *a quacumque*, quia lex non distinguit, hinc nec nos distinguere debemus.

Excti. post sent. cond. vel decl. sunt inhabiles ad gratiam pontif.

CAN. 2267. — Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset.

Quinam cum vitando possunt communicare in profanis.

231. Uti supra adnotavimus (n. 207), quamvis abolita fuerit per Const. « Apostolicae Sedis » excommunicatio minor contra communicantes cum excommunicato vitando, nullimode tamen ablata fuit prohibitio. Hinc in hoc canone *expresse fidelibus interdicitur communicare in profanis cum excommunicato vitando*. Uti quisque videt, pia mater Ecclesia prohibet communionem in profanis cum excommunicato vitando, ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciae vitium reprimatur, et excommunicati, dum a communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis gratiam, et reconciliationis affectum facilius inclinentur (2).

Fideles nequeunt communicare in profanis cum vitando.

232. Attamen quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo, advertitur in canone, *posse communicare cum excommunicato vitando coniugem, parentes, liberos, famulos, subditos*. Hinc licet uxori communicare in profanis cum viro suo, ac ratione subiectionis debitae maioribus, liberi cum parentibus, servi et subditi cum dominis et superioribus suis communicare in profanis non prohibentur (3).

Exceptiones.

Additur in fine canonis — *et generatim nisi rationabilis causa excuset*. — Hinc utilitas sive temporalis sive spiritualis,

(1) *Ordo servandus in S. Congregationibus...* 29 Sept. 1908, Pars II. *Normae peculiares*, Cap. III, n. 6.

(2) Cap. 1, *de exceptionibus*, II, 12, in VI°.

(3) Cap. 34, X, *de sententia excommunicationis*, V, 39.

tam excommunicati, quam alterius; necessitas notabilis quaecumque sive animae sive corporis, tum excommunicati, tum aliorum, excusat ab hac prohibitione.

ART. II. — *De interdicto.*

Interdicti notio et divisio.

CAN. 2268. — § 1. Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur.

§ 2. Prohibitio fit vel directe per interdictum personale, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur; vel indirecte per interdictum locale, cum certis in locis eorumdem dispensatio vel perceptio vetatur.

De subiecto activo ac de vi interdictorum.

CAN. 2269. — § 1. Generale interdictum tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis. reipublicae, ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum, et particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest.

§ 2. Interdictum personale sequitur personas ubique; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent.

233. Uti excommunicatio, ita pariter et *interdictum tum clericos tum laicos attingere potest: hinc interdictum est generalius suspensione,* quae solos clericos tenet, *et ad excommunicationem propius accedit.* Et ideo post art. 1^um^ de excommunicatione, nunc ponitur art. 2^us^ de interdicto.

Definitio.

Interdictum in can. 2268, § 1 definitur — *censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur usu quarumdam rerum sacrarum.*

Dicitur 1° *censura*, igitur omnia, quae diximus de censuris in genere, de interdicto intelligenda sunt.

Dicitur 2° *qua fideles,* quia interdictum ferri potest, uti innuimus, in laicos aeque ac in clericos indiscriminatim, quia *delinquentes privat usu bonorum quibus utendi ius competit omnibus fidelibus.* Et in hoc interdictum differt a suspensione, quae clericos tantum afficere potest.

Dicitur 3° *in communione Ecclesiae permanentes,* quia interdictum non excludit a communione fidelium, neque privat usu omnium bonorum spiritualium. Et in hoc interdictum convenit cum suspensione, sed differt essentialiter ab excommunicatione, quae, uti vidimus, excludit censuratum a communione

fidelium, et consequenter ipsum privat omnibus iuribus propriis huius communionis.

Denique dicitur 4° *prohibentur usu quarumdam rerum sacrarum.* — *Res sacrae* a quarum participatione seu usu removet interdictum *sunt: divina officia, quaedam Sacramenta, et sepultura ecclesiastica.* Quaenam intelligantur nomine divinorum officiorum iam scimus ex can. 2256, n. 1; quaenam vero sint Sacramenta quae prohibentur, ex iis quae statim dicemus, melius patebit.

234. Tradito interdicti conceptu, in § 2 eiusdem can. 2268 animadvertitur, quod *haec prohibitio quarundam rerum sacrarum fit: a)* vel *directe per interdictum personale*, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur, *b)* vel *indirecte per interdictum locale,* cum certis in locis eorumdem dispensatio et perceptio vetatur. Exinde patet quod *interdictum aliud est* **personale,** si cadit in personas directe et per se, aliud vero est **locale,** si directe et immediate afficit locum, indirecte et per consequens, idest mediante loco, afficit personas.

Interdictum est personale vel locale.

Utrumque vero *interdictum,* locale et personale, *subdividitur in generale et particulare. Interdictum locale est* **generale** si aliquam regionem vel certum territorium afficit, et consequenter comprehendit omnes Ecclesias et loca sive sacra, sive etiam profana eiusdem regionis seu territorii, etiam exempta, nisi expresse excipiantur, ideoque nullibi fas est sacra agere, nec in domibus profanis.

Utrumque est generale vel particulare.

Est vero **particulare,** si ex. gr. haec ecclesia, hoc oratorium afficitur interdicto, prohibetur nempe ne in hoc oratorio vel in hac ecclesia sacrae functiones celebrentur.

Interdictum personale est **generale,** si integer coetus personarum, uti populus reipublicae, dioecesis, paroeciae hoc afficitur; est **particulare** seu speciale, si aliquis vel aliqui uti singuli hac censura plectuntur.

235. Interdictum *personale generale gravius est quam speciale,* et planum est; *uno et altero gravius est interdictum generale locale;* hinc pro interdicto personali generali gravior culpa requiritur, quam pro speciali; pro locali vero, si est generale, gravissima culpa opus est (1). Ceterum sufficit delictum

(1) Suar., 36, 3, nn. 3, 4; D'Annibale l. c. § 372; Card. Lega l. c. n. 174.

maioris partis populi, ordinis, coetus, immo vel unius ex praestantioribus (1).

Caute igitur *et magna cum circumspectione procedendum est in infligendo interdicto praesertim generali*, sive personali sive locali. Eapropter attenta gravitate horum interdictorum constitutum est in can. 2269, § 1, quod: « *generale interdictum tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis, reipublicae*, ferri tantum potest *a Sede Apostolica vel de eius mandato;* interdictum vero *generale in paroeciam vel paroeciae populum*, et *particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest* » (2).

Interdicta quae ferre potest: *a*) tantum Sedes Ap. *b*) vel etiam Epus.

Et sic evanescit dubium quod antea habebatur, an scilicet Episcopus, inconsulto Romano Pontifice, poenam interdicti localis in totam dioecesim statuere posset (3). Nunc enim ex praescripto huius canonis interdictum generale, tam locale in territorium dioecesis, quam personale in populum dioecesis, tamquam causa maior et extraordinaria iudicio Sedis Apostolicae reservatur.

a) Interd. personale adhaeret personae; *b*) locale, loco.

236. Tandem in § 2 can. 2269 animadvertitur, quod *interdictum personale sequitur personam ubique; locale* vero *non urget extra locum interdictum*, *sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti*, ex. gr. regulares, excluso speciali privilegio, *illud servare debent*. De interdicto personali generali scribit D'Annibale l. c. § 373: « Personali interdicto generali tenentur singuli, quotquot in praesens sunt (exceptis infantibus); vel subinde fiunt interdicti populi, coetus, ordinis membra: et ex diverso ei eximitur quisquis eius populi, coetus etc. pars vel non est vel esse desiit »; nempe mutato domicilio.

Nunc postquam vidimus quid sit interdictum, quomodo dividatur, quinam possint ferre interdictum *generale* tam locale

(1) D'ANNIBALE l. c.

(2) Praelati regulares nequeunt « apponere interdictum in ecclesiis sibi subiectis, quia eorum iurisdictio est personalis, non autem localis, et etiam quia actus iste percutit exercitium iurisdictionis in clerum et populum illos privando, ne in ea celebrare, et respective audire possint divina, et sic cum non subditis... ut declaravit S. C. EE. et RR. in *Neapolitana, Censurarum*, d. 21 Iun. 1679 ». Ita FERRARIS, *Biblioth.* v. *Interdictum*, art. 1, n. 21. Vid. etiam SUAR. l. c. 36, 1, n. 2; SCHMALZGR. l. c. n. 341; VERNZ, l. c. num. 220, 497.

(3) WERNZ, l. c. n. 221.

quam personale, et particulare sive locale sive personale, praestat ut declaremus tres canones sequentes 2270, 2271, 2272, in quibus agitur de effectibus interdicti localis, sive generalis sive particularis.

Quid vetet vel non interdictum locale,

CAN. 2270. — § 1. Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare, sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, salvis exceptionibus de quibus in § 2 huius canonis et in can. 2271, 2272.

§ 2. In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio. .

a) sive generale.

CAN. 2271. — Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse:

1° Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacunque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis;

2° In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili, et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur.

b) sive particulare.

CAN. 2272. — § 1. In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur.

§ 2. Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.

§ 3. Si latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium:

1° Si ecclesia fuerit capitularis nec interdictum sit Capitulum, valet praescriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio.

2° Si fuerit paroecialis, servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat.

Effectus interdicti *localis* gen. vel particularis.

237. Ex praescripto can. 2270, § 1, *interdictum locale sive generale sive particulare* **non vetat morientibus Sacramenta et Sacramentalia**, *servatis servandis, ministrare.*

Dicitur 1° *Sacramenta et Sacramentalia*, absque ulla restrictione, *igitur* **etiam Extrema Unctio** potest ministrari, sive

moribundus susceperit sacramentum poenitentiae, sive minus. Sed **ante novum Codicem,** iuxta communem DD. sententiam, *Extrema Unctio tunc tantum poterat ministrari, cum moribundus,* sensibus destitutus, *confiteri nequiverat* (1).

Dicitur 2°, *servatis servandis,* quia nempe Sacramenta et Sacramentalia debent ministrari ad normam can. 2271, n. 2, idest « prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili, et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur ».

Additur 3°, *sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum,* idest nequeunt in loco interdicto celebrari divina officia, nimirum Missa, publica recitatio horarum canonicarum, processiones, sollemnes benedictiones et consecrationes et cetera huiusmodi, quae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt, can. 2256, n. 1.

Denique dicitur 4°, *salvis exceptionibus de quibus in § 2 huius canonis et in can. 2271, 2272.* Exceptiones huiusmodi tam clare et perspicue in canonibus citatis exponuntur, ut nulla prorsus indigeant declaratione. Tantummodo igitur *adnotandum est, quod praedictae exceptiones pedetentim progressu temporis introductae fuerunt ad mitigandum rigorem huius gravissimae poenae interdicti localis sive generalis sive particularis.*

'Antiqua Ecclesiae disciplina.

238. Et re quidem vera primitus nedum indulta fuit administratio baptismi parvulis et sacramenti poenitentiae morientibus cap. 11, X, *de sponsalibus,* IV, 1; sed etiam ut « baptizati ad confirmationem in frontibus *possent* sacro chrismate deliniri » cap. 43, X, *de sententia excommunicationis,* V, 39. Deinde *Gregorius IX* an. 1236 *permisit* « *Ecclesiarum ministris, semel in hebdomada* tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, *Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corpus Domini,* quod decedentibus in poenitentia non negatur »; cap. 57, X, *de sent. excommunicationis,* V, 39. Cumque postea S.

(1) REIFFENSTUEL, lib. V, tit. 39, n. 203; D'ANNIBALE, l. c. § 374, n. 37; LEHMKUHL, op. cit. II, 198; Card. LEGA, l. c. 179, not. 1; HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 90.

Pontifex *Bonifacius VIII* animadverteret quod in terris seu locis ecclesiastico suppositis interdicto, ex prohibitione celebrandi (certis casibus et sacramentis exceptis) divina officia vel ministrandi ecclesiastica sacramenta: « *excrescit indevotio populi, pullulant haereses, et infinita pericula animarum insurgunt,* ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur », an. 1298 *concessit:* 1° ut « tempore interdicti ab homine vel a iure prolati *non tantummodo morientes, sed etiam viventes*, tam sani etiam quam infirmi *ad poenitentiam... licite admitterentur* »; 2° ut, « *singulis diebus* in Ecclesiis et monasteriis Missae celebrentur et alia dicantur divina officia sicut prius: submissa tamen voce et ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis »: quod antea nonnullis Religiosis, ac postea etiam Episcopis indultum fuerat, cap. 25, X, *de privilegiis,* V, 33; 3° ut « in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, ac Pentecostes, et Assumptae Virginis gloriosae, campanae pulsentur, et ianuis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus *ob reverentiam dictarum solemnitatum* » praefatis diebus participatio permittitur divinorum, « sic tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent », cap. 24, *de sententia excomm.* V, II, in VI. — Demum Summi Pontifices Martinus V et Eugenius IV idipsum servandum esse edixerunt in festo et per totam octavam *Corporis Christi* (1). Pro Hispania addendum est etiam ex privilegio a Leone X concesso, festum Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Exceptiones.

239. Hisce breviter adnotatis quoad antiquam Ecclesiae disciplinam, quisque dum animadvertit *quanta sollicitudine ac pietate pia mater Ecclesia semper studuit, ut non cederet in perniciem animarum, id quod pro ipsarum salute constitutum fuerat,* facile etiam intelligit ea omnia quae tum in can. 2270, § 2, tum in can. 2271 constituta sunt.

Si interdicta fuerit ecclesia:

240. *Ea* vero *quae habentur in can. 2272, praesertim sub § 3, n. 1 et 2, continentur omnino in can. 2271. Etenim interdicto vel subiicitur:*

(1) Card. Lega, l. c. n. 179.

a) paroecialis

a) *ecclesia paroecialis*, et tunc applicatur praescriptum praedicti can. 2271, n. 2, ubi legitur: « In ecclesiis paroecialibus... permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti » etc.; *vel subiicitur:*

b) capitularis.

b) *ecclesia capitularis*, et tunc valet praescriptum eiusdem canonis n. 1, idest: « Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in **quacumque** ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis ».

Exceptio can. 2270, § 2 valet pro int. particulari.

241. Denique animadvertendum est quod exceptio de qua in can. 2270, § 2, valet *quoque pro interdicto locali particulari*. Legitur enim in cit. can. 2270, § 2: « In die Nativitatis Domini etc.... **interdictum locale** *suspenditur...* ». *Ergo etiam interdictum locale particulare suspenditur*, quia lex non distinguit, et hinc neque nos distinguere debemus. Eapropter si interdictum fuerit coemeterium, in die Nativitatis Domini, Paschatis etc., fidelium cadavera sepeliri ibidem possunt cum ecclesiastico ritu, perinde ac nullum adesset interdictum.

Determinantur limites interdicti *localis:*

CAN. 2273. — Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta.

242. Ad auferendas omnes dubietates, quae forte exoriri possent circa extensionem interdicti localis, sapientissime in hoc canone determinantur limites interdicti localis sive generalis sive particularis.

a) generalis

Ad interdictum locale generale quod spectat, edicitur: 1) « *Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis* »; et planum est, quia *accessorium sequitur principale;* et « *in toto partem non est dubium contineri* » (1). Quaenam vero intelligenda sint in casu loca accessoria, et quam ob causam ad ista loca extendatur interdictum, optime declarat Bonifacius VIII in cap. 17, *de sententia excommunicationis*, V, II, in VI. — Ex hoc capite loca accessoria sunt « *suburbia et continentia aedificia* » quae

(1) Reg. 42, 80, R. I., in VI.

tenentur interdicto, ibi: « *ne vilipendi valeat sententia interdicti*, quod fieret si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus aedificiis licite celebrari ut prius ». Et nil refert si huiusmodi suburbia et continentia aedificia ad aliam spectent dioecesim. Hinc si Episcopus ferat interdictum generale in aliquam paroeciam can. 2269, § 1), auctoritate iuris communis attingere valet etiam alterius dioecesis loca, et eius est denunciare nominatim quaenam sint huiusmodi loca (1).

Additur in canone, *etiam exempta;* hinc etiam ecclesiae Regularium, nisi expresse excipiantur, tenentur interdicto. *Quoad ecclesiam cathedralem* vero animadvertendum est, quod si feratur interdictum, non in civitatem, sed in omnes ecclesias civitatis, non comprehenditur cathedralis. Et ratio est quia in casu, uti advertit Hilarius a Sexten l. c. pag. 86, interdictum est speciale seu particulare; cathedralis autem nisi cum aliis ecclesiis expresse nominetur, excepta intelligitur, propter eius honorem, ut patet ex cap. 4, *de praebendis et dignitatibus*, III, 4, in VI.

243. *Quoad interdictum particulare latum in ecclesiam* edicitur « *interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium* ». Et ratio est, uti diximus, quia *accessorium sequitur principale;* ac proinde sacella contigua, quae accedunt ecclesiae interdictae, eodem interdicto tenentur. Non manet vero interdictum coemeterium, quia habetur uti aliquid distinctum ab ecclesia; hinc legitur in can. 1172, § 2: « Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa ». *b*) particularis.

Additur « *interdicto sacello non est interdicta integra ecclesia* » et planum est; nam, iuxta enunciatum principium, accessorium sequitur principale, sed non viceversa, ac proinde interdictum latum in sacellum, quod est accessorium, non extenditur ad integram ecclesiam.

Tandem dicitur « *nec interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta* ». Quod interdictum latum in coemeterium non extendatur ad ecclesiam ipsi contiguam, iam patet ex dictis (can. 1172,

(1) Card. Lega, l. c. n. 169; D'Annibale, l. c. § 373; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 86.

§ 2). Quod vero maneant interdicta omnia oratoria in coemeterio erecta, patet ex principio: in *toto,* idest in coemeterio interdicto, *partem,* idest oratoria in coemeterio erecta, *non est dubium contineri,* et consequenter interdictum latum in coemeterium extenditur ad omnia oratoria in coemeterio erecta. — Haec satis esse possunt quoad interdictum locale sive generale sive particulare. Videamus nunc oportet quid constitutum sit in canonibus 2274 et 2275 *quoad interdictum personale.*

Effectus interdicti lati *in communitatem.*

CAN. 2274. — § 1. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et in communitatem.

§ 2. Si primum, servetur praescriptum can. 2275.

§ 3. Si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat.

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

Ea quae vetantur *personaliter* interdictis.

CAN. 2275. — Personaliter interdicti:

1° Nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentia activa, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti;

2° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, § 1, 2261;

3° Praescripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur;

4° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, n. 2.

Vis interdicti:

244. Uti vidimus supra (num. 201) declarantes can. 2255, § 2, *interdictum ferri potest etiam in corpus morale,* ex. gr. monasteria, capitula etc. Quando igitur fertur interdictum in communitatem seu collegium, maxime *videre interest,* ad cognoscendos effectus lati interdicti, *an in singulos* v. gr. capituli clericos, *an in capitulum,* uti tale, latum sit, *an in singulos et in capitulum.*

a) in singulos collegii

Si primum, interdictum in singulos cadit, et adimit quae singulis competunt; hinc servandum est praescriptum can. 2275, ut mox videbimus.

b) in collegium, uti tale

Si alterum, interdictum cadit in personam moralem tantum, eaque solum adimit, quae competunt personae morali, idest collegio seu capitulo. non quae singulis; hinc nequit capitulum *ius ullum spirituale exercere quod ei competat;* ex. gr.

non potest ferre suffragia, beneficia conferre, eligere, sede vacante, Vicarium Capitularem etc.

Si tertium, effectus cumulantur; idest nedum interdicuntur iura, quae ad singulos spectant, sed etiam illa quae toti collegio seu capitulo competunt. c) in singulos et in collegium.

245. In can. 2275 agitur *de interdictis personaliter*, seu **de interdicto personali speciali,** quod passim definitur: *Censura qua fidelis a sacramentis, excepta poenitentia et Viatico, a divinis officiis et ecclesiastica sepultura prohibetur* (1). Notio interd. personalis specialis.

Dicitur, censura, hinc huiusmodi interdictum non incurritur nisi ob delictum proprium, cum contumacia coniunctum (can. 2242); et quidem ad hoc interdictum incurrendum graviore, quam pro suspensione incurrenda, delicto opus est; quia interdictum, uti supra innuimus, ad excommunicationem propius accedit. Tollitur sola absolutione, et a quolibet confessario potest absolvi, dummodo non sit ab homine vel reservatum (2).

Qui tenentur hoc interdicto, uti aperte statuitur in can. supra transcripto: Effectus.

1) *nequeunt divina officia celebrare, eisve*, excepta praedicatione verbi Dei, *assistere. Si passive assistant interdicti, non est necesse ut expellantur*; *sed ab assistentia activa,* quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, *repellendi sunt* post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti.

2) *Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere,* ad normam can. 2260, § 1, 2261.

3) *Prohibentur*, ad normam can. 2265, *iure eligendi, praesentandi, nominandi; nequeunt consequi officia vel beneficia, vel ad ordines promoveri; ac* praeterea *nequeunt*, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, *ullam gratiam pontificiam valide consequi*, nisi in pontificio rescripto mentio de interdicto fiat.

4) *Privantur,* post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam *sepultura ecclesiastica;* can. 1240, § 1, n. 2.

Haec omnia quae in hoc canone edicuntur de *personaliter interdictis,* iam constituta sunt fere iisdem verbis *etiam pro*

(1) D'Annibale, l. c. § 371; Card. Lega, l. c. n. 170.
(2) Suarez, 38, 1, 5 etc.; D'Annibale, l. c.

excommunicatis in can. 2259, 2260, 2261, 2265, quos canones supra explanavimus. Ne igitur actum iterum agamus, necesse est ut heic recolantur ea omnia quae exposuimus, praedictos canones declarantes (V. num. 212 et seqq.).

Interdictum *ab ingressu ecclesiae.*

CAN. 2277. — Interdictum ab ingressu ecclesiae secumfert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur.

Notio.

246. *Interdictum ab ingressu ecclesiae est pars interdicti personalis specialis, ideoque vera censura est.* Hinc legitur in cap. 20, *de sententia excommunicationis*, V, 11, in VI° : « Is cui est ecclesiae interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) *irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius* ».

Effectus.

247. *Qui hoc interdicto innodatur nequit in ecclesia divina officia celebrare, eisve,* excepta praedicatione verbi Dei, *assistere.* Verius tamen non prohibetur in ea privatim orare, nec recipere Sacramenta (1).

Uti enim patet ex can. transcripto, praeter ecclesiasticam sepulturam, nihil aliud interdicitur, quam celebratio divinorum officiorum eisque assistentia. De Sacramentorum receptione nihil dicitur : consequenter, quia versamur in poenalibus, haec intelligitur permissa. At ecclesiastica sepultura, tum in ecclesia, tum in coemeterio benedicto, prohibetur « nisi ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa » ; can. 1240 (2).

Tandem advertitur in canone quod si interdictus ab ingressu ecclesiae assistat divinis officiis, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur : V. can. 1242).

Mitigationes quoad insontes.

CAN. 2276. — Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione.

248. Praescripto huius canonis, uti quisque videt, *vehementer attenuatur quoad insontes rigor interdicti localis et inter-*

(1) SCHMALZGR., V, 39, 387 ; SUAR., 35, 4, 19 ; D'ANNIB., l. c. § 377 ; AICHNER, l. c. § 219 ; HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 92.

(2) Cap. 20, *de sententia excomm.*, V, 11, in VI°.

dicti personalis lati in communitatem seu collegium, sapienterque constituitur ut huiusmodi interdicta, minus quam fieri possit, noceant illis, qui nullam eisdem interdictis causam dederunt. Hinc edicitur quod *ille qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit* (1), *potest Sacramenta recipere*, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione.

quibus permittitur receptio Sacramentorum.

249. Notentur postrema verba — *sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione*. His enim verbis ostenditur quod *interdictum locale*, sive generale sive particulare, et *interdictum personale quod fertur in communitatem, qua talem, non sunt censurae proprie dictae*, imo, *quoad insontes, ne poenae quidem sunt*, quia ubi noxa non est, ibi nec poena esse potest, *sed privationes quaedam, quibus amplius non tenetur, qui desinat esse illius corporis membrum* (2). Et re quidem vera ex can. 2248, § 1, « censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione; hinc eo ipso quod innocentibus permittitur receptio Sacramentorum absque ulla absolutione ab interdicto aliave satisfactione, evidenter demonstratur, praedicta interdicta, quoad innocentes, non habere vim censurae neque poenae proprie dictae, sed privationis. Merito proinde scribit D'Annibale l. c. § 370: « Ex omnibus vero interdictis solum interdictum personale speciale censurae vim habere potest, et vim habet, nisi latum fuerit, ad instar poenae; *cetera magis privationes quaedam sunt* ». Et Card. Lega l. c. n. 116, 5, scribit: « Verum personae morales qua tales, in suis deliberationibus violantes legem possunt supponi suspensionibus, interdictis; *tunc enim habentur privationes poenales, non censurae aut poenae proprio sensu*, quibus amplius non tenetur qui desinat esse illius corporis membrum » (3).

(1) Illi qui causam interdicto locali dederunt, sunt specialiter interdicti, ita ut nullibi divina participare possint. Ita Hilarius a Sexten, l. c. pag. 86.

(2) D'Annibale, l. c. §§ 357, 358; Card. Lega, l. c. n. 116.

(3) Aichner, l. c. § 219; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 83 et sq.

ART. III. — *De suspensione.*

Notio suspensionis.

CAN. 2278. — § 1. Suspensio est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.

Vis susp. totalis vel partialis.

§ 2. Etiam suspensionis effectus separari queunt; sed, nisi aliud constet, in *suspensione* generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumerantur; contra, in suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei.

CAN. 2279. — § 1. Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam meae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii.

Partiales suspensiones *ab officio, a iurisdictione, a divinis* etc.

§ 2. Suspensio:

1° *A iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae;

2° *A divinis*, omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet;

3° *Ab ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem;

4° A *sacris ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris;

5° *A certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eumdem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere;

6° *A certo et definito ordine conferendo*, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem;

7° *A certo et definito ministerio*, ex. gr., audiendi confessiones, vel *officio*, ex. gr., cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii;

8° *Ab ordine pontificali*, omnem actum potestatis ordinis episcopalis;

9° *A pontificalibus*, exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2.

Effectus suspensionis a beneficio.

CAN. 2280. — § 1. Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat.

§ 2. Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus.

Definitio.

250. In can. 2278, § 1 suspensio definitur: *censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.*

Dicitur 1) — *censura* — omnia igitur quae diximus in genere de censuris, de suspensione intelligenda sunt. Hinc necesse

est ut lata sit ob delictum proprium cum contumacia coniunctum (can. 2242), ideoque non pro delictis praeteritis non habentibus, ut aiunt, tractum successivum, sed ob delictum futurum, et praemissa monitione (can. 2233, § 2); nec ferri potest in perpetuum, vel in certum diem, vel ad arbitrium eam irrogantis, tunc enim haberentur potius poenae vindicativae; sed infligi debet in tempus indeterminatum ad frangendam contumaciam seu donec delinquens a contumacia recedat (can. 2241).

Dicitur 2) — *qua clericus* — quia censura suspensionis in solos clericos ferri potest. Etenim « soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere » (can. 118); ac proinde ipsi soli possunt officio vel beneficio vel utroque prohiberi. Et in hoc differt censura suspensionis ab aliis censuris; quia dum suspensio in solos clericos ferri potest, ipsosque *directe et per se* vetat sacra obire seu ministrare, excommunicatio et interdictum e contra indiscriminatim ferri possunt tum in laicos tum in clericos, quos privant usu ordinum indirecte et quasi per consequens.

Dicitur 3) — *officio vel beneficio vel utroque prohibetur* —; *quia censura suspensionis alia est partialis, alia vero totalis,* prout fertur suspensio *ab officio tantum, vel tantum a beneficio, vel ab utroque.* Et in hoc suspensio differt iterum ab excommunicatione, qua quis omnium bonorum spiritualium usu privatur, scil. active et passive; dum suspensus privatur tantum ecclesiasticae potestatis exercitio; scil. active, idest interdicitur *usus activus iurium seu bonorum quae clericorum propria sunt.*

251. Tradita in § 1 huius can. 2278 natura suspensionis, animadvertitur in § 2 quod, nisi aliud constet, *in suspensione generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumerantur;* sed *in suspensione ab officio* vel *a beneficio omnes tantum effectus alterutrius speciei.* Haec omnia breviter declaranda sunt.

In evolvenda definitione suspensionis iam vidimus quod *suspensio ferri potest vel ab officio tantum, vel tantum a beneficio, vel ab utroque.*

Si primum, *quia appellatione officii omnis potestas spiritualis significatur,* potestas nempe ordinis et iurisdictionis, *hinc*

Suspensio: *a) ab officio* intercipit potest. ord. et iurisd.

suspensio ab officio simpliciter, nulla adiecta limitatione, *utramque intercipit potestatem, scilicet ordinis et iurisdictionis.* Hinc edicitur in can. 2279, § 1 : « Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam meræ administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii ».

Si alterum, *quia* **ex iure noviter constituto** *beneficium*, prout distinguitur ab adnexo officio, *importat ius percipiendi fructus beneficii, hinc suspensio a beneficio privat fructibus beneficii*

b) a beneficio, privat fructibus beneficii.

Ante novum Codicem, nomine beneficii veniebat non solum ius fruendi bonis beneficio adnexis, sed etiam ius administrandi bona beneficialia, et consequenter suspensus a beneficio impediebatur a fructibus percipiendis et bonis administrandis [1].

Nunc *vero ex can. 2280, § 1 beneficium importat tantummodo ius percipiendi fructus beneficii*, minime vero ius administrandi bona beneficialia, *ideoque suspensus a beneficio*, nisi in decreto suspensionis aliud expresse caveatur, *privatur tantum fructibus beneficii.* Hinc edicitur in praedicto can. 2280, § 1 : « *Suspensio a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat ».

c) generaliter lata, his omnibus privat.

Si tertium, *idest suspensio ab utroque,* his omnibus privat. *Intelligitur suspensus ab utroque ille qui suspensus est simpliciter, absque ulla mentione officii vel beneficii.* « Si quis (ita D'Annibale l. c. § 383) suspensus fuerit simpliciter (idest detracta mentione officii et beneficii) ab utroque suspensum esse, communissima sententia est : quippe hoc uno *suspensionis* vocabulo, utraque in iure et continetur et irrogatur » [2]. Et ita intelligitur dispositio can. 2278, § 2, idest « nisi aliud constet, *in suspensione* generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumerantur; contra in suspen-

[1] D'ANNIBALE, l. c. § 382 ; Card. LEGA, l. c. n. 184.

[2] SUAR., 25, 2, 7 ; REIFFENST., V, 39, 171 ; SCHMALZGRUEBER, V, 39, 266.

sione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei ».

252. Uti iam vidimus, *suspensio alia est partialis, idest ab officio, vel beneficio, alia vero totalis,* idest *ab utroque.* Sed animadvertendum est, quod et *ipsa suspensio ab officio potest esse vel ab ordine solum, vel solum a iurisdictione, vel ab utroque;* immo *et ipsa suspensio ab ordine, diversimode decerni potest,* uti patet ex can. 2279. *Hinc diligenter perpendenda sunt ea quae habentur in praedicto can. 2279,* quia suspensio fere semper solet indici partialis, cadens scilicet in aliquod speciale ius, cuius naturam et extensionem perspectam habere oportet in dimetienda suspensionis vi.

Ex iis quae supra diximus, dispositio § 1 *huius can. 2279 uti explanata haberi potest.* Hinc breviter declaranda sunt ea quae statuuntur in § 2.

Effectus suspensionis: 1°. *a iurisdictione* generatim.

Sub § 2, n. 1° edicitur quod **suspensio a iurisdictione generatim,** *vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae.* Hinc lata suspensione a iurisdictione, nisi aliud expresse caveatur in sententia vel decreto suspensionis, *nunc* prohibentur uti iam antea docebant Suar. 26, 4, 19; Laym. 1, 5 aliique) non solum actus qui invalide ponuntur sine iurisdictione, ex. gr. absolvere a peccatis vel a censuris, celebrare nuptias etc.; sed etiam illi actus, qui valide, sed illicite sine iurisdictione ponuntur, ex. gr. administrare Viaticum, Extremam Unctionem, baptizare solemniter etc. (1). Et ratio est, quia vocabulum iurisdictionis, iure canonico et hodie etiam civili, latissime acceptum est, ideoque iurisdictio in tota hac amplitudine interdicta censetur per suspensionem a iurisdictione generaliter latam.

2°. *a divinis.*
3°. *ab ordinibus.*
4°. *a sacris ordinibus.*

253. *Quoad illa quae traduntur* **sub nn. 2°, 3° et 4°** satis erit heic referre ea quae scribit Card. Gasparri in suo praeclarissimo opere, *De Sacra Ordinatione,* vol. 1, n. 149 : « Suspensio *a divinis, ab officio divino, a divinis officiis,* etc. est ab omni

(1) Quod durum videbatur D'Annibale l. c. § 380, not. 13 : ibi : « Quod mihi durum videtur, quia actus huiusmodi lata significatione iurisdictionis esse dicuntur..., nam (§ 71) actus qui sine ea (iurisdictione) valent, ut baptizare, aegrotos inungere etc. magis iuris, vel officii, vel muneris nostri, quam iurisdictionis esse dixerim ». Vid. Card. Lega, l. c. n. 187.

officio potestatis ordinis sive receptae per ordinationem, sive receptae per privilegium seu commissionem ; suspensio *ab ordine, ab ordinibus*, etc., est ab omni officio potestatis ordinis receptae per ordinationem ; suspensio *ab ordinibus sacris* est ab omni officio potestatis ordinis receptae per ordines sacros ; et ita porro de suspensione *ab ordine subdiaconatus, ab ordine male recepto, a celebratione Missae*, ab usu pontificalium, a collatione ordinum etc. ».

5°. a certo et definito ordine exercendo.

254. *Id quod edicitur* **sub n. 5°**, idem Emus A. l. c. ita declarat : « Cum vero suspensio cuiuscumque speciei prohibeat exercitium ordinis suscepti, sequitur *nec licere suspenso alios ordines recipere eosdemque, si forte receperit, exercere.* Nam hac in re est duplex regula generalis prae oculis habenda. Prima : *Prohibitus recipere aut exercere ordinem inferiorem eo ipso prohibetur etiam ordinem superiorem recipere.* Rationem auctores varie et obscure reddunt ; sed vera ratio est, quia decet profecto ut a gradu superiori recipiendo arceatur ille qui non est dignus minorem recipere et exercere (1)... Altera : *Prohibitus aliquem ordinem recipere, eo ipso, nisi aliud constet, prohibetur eumdem forte receptum exercere quoad actus clericis in eodem ordine constitutis reservatos.* Nam in genere vix non foret absurdum prohibere receptionem ordinis, ac deinde permittere eiusdem functiones ordinatis reservatas. Quoad actus vero ordinatis non reservatos haec consequens prohibitio non intelligitur, quia ordinatus illos actus ponens non videtur ordinem exercere. Additur tamen positae regulae limitatio. *Nisi aliud constet* ; nam si ordinatus ordinem recepit bona fide, fieri potest ut exercitium ordinis recepti eidem permittatur ; ita si ordinatio prohibita fuerat timore alicuius incommodi quod de facto non verificatur » (2).

6°. a certo et definito ordine conferendo.

255. **Sub n. 6°** *edicitur : A certo et definito ordine conferendo, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem.* Scribit ad rem Card. Gasparri l. c. « Dubitatur num suspensus ab ordine inferiori eo ipso suspensus sit ab ordine su-

(1) SUAREZ, l. c. disp. 26, sect. 4, n. 11 ; disp. 42, sect. 4, n. 8 ; cfr. l. 7, § *penult. ff., De interdictis* etc. et *l. 4, ff. De Senatoribus,* ibi : « Qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore ». Cf. cap. 32, X. *de sententia excommunicationis,* V, 39.

(2) Card. GASPARRI, *De Sacra Ordinatione*, vol. 1, nn. 151, 152, 153.

periori. Episcopus suspensus a *conferendo* uno ordine e. g. subdiaconatu, certe potest conferre gradus inferiores; sed probabilius potest quoque conferre gradus superiores e. g. diaconatum, presbyteratum, etc. » (1).

256. Iis praetermissis, quae habentur sub n. 7°, quia facile intelliguntur, *breviter evolvenda sunt ea quae traduntur* **sub nn. 8° et 9°** de partiali suspensione cui obnoxii sunt illi tantummodo, qui pollent ordine episcopali, idest *de suspensione* **ab ordine pontificali,** *et de suspensione* **a pontificalibus**.

8°. *ab ordine pontificali.*

Suspensio ab ordine pontificali vetat omnem actum potestatis ordinis episcopalis, minime vero ea quae sunt alterius ordinis; ut ecce conferre ordines, confirmare etc.

9°. *a pontificalibus.*

Suspensio vero a pontificalibus prohibet exercitium actuum pontificalium, vetat nempe eas peragere functiones, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram (can. 337, § 2). Neutra ad se alteram trahit (2); ac proinde suspensus ab ordine pontificali, verius potest ea obire, quae sunt ordinis sacerdotalis, ex. gr. Missam celebrare in apparatu pontificali (S. Alphons. VII, 314, v. Si autem ; nec suspensus a pontificalibus vetatur obire ea, quae sunt ordinis episcopalis, dummodo licite obiri possint sine baculo et mitra; veluti confirmare sine praedictis insignibus. Qui violat suspensionem ab ordine pontificali, fit irregularis, quippe ordinem exercet, non item qui violat suspensionem a pontificalibus, quia iure suo ordinem exercet (3).

Effectus suspensionis a beneficio.

257. Nunc demum pauca addenda sunt **quoad can. 2280.** Uti supra innuimus, *beneficium ex praescripto huius can. importat solummodo ius percipiendi fructus beneficii, ideoque su-*

(1) D'Annibale, l. c. § 380, not. 10 ; ibi : « Et quia versamur in odiosis, suspensus ab ordinibus conferendis licite confert primam tonsuram, quippe non est ordo... suspensus ab aliquo tantum ordine conferendo, licite, nedum inferiores confert (Suar., 26, 4, 9) ; exercet (CC. 4, 17, *De Temp. Ordin.*) ; sed, probabilius etiam superiores confert (Ex C. 4 eod. in 6° Suar., n. 11) ».

(2) Nihilominus suspensus ab usu pontificalium prohibetur ordinis exercitio quoad ea quae sine pontificalibus fieri non possunt ; velut olea sancta conficere, ecclesiam consecrare, etc. nempe indirecte et per accidens.

(3) D'Annibale, l. c. § 381 ; Card. Lega, l. c. n. 188.

spensus a beneficio, privatur tantummodo fructibus beneficii ad normam huius canonis. Iamvero *fructus appellatione, veniunt omnes reditus temporales ex beneficio*; ideoque et census, decimae, primitiae, etc. Consequenter suspensus a beneficio haec omnia amittit, nempe *pro rata temporis; et deductis impensis, rectigalibus; et oneribus impletis, vel adimplendis, quae beneficio accedunt extrinsecus* (1).

Dicitur — *deductis impensis* etc. — nam fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, ac proinde relinquendi sunt clerico suspenso a beneficio reditus sufficientes ad solvendas taxas, ad adimplenda pia onera Missarum, anniversaria etc. Etenim huiusmodi obligationes, uti scite advertit Card. Lega, non sunt munera officii quibus beneficiatus satisfacere debet, sed onera quae inhaerent reditibus beneficii eosque minuunt: quaeque adimplere oportet, erogatis iisdem reditibus, ne aliis fiat iniuria (2).

Fit quaestio inter DD. *an suspensus a beneficio possit percipere incerta obventionum, seu stolae, ac distributiones quotidianas*. Affirmat D'Annibale l. c.; sed contra opinantur Suarez 27, 1, 29; Schmalzgrueber V, 39, 302; et probabiliori ratione, quia etiam distributiones sunt fructus beneficii et dantur ratione beneficii. Sed sententia D'Annibale est probabilis, et hanc sequi possumus in praxi (3).

Notandum pariter est quod *nomine beneficii,* nisi aliud expresse caveatur, *non intelligitur pensio* personalis, uti probatur ex can. 1412, n. 4 (4).

Fructus iniuste percepti, restituendi.

258. Tandem statuitur in § 2 huius can. quod *si clericus suspensus a beneficio fructus percipiat, debet restituere fructus a die incursae suspensionis* (can. 2232); et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus: et planum est.

(1) D'ANNIBALE, l. c. § 382.
(2) Card. LEGA, l. c. n. 194, 3.
(3) Card. LEGA, l. c.
(4) Cfr. SUAR., 27, 1, 15; D'ANNIBALE, l. c. not. 33; Card. LEGA, l. c. 194, 4.

CAN. 2281. — *Suspensio* generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat.

CAN. 2282. — Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio latae sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur.

De vi suspensionis a beneficio latae:
1) a iure particulari
2) a iure communi

259. *Clericus qui plura habet officia vel beneficia* (1) *si contrahat suspensionem generaliter latam vel suspensionem ab officio vel beneficio, incurrit suspensionem quoad omnia officia vel beneficia quae ipse habet in ea dioecesi, cuius Ordinarius suspensionem inflixit*, nisi in sententia suspensionis contrarium edicatur, idest nisi vim suspensionis limitet ipse Superior. Et ratio est, uti advertit Suarez, quia suspensio a beneficio aequivalet suspensioni a beneficiis, ut suspensio ab ordine, ab officio, a iurisdictione, prohibet ab omni ordine, ab omni officio, ab omni iurisdictione; quia *indefinitus terminus aequivalet universali* (2).

1ª afficit omnia benef. in dioecesi suspendentis.

260. *Ante novum Codicem* Doctores disputabant, an clericus irretitus suspensione ab officio vel beneficio incurreret suspensionem, etiam quoad officium vel beneficium, si quod ipse haberet in alia dioecesi. Superfluum ducimus heic exponere diversas sententias quas propugnabant Doctores, diversimode interpretantes cap. 37, *de electione et electi potestate*, 1, 6 in VI°, et cap. 14, X, *de foro competenti*, 11, 2 (3). Nunc enim quaestio tam clare et perspicue definita est, ut nullus hac in re sit amplius ambigendi locus. *Evidens enim est principium* in can. 2282 *constitutum — loci Ordinarium non posse clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur.*

Aliud vero dicendum est quando clericus incurrit suspensionem latae sententiae, iure communi irrogatam. Tunc enim, quia ius commune ubique viget, effectus huius suspensionis se extendit ad omnia officia vel beneficia in quacumque dioecesi possideantur. Animadvertendum vero est, quod iudex ferens sententiam declaratoriam, de eadem alios Ordinarios, quorum interest, monere debet.

2ª omnia benef. ubique possideantur.

(1) Vide discrimen inter officium et beneficium can. 145 et 1409.
(2) SUAREZ, 27, 1, 9.
(3) Cfr. THESAURUM, *De poenis* l. c. 26; Card. LEGA, l. c. 193.

CAN. 2283. — Quae de excommunicatione can. 2265 statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda.

Pro suspensis: 1) *a divinis* servatur can. 2261; 2) *a iuris dictione*, can. 2264.

CAN. 2284. — Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servetur praescriptum can. 2261; si censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus, ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2.

CAN. 2285. — § 1. Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem.

§ 2. Si primum, serventur huius articuli canones.

De suspensione lata in communitatem.

§ 3. Si alterum, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt.

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

261. Ea omnia quae in tribus canonibus supra transcriptis constituta sunt, uti explanata haberi debent. Et re quidem vera:

1) Can. 2283 edicitur quod *etiam pro irretitis censura suspensionis applicanda sunt ea quae statuuntur de excommunicatione can. 2265*, quem nos supra declaravimus;

2) Item can. 2284 statuitur quod *si incursa fuerit suspensio quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servari debet praescriptum can. 2261*, quem canonem pariter declaravimus;

3) Denique *ea quae statuta sunt can. 2285*, satis superque *intelliguntur ex iis quae exposuimus supra* quoad can. 2274 *de interdicto*. Ne igitur actum iterum agamus, *satis erit ut heic recolantur ea quae supra scripsimus*, citatos can. declarantes.

262. *Quoad suspensos a iurisdictione*, uti in can. 2284, *ea servanda sunt quae diximus in can. 2264 de excommunicatis*. Etenim uti excommunicati, ita et suspensi, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aequiparantur vitandis. Proinde sicut nulli sunt actus positi ab excommunicato vitando, ita etiam actus positi a suspensis a iurisdictione post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, salvo praescripto can. 2261, § 3. Sed ante praedictam sententiam, suspensi aequiparantur excommunicatis toleratis simpliciter, ideoque uti actus positi ab excommunicatis toleratis, ita pariter et actus positi a suspensis a iurisdictione sunt validi, sed illiciti, imo etiam liciti, si a fidelibus

Effectus suspensionis a iurisdictione.

petiti sint ad normam can. 2261, § 2, can. 2264. Placet heic referre ea quae optime scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 187: « Suspensus *a iurisdictione* intelligitur remotus ab eiusdem exercitio tum in foro *externo* tum *interno*, nisi formula qua editur suspensio limitet prohibitionem quoad actus unius vel alterius fori. — Actus vero iurisdictionis a suspenso positi si sit *vitandus* sunt nulli; secus si sit *toleratus*: nam suspensio directe et principaliter prohibet usum potestatis iurisdictionis, sed eamdem iurisdictionem non aufert nisi *vitandis*. Et in hoc, *suspensio* sane **non differt ab excommunicatione** quae excommunicato *tolerato* reddit illicitum usum iurisdictionis, sed non invalidum, imo nec illicitum si idem usus expostuletur a fidelibus ».

Hisce omnibus adnotatis quoad poenas medicinales seu censuras tum in genere tum in specie, nunc praestat ut breviter declaremus ea quae in tit. IX constituta sunt de poenis vindicativis, sive communibus, laicis nempe et clericis, sive peculiaribus clericorum, quae clericis tantum applicantur. Sit itaque

TITULUS IX.

De poenis vindicativis.

Notio poenae vindicativae.

CAN. 2286. — Poenae vindicativae illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat.

Ab iis inflictis datur appellatio in suspensivo.

CAN. 2287. — Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud expresse in iure caveatur.

Si reus primo deliquerit, potest suspendi executio poenae.

CAN. 2288. — Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, prudentiae iudicis remittitur, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat.

Cessatio poenae vind.

CAN. 2289. — Poena vindicativa finitur eius expiatione vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236.

263. Pluries adnotavimus discrimen inter poenas vindicativas et poenas medicinales seu censuras. *Poenae medicinales* illae sunt, quae *per se et primario ordinantur*, non ad publi-

Discrimen inter poenas vind. et medicinales.

cam vindictam criminis, sed *ad medendum vulneribus criminosi, ad frangendam eius contumaciam, ita ut censurarum absolutio pendeat omnino e cessatione contumaciae delinquentis*, cui (can. 2248, § 2) *denegari nequit absolutio cum primum ipse a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3.* Sed e contra *poenae vindicativae*, quamvis non excludant emendationem delinquentis, tamen (can. 2286) *directe tendunt ad delicti expiationem, ad restaurationem ordinis socialis laesi, ad scandalum delicto datum reparandum, ad alios* a similibus delictis patrandis *deterrendos.*

Eapropter poena reum tenet suapte natura aut in tempus definitum aut in perpetuum, prout nempe inflicta est; et consequenter *remissio poenae non pendet e cessatione contumaciae delinquentis*, can. 2286; qui, legi iniuriam irrogans, cum effectus sit debitor poenae, hanc integre luere debet. « Qui enim deliquit (scribit Cavagnis) societatem offendit et eius ordinem turbavit, indebitum sibi usurpando bonum; *hinc fit debitor poenae.* Per poenam igitur satisfacit societati et proportionatum sustinet malum; hinc reparat expiatione laesionem ordinis socialis [1].

264. *Quamvis igitur reus ad meliorem frugem redierit, integram poenam* sibi impositam *luere tenetur, nec ullum habet ius expetendi a Superiore dispensationem poenae*

Ideo diximus supra quod pro iniuste denegata absolutione censurarum, patet appellatio ad Superiorem, sed *pro denegata dispensatione poenae*, cum nullum adsit ius comparatum ad ipsam obtinendam, est enim actus gratiae, qui pendet a voluntate Superioris competentis, *haud praesto est appellatio, sed aliquando*, ut puta quum adest gravis necessitas publica aut privata obtinendi hanc dispensationem, tunc *patet recursus* ad Superiorem. Scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 122: « E contra dispensationi obtinendae nullum est comparatum ius, solummodo aequitas vel charitas et pastoralis sollicitudo aliquando consulunt, dispensationem denegandam non esse: sed a conceptu dispensationis omnino abhorret ius provocandi ad Superiorem ob denegatam dispensationem. Quando vero dispensatio est debita ex

Pro denegata dispensatione non patet appellatio.

[1] CAVAGNIS, Op. cit., vol. I, n. 140.

charitate vel ex iustitia, ut quando adest gravis necessitas publica aut privata, tunc patet *recursus* ad Superiorem ob denegatam ab inferiore dispensationem. At ratio recursus est extraordinaria neque exoritur a natura dispensationis *intrinseca*, sed ex adiunctis rerum *extrinsecis* » (1).

265. Hisce breviter declaratis, quisque facile intelligit tum can. 2286, tum etiam can. 2289, quo edicitur, *poenam vindicativam finiri eius expiatione aut dispensatione* ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236. Animadvertendum vero est quod *dispensatio poenae est contra intentionem legis*, quia lex vult ut poenae luantur prout latae sunt (2); ideoque tunc tantum elargienda est poenae dispensatio, quum gravis necessitas publica aut privata hoc suadeat, ac praesertim si reus perfecte emendatus fuerit et scandalum reparaverit.

266. Diximus — *praesertim si reus perfecte emendatus fuerit et scandalum reparaverit.* — Etenim Ecclesia, uti alias innuimus, semper studet animarum sanctificationi, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendandum et ceteros ab eius imitatione deterrendos (3). Merito proinde in can. 2288, « nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, prudentiae iudicis remittitur, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium, aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat » (4). Ut iudex possit, ad normam huius can. 2288, suspendere inflictae poenae exsecutionem, requiritur:

Quando suspenditur poenae exsecutio.

Primo ut non urgeat necessitas reparandi scandalum. Nam quando adest scandalum, poena debet exsecutioni demandari, quia urget potius necessitas consulendi saluti animarum aliorum fidelium, qui intuitu poenae quam delinquentem sustinere cernunt,

(1) Cf. Thesaurum, P. I, c. 20.
(2) Vid. supr. num. 141 et seq.
(3) Vid. supr. nn. 65 et 179.
(4) Cf. *Cod. Poen. Ital.*, art. 16 et 17.

deterrentur ab eo imitando, sicut pravo eius facto ad delinquendum illecti fuerant (1). Hinc etiam in can. 2218 constitutum est, ut quamvis reo recedenti a contumacia absolutio a censuris nequeat denegari, tamen, *si res ferat*, idest si scandalum datum fuerit, ad ipsum reparandum, potest absolvens a censura pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere.

Secundo requiritur *ut reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit.* Facilius enim potest talis rei obtineri emendatio, eo vel magis quia ipse spe illectus evadendi omnino poenam iam contractam, efficacius removetur a delicto.

Notetur quod exsecutio poenae suspenditur « ea tamen conditione, ut, si reus intra proximum triennium, aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat ». Si igitur reus deliquerit post triennium, non potest cumulari poena utrique delicto debita ; sed poena pro novo delicto inflicta, tantummodo luenda est. Quia tamen ex can. 2208, § 2 : « Qui pluries deliquerit etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem » ; hinc graviori poena mulctari potest (can. 2218, § 1).

Excipiuntur poenae degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, quia huiusmodi poenae regulariter infliguntur ob crimina tam enormia, ut urgeat fere semper necessitas reparandi scandalum, et consequenter poena, ad scandalum reparandum, debet exsecutioni demandari.

267. *Nunc nonnulla adnotanda sunt* **quoad can. 2287**. Uti iam vidimus supra (n. 163 et seqq.) declarantes can. 2243, appellatio legitime interposita devolvit ad iudicem superiorem cognitionem totius causae, et hic effectus appellationis, qui *devolutivus* dicitur, disiungi non potest ab appellatione. Sed, *praeter effectum devolutivum, habetur et effectus suspensivus*, qui consistit in hoc ut suspendatur vis sententiae, et competentia iudicis a quo appellatur, ita ut hic prolatam sententiam exsequi non valeat.

A poenis vind. datur appellatio in suspensivo.

Unde legitur in can. 1889 : « *Appellatio in suspensivo ex-*

(1) CAVAGNIS, l. c. n. 10.

secutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium: « *lite pendente nihil innovetur* ». Hinc facile intelligitur can. 2287 quo statuitur: « ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus *in suspensivo*, nisi aliud expresse in iure caveatur ». Dicitur — *appellatio seu recursus* — quia, si poena inflicta fuerit per sententiam iudicialem, appellatio, si vero per decretum seu ad modum praecepti particularis (can. 2225 et can. 2243, § 1), recursus interponitur. Heic recolantur ea qua diximus supra n. 163 et seqq.

CAN. 2290. — § 1. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. Facultas: *a*) suspendendi obligationem servandae poenae,

§ 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3. *b* vel etiam dispensandi.

268. Uti ex praescripto can. 2254, in casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, potest quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere, servatis utique servandis; ita pariter *in casibus occultis urgentioribus, quilibet confessarius* ex hoc can. 2290, *potest in foro sacramentali, servatis servandis, obligationem servandae poenae vindicativae latae sententiae suspendere*, si ex observatione poenae reus seipsum proderet cum infamia et scandalo. Confessarius *in casibus occultis urgentioribus* potest: *a* suspendere obligationem servandae poenae;

Sed dices: Nonne ex praescripto can. 2232, § 1 « ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit »? Si igitur ab ipso iure reus excusatur a poena observanda, ad quid ista suspensio obligationis servandae poenae, de qua in hoc can. 2290?

Ita sane; imo et ipsum ius naturae excusat in casu a poena observanda, quia *nemo tenetur prodere seipsum*. Sed animadvertendum est, quod nemini licet in causa propria sibi ius dicere; et hallucinationis periculum sedulo vitari debet. Hinc reus, qui delicti sibi sit conscius, non potest suo iudicio suaque auctoritate se eximere a poena incursa observanda; sed expectare *b*) imo et dispensationem concedere.

debet iudicium confessarii, qui omnibus rite perpensis, et sub conditionibus a iure statutis, obligationem servandae poenae suspendit, *imo ex § 2 huius can. et dispensationem concedere potest ad normam can. 2254, § 3.*

Ut confessarius valeat suspendere in casibus occultis urgentioribus obligationem servandae poenae vindicativae latae sententiae, fere eadem servanda sunt ac illa quae praescribuntur in can. 2254 pro concedenda absolutione censurarum. Satis proinde erit ad hunc canonem rite intelligendum, ut heic recolantur ea quae scripsimus supra, declarantes memor. can. 2254.

Hisce adnotatis quoad omnes poenas vindicativas in genere, nunc praestat ut prius illas declaremus, quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt; postea vero sermo erit de peculiaribus clericorum poenis vindicativis, seu de illis poenis, quae clericis tantum applicantur. Sit itaque

CAPUT I.

De poenis vindicativis communibus.

Recensentur praecipuae poenae vindicativae, quae omnes fideles afficere possunt.

CAN. 2291. — Poenae vindicativae quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt:

1°. Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;

2°. Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;

3°. Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis;

4°. Infamia iuris;

5°. Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1;

6°. Privatio Sacramentalium;

7°. Privatio vel suspensio ad tempus pensionis quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici;

8°. Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis;

9°. Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos;

10°. Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae;

11°. Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit;

12°. Mulcta pecuniaria.

269. Ex omnibus poenis vindicativis quae in hoc canone recensentur, nonnullae tantummodo in hoc capite 1 evolvuntur,

quia omnes aliae, vel nulla indigent declaratione, vel in canonibus praecedentibus pertractatae fuerunt, veluti ex. gr. interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium, necnon interdictum ab ingressu ecclesiae etc. de quibus actum est in can. 2268-2277. Hinc tantum exponendas assumimus poenas vindicativas propositas in sequentibus can. 2292-2297, et in primis sermonem instituimus de poenali suppressione aut translatione sedis episcopalis aut paroecialis.

CAN. 2292. — Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis est Romano Pontifici reservata; sedis autem paroecialis, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli.

Poenalis suppressio aut translatio: *a*) sedis episcop. reservatur R. P.

270. Quid sit suppressio aut translatio sedis episcopalis aut paroecialis, intelligitur ex can. 1421, ubi legitur: « *Translatio beneficii habetur cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur;... suppressio, cum prorsus extinguitur* ». *Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis nonnisi a Romano Pontifice decerni potest.* Etenim ex reg. 35 ff.: *nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.* Quia igitur a solo Romano Pontifice « dependent ea omnia quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium » (can. 248, § 3); plane omnino consequitur ab ipso tantummodo decerni posse poenalem suppressionem aut translationem sedis episcopalis.

b) sedis paroec. locorum Ordinariis.

271. *Quod* vero locorum *Ordinarii sine consilio Capituli, nequeant decernere poenalem suppressionem aut translationem sedis paroecialis,* probatur ex can. 1428, quo edicitur: « Locorum Ordinarii uniones, *translationes,* divisiones, dismembrationes beneficiorum ne faciant nisi per authenticam scripturam, *auditis Capitulo cathedrali*, et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum ».

Nunc breviter declarandi sunt tres canones sequentes, in quibus agitur de infamia iuris et de infamia facti.

Infamiae iuris vel facti: *a*) notio

CAN. 2293. — § 1. Infamia est vel iuris vel facti.

§ 2. Infamia iuris illa est quae casibus iure communi expressis statuitur.

§ 3. Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium.

§ 4. Neutra afficit delinquentis consanguineos aut affines, firmo praescripto can. 2147, § 2, n. 3.

b) effectus

CAN. 2294. — § 1. Qui infamia iuris laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo.

§ 2. Qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can. 987, n. 7, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis.

c) cessatio.

CAN. 2295. — Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa; infamia facti cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii iudicio, recuperata.

Quid infamia et quomodo dividatur.

272. *Infamia*, uti ipsum vocabulum sonat, *est diminutio famae, seu famae damnum*, ut dicitur l. 8, Cod., *Ex quibus causis infamia irrogatur*. Iamvero fama, absolute dicta, est *bona hominum existimatio; hinc infamia est* privatio huius bonae existimationis, seu *est mala hominum existimatio* (1).

Infamia, uti legitur in § 1 can. 2293, *est vel iuris*, quae dicitur etiam *legalis, vel facti*, quae etiam *popularis* vel *vulgaris* appellatur (2). « **Infamia iuris** canonici est quando irrogatur lege Ecclesiae; quae per hoc declarat, hominem non esse habendum probum et honestum, eius bonam existimationem non amplius protegit, ipsumque impedit a nonnullis actibus legitimis et honoribus in Ecclesia » (3). Infamia iuris, uti omnes aliae

(1) Cf. l. 5, § 1 ff. *De var. et extraord. cognit.*; existimatio optime definitur a CALLISTRATO « *Illaesae dignitatis status legibus et moribus* comprobatus ». Card. GASPARRI l. c. n. 284; Card. LEGA l. c. n. n. 288.

(2) « Haec divisio (ita Card. GASPARRI l. c. n. 285) reprehenditur a nonnullis peritis in iure civili Romano, quod revera nomen infamiae reservat tantum infamibus infamia iuris. Sed hoc non obstante, divisio cohaeret notioni datae, et retinenda est ad confusionem idearum in hac materia haud obvia evitandam ».

(3) Card. GASPARRI, l. c. n. 286.

poenae, *est vel latae vel ferendae sententiae,* prout nempe statim patrato crimine incurritur, vel post sententiam iudicis condemnatoriam.

273. **Ante novum Codicem** acriter inter DD. *disputabatur, an infamia iuris latae sententiae incurreretur absque sententia iudicis declaratoria* (1). *Sed nunc* ex can. 2232, § 1 sequitur omnino, *poenam infamiae latae sententiae tenere delinquentem,* qui delicti sibi sit conscius, *ipso facto, absque sententia declaratoria,* sive delictum ab Ecclesia notatum infamia lat. sent. sit publicum, sive sit occultum. Edicitur enim in praedicto canone: « Poena latae sententiae, sive medicinalis, sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet ».

Infamia iuris l. sent. tenet reum ante sent. decl.

274. *Infamiae latae sententiae accedit infamia adnexa poenae,* quae proinde dicitur *infamans;* nam haec poena propter delictum a iudice inflicta, ipso iure secumfert infamiam rei (2). Scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 294: « Poena infamiae distinguenda est a poenis *infamantibus,* quia in primo casu infamia consideratur uti poena per se stans; in altero casu infamia est consecutivum ad poenam ». Hinc recte scribit Schmalzgrueber, V, 37, n. 166, infamiam incurri vel *ipso iure, vel ex sententia iudicis, vel ex genere poenae.*

Poena infamiae distinguitur a poena infamante.

275. « **Infamia facti tantum,** uti optime scribit Card. Gasparri l. c. n. 305, est, quando quis famae damnum patitur in opinione gravium et honestorum, quin tamen lege infamia irrogata sit, vel si est irrogata ferendae sententiae, haec sententia nondum prolata est. Proinde *non est vera poena lege inflicta propter delictum, sed potius est consequentia naturalis alicuius delicti vel poenae. Necesse autem est quod causa huius infamiae sit publica, quia actualis diffamatio apud graves et honestos ex causa occulta ne intelligi quidem potest* » (3).

Infamia facti.

(1) Cf. Thesaurum, *De poenis,* I, 33; Card. Gasparri l. c. n. 287 et seq.; Card. Lega l. c. n. 295.

(2) Card. Gasparri l. c. n. 286 in fine.

(3) Thesaurus l. c. ab initio; Suarez, *De virtute et statu religionis,* lib. IV, cap. LVI, n. 21; Card. Lega l. c. n. 288 et 299; cap. 21, X, *De accusationibus,* V, 1; ibi: « Propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet (iudex) cuius apud bonos et graves laesa opinio non existit ».

276. Tandem animadvertendum est quod olim infamia notabantur filii vel etiam nepotes propter delictum parentum. Hoc probatur ex cap. 5, *De poenis*, V, 9, in VI° et ex l. 5, C. *Ad legem Iuliam maiestatis*. Sed hoc erat ius speciale, uti advertit, haec referens, Card. Gasparri l. c. n. 294; in genere enim infamia qua quis sordescit, eiusdem filios, fratres vel alias personas vinculo consanguinitatis coniunctas haud tangit; quod non semel S. Congregatio Concilii declaravit (1). Hinc iure meritoque constitutum est in can. 2293, § 4 *neutram infamiam afficere delinquentis consanguineos aut affines*, firmo praescripto can. 2147, § 2, n. 3.

Neutra infamia afficit delinquentis consanguineos.

277. Ex breviter adnotatis sequitur *infamiam iuris canonici esse gravissimam poenam, quae*, uti melius patebit ex canone 2294, *privat bonis maximi momenti*. Et re quidem vera ex § 1 praedicti canonis *qui infamia iuris laborat*, est *irregularis* ad normam can. 984, n. 5, idest *ex defectu bonae famae*, et consequenter arceri debet ab ordinibus recipiendis et ab ordinibus iam susceptis exercendis. Praeterea *est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas*. Etenim ex reg. 87 iuris in VI° « *Infamibus portae non pateant dignitatum* » (2). Nomine autem dignitatum intelliguntur etiam honores in societate ecclesiastica et beneficia quaecumque ex cap. 11, X, *De excessibus Praelatorum*, V, 31 (3). *Insuper est inhabilis ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris ac muneris ecclesiastici*. Quid sint actus legitimi ecclesiastici, vidimus supra, can. 2256, n. 2; notio vero officii ecclesiastici traditur in can. 145.

Effectus : *a* infamiae iuris,

278. Ex § 2 can. 2294 *qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus* ad normam can. 987, n. 7, idest, *dum infamia, iudicio Ordinarii, perdurat;* tum ab exercendo sacro ministerio. Repelli debet ab ordinibus recipiendis, quia infamis non habet bonum testimonium ab Apostolo requi-

b) infamiae facti.

(1) *Cf. S. C. C. in Sulmonen., Dispensat.*, 30 Iul. 1735; *Amerina* seu *Interamnen., Ordinat.*, 11 Aug. 1759; *Carthaginen., Ordinat.*, 10 Maii 1755.

(2) Citata regula iuris desumpta est ex l. 2, C., *De Dignitatibus:* « Neque famosis et notatis et quos scelus aut vitae turpitudo inquinat et quos infamia ab honestorum coetu segregat, dignitatis portae patebunt ».

(3) Card. GASPARRI l. c. n. 299.

situm in 1ª ad Timoth. III, 7: « *Oportet autem illum* (Episcopum) *et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli* ». Malum habere testimonium idem est ac esse infamem (1). Arceri debet a sacro ministerio exercendo, quia non decet sacra tractari ab eo, quem populus seu publica existimatio uti infamem detestatur. Praeterea repelli debet *a dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, quia regula 87 iuris in VI, comprehendit etiam laborantes infamia facti*, qui proinde ab omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis arcendi sunt. Hinc optime scribit Card. Gasparri l. c. n. 309: « Porro *infamia facti eadem impedimenta ex iure canonico producit ac infamia iuris.* Nimirum arcet a dignitatibus, *ex cit. reg. 87 iuris, in 6°*, quae etiam infames infamia facti comprehendit, sicut cit. l. 2, C. *De dignitatibus*, ita tamen ut collatio beneficii facta infami in sola opinione proborum iuxta plures sit valida, etsi illicita et irritanda; quod confirmari videtur ex cap. II, *De excessibus praelatorum.* Item removet ab actibus legitimis et publicis muneribus. Tandem prohibet ab ordinibus suscipiendis et susceptorum exercitio: ut ex iuribus supra citatis probatur » (2).

279. Denique praestat ut videamus *quomodo cessat sive infamia iuris cum adnexa irregularitate, sive infamia facti.* Quomodo cessat: *a*) infamia iuris;

Infamia iuris, uti docet Card. Gasparri l. c. n. 304, in genere *est poena perpetua,* quae imponitur absque temporis limitatione; proinde adnexa delicto, non cessat poenitentia aut emendatione; adnexa poenae, non cessat, expleto tempore poenae. Et hoc pariter dicendum est de irregularitate quae eidem cohaeret. *Hinc tollitur* sola *dispensatione Romani Pontificis*, unde legitur in can. 2295: « *Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa* ».

Infamia vero facti cessat per eam vitae emendationem, quae maculas prioris detergit, ita ut malae famae successerit bona existimatio aput graves et honestos. Proinde ad tollendam infamiae notam requiritur ut poenitentia peragatur in loco commissi delicti, uti legitur in folio S. C. C. *in Terulen. Beneficii,* *b*) infamia facti.

(1) Card. Lega l. c. 299, not. 1; Card. Gasparri l. c. n. 309.
(2) Card. Lega l. c. n. 289.

3 Iulii 1662, et *in Ferrarien., Praesentationis et admissionis in collegium,* 25 Ian. 1851. *Remittitur prudentiae Ordinarii iudicare quandonam nova vita infamiam reipsa deleverit.* Hinc edicitur in praedicto can. « infamia facti (desinit) cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii iudicio, recuperata ».

CAN. 2296. — § 1. Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest.

§ 2. Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis.

280. In hoc canone agitur *de gravissima poena qua quis* aliunde iure naturali et divino habilis, ob aliquod crimen *inhabilis redditur iuridice, muniis, officiis, iuribus, privilegiis ecclesiasticis assequendis.* Animadvertitur in canone, quod si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, *poena inhabilitatis nonnisi a Sede Apostolica infligi potest,* et planum est; etenim *in iure nihil tam naturale est quam eo genere quidque dissolvi quo colligatum fuit:* (ex l. 35 ff. *de reg. iuris*). Quia igitur status personae a iure communi constituitur, incapacitas ad exercenda iura quae cohaerent statui personae christianae, vel clerici vel religiosi, nonnisi a Rom. Pontifice infligi potest (1). « *Haec inhabilitas,* scribit Card. Lega l. c. n. 202, *suapte natura, est perpetua,* nec poenitentia deletur, sed dumtaxat dispensatione legitimi Superioris, vel etiam *absolutione,* si est accessoria censurae, arg. c. c. 2, § 2 et 15 De haereticis in VI° (V, 2) ».

Inhabilis: *a*) ab una Sede Apost. infligi potest.

281. Tandem animadvertendum est, *quod iura iam quaesita* (§ 2) *non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis* (2).

b) non tollit iura quaesita, nisi...

(1) Card. Lega l. c. n. 191, not, 1.
(2) Vid. can. 2303.

CAN. 2297. — Mulctas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis.

De mulctis pecuniariis.

282. Mulctas pecuniarias in pios usus esse erogandas iam prius decreverat S. Concilium Tridentinum. Siquidem laudatum Concilium postquam in cap. 1, sess. VI de ref. edixit, Episcopos sine causa legitima absentes sex mensibus continuis a sua dioecesi, incurrere *ipso iure* poenam quartae partis fructuum unius anni, statim addidit: *hos fructus fabricae ecclesiae et pauperibus loci* per Superiorem ecclesiasticum *esse applicandos*. Et hoc pariter constituit in cap. 14, sess. XXV de ref. quoad fructus quibus privatos voluit clericos concubinarios (1).

Benedictus XIV, *De synodo dioeces.* lib. X, cap. 10, n. 1, refert S. Congr. Conc. haec tria declarasse circa mulctarum destinationem, videlicet *primo*, mulctas a Tridentino inflictas clericis non residentibus, concubinariis, semper locis piis esse applicandas; *secundo mulctas indeterminatas* quae Episcopi arbitrio decernuntur, similiter non posse nisi in opera pia erogari; *tertio*, mulctas quas *certa mensura* designant canones vel synodicae constitutiones, servari posse integras egenti Episcopo, si vere egeat. Ea tamen quae in Episcoporum indigentium utilitatem constituta fuerunt, nullimode suffragari sive Capitulo sive Vicario Capitulari, pluries declaravit S. Congr. Concilii (2).

Omnes mulctae pecuniariae in pios usus erogari debent.

Nunc, uti patet ex canone transcripto, ad auferendam vel minimam suspicionem labis avaritiae in Ordinariis, **certa statuitur regula,** *idest omnes mulctas pecuniarias semper in pios usus esse erogandas, nisi, quoad mulctas iure communi inflictas, aliud expresse eodem iure caveatur.*

Hisce breviter declaratis quoad cap. 1 de poenis vindicativis communibus, nunc praestat ut disseramus de poenis vindicativis quae clericis tantum applicantur. Sit igitur

(1) Vide etiam *cap. 3, sess. XXV de ref.*; ibi: « Liceat eis (Episcopis), si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, *per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus* eo ipso, quod exactae fuerint, *assignentur*... ».

(2) *S. C. Conc. in Nazarien.*, 6 Dec. 1642 ad 1. (lib. 17, Decret. pag. 119 a terg.) et *in Elnensi*, 28 Martii 1648 ad 6. (lib. 18, Decret. pag. 464 et seq.).

CAPUT II.

De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.

Poenae vindicativae quae solos clericos afficere possunt.

CAN. 2298. — Poenae vindicativae quae *clericis tantum* applicantur, sunt:

1°. Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia;

2°. Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris;

3°. Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius;

4°. Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti;

5°. Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum;

6°. Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione;

7°. Prohibitio commorandi in certo loco, vel territorio;

8°. Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio;

9°. Privatio ad tempus habitus ecclesiastici;

10°. Depositio;

11°. Privatio perpetua habitus ecclesiastici;

12°. Degradatio.

283. Uti monuimus supra (n. 269) quoad can. 2291, ita pariter et quoad hunc canonem 2298 animadvertimus, non omnes poenas supra recensitas, evolvi in hoc secundo capite, sed nonnullas tantummodo, quia omnes aliae vel nulla egent declaratione, vel in canonibus praecedentibus pertractatae fuerunt. Hinc declarabimus tantummodo illas poenas vindicativas proprias clericorum, quae exponuntur in sequentibus canonibus 2299-2305. Et in primis de privatione poenali beneficii, de qua in sequenti

De privatione beneficii.

CAN. 2299. — § 1. Si clericus beneficium inamovibile obtineat, eodem *in poenam* privari potest *solum in casibus iure expressis;* si amovibile, *etiam ob alias rationabiles causas.*

§ 2. Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, ex. gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi ad certum tempus.

§ 3. Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304.

284. Ad hunc canonem rite intelligendum, haec, quae sequuntur, adnotanda sunt:

1) Inter poenas vindicativas, quae clericis tantum appli-

cantur, recensetur « privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione »; c. 2298, n. 6.

2) Beneficia autem sunt « *manualia, temporaria, seu amovibilia*, vel *perpetua seu inamovibilia*, prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum »; can. 1411, n. 4.

3) Privatio officii aut beneficii incurritur « *sive ipso iure, sive ex facto legitimi Superioris* »; can. 192, § 1.

Clericus privari potest beneficio: *a*) inamovibili, in casibus iure expressis,

4) *Si agatur de officio vel beneficio inamovibili, Ordinarius nequit clericum eodem privare nisi in casibus iure expressis et mediante processu* ad normas iuris; can. 192, § 2, et 2299, § 1. Eapropter quando agitur de beneficio vel officio inamovibili, tunc tantum clericus potest officio vel beneficio privari, cum uno vel alio ex criminibus in iure determinatis se maculaverit.

5) *Si vero agatur de parocho, qui ob defectum causae canonicae* suo beneficio inamovibili *privari nequeat, sed tamen utile ministerium in paroecia non gerat vel gerere nequeat,* aut forte sua ibi praesentia noxius evadat, tunc *fit locus remotioni oeconomicae,* qua ipse, ad normam can. 2147-2156, ob utilitatem animarum, a beneficio dimittitur, et transfertur ad aliud beneficium vel officium ecclesiasticum, vel congrua eidem pensio assignatur.

b amovibili, ex iusta causa.

6) *Si clericus obtineat beneficium* vel officium *amovibile*, « *privatio decerni ab Ordinario potest ex qualibet iusta causa,* prudenti eius arbitrio, *etiam citra delictum*, naturali aequitate servata, sed certum procedendi modum sequi minime tenetur, salvo canonum praescripto circa paroecias amovibiles »; ...can. 192, § 3.

7) Animadvertendum est, uti edicitur in § 3 huius can., quod « *nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit,* nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304 ».

8) Denique notatur in § 2 huius can. quod clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, ex. gr. ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi ad certum tempus; et planum est (1).

(1) Vid. can. 2278, n. 7.

Privatio iuris deferendi habitum ecclesiasticum.

CAN. 2300. — Si clericus gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.

285. *Clericus* gravia praebens scandala et monitionibus non obtemperans, *potest* ex praescripto huius canonis *iure deferendi habitum ecclesiasticum ad tempus privari, si scandalum nequeat aliter removeri.* Et iure meritoque, etenim Ordinarii tenentur omnino providere saluti animarum suorum subditorum, et consequenter ea omnia remedia poenalia decernere possunt, quae apta sunt ad scandalum removendum. Quapropter *si*, omnibus rite perpensis, *nullum aliud suppetat efficax remedium, possunt privare clericum iure deferendi habitum ecclesiasticum. Et haec privatio,* uti legitur in can. transcripto, dum perdurat, *secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.*

Effectus.

Poena commorandi vel non certo in loco.

CAN. 2301. — Ordinarius nequit praescribere ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente.

CAN. 2302. — Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sint, imponantur *tantum in casibus gravibus*, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem.

286. *Potest Ordinarius* ex praescripto can. 2301 *prohibere ne clericus certo in loco commoretur,* idest in loco ubi deliquit vel occasionem habet gravius et facilius delinquendi; *itemque potest praescribere ut clericus certo in loco commoretur, etiam extra fines suae dioecesis, vel ut maneat,* ad longum vel ad breve tempus pro gravitate delictorum, *in domo poenitentiae aut in domo religiosa.*

His poenis E.pi ab antiquissimis temporibus usi sunt.

Hisce poenis Sacrorum Antistites, uti monumenta ecclesiasticae historiae invicte demonstrant, *ab antiquissimis temporibus usi sunt* pro criminibus clericorum coërcendis (1). Hinc scribit

(1) *Synodus Agathensis*, can. 50 concil., tom. 5, col. 529, coll. LABBAEI; *Conc. Romanum sub Symmacho Papa* an. 503, apud LABBAEUM, tom. 5 con., col. 504; vid. PIERANTONELLI, *Praxis fori ecclesiastici*, pag. 24, n. 9.

Card. Lega l. c.: « ...antiquitus seu usque ad saeculum VIII, clerici vel publicis poenitentiis plectebantur reducti ad laicam communionem, seu depositi et degradati, vel in perpetuum carcerem ecclesiasticum, seu in decanicas ecclesiasticas seu monasteria detrudebantur, exilio multabantur aut etiam fustigationibus, verberibus afficiebantur ab ipsa ecclesiastica auctoritate, ne cum ordinis dedecore in manus laicorum inciderent. Hodie etiam constitutae sunt, praesertim in Germania, *domus poenitentiae seu demeritorum*, et in has detruduntur sacerdotes ad certum tempus, ut plurimum non breve, et inibi... intendunt corrigere suos mores et reparare scandalum, cum fideles sciant, ipsos inibi morari, iussu superiorum, ad poenitentiam peragendam et in correctionem » (1).

287. Hisce adnotatis, praestat nunc animadvertere, quod ex praescripto can. 2301, huiusmodi poenae, scilicet *tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa*, praesertim si diu duraturae sint, *imponi possunt tantum in casibus gravibus, in quibus*, prudenti Ordinarii iudicio, *sunt necessariae ad clerici emendationem aut scandali reparationem*. Proinde regulariter imponi possunt, postquam aliae poenae ad emendationem delinquentis obtinendam inflictae fuerunt, vel si nullum aliud suppetat efficax remedium ad scandali reparationem.

Quando hae poenae imponi possunt.

288. Praeterea notetur quod *Ordinarius*, uti statuitur in can. 2301, « *nequit praescribere ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci*, vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente ». Et planum est; sarta enim tectaque iura sua cuique Ordinario servanda sunt. Hinc si Ordinarius alterius dioecesis rationabiliter timeat clericum in sua dioecesi alia delicta esse commissurum, vel notitiam patrati delicti ad suam dioecesim esse facile perventuram cum scandalo suorum subditorum, ipse

Quando requiritur consensus alterius Ordinarii?

(1) Cf. cap. 35, X, *de sent. excomm.*, V, 39; c. 27, § 1, X, *de verb. signif.*, V, 40; cap. 3, *de poenis*, V, 9, in VI°; *Conc. Trid.*, sess. XXV, *de ref.*, cap. 14; Card. Lega, l. c. num. 58, 214 et 215.

ius habet et officium impediendi quominus clericus in territorio suae dioecesis commoretur.

Notio depositionis eiusque effectus.

CAN. 2303. — § 1. Depositio, firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus.

§ 2. Sed hoc ultimo in casu, si clericus vere indigeat, Ordinarius pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur.

§ 3. Poena depositionis infligi nequit, nisi in casibus iure expressis.

Privatio perpetua iuris deferendi habitum eccles.

CAN. 2304. — § 1. Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.

§ 2. Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2.

Degradationis notio, divisio, effectus.

CAN. 2305. — § 1. Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem.

§ 2. Haec poena ferri solummodo potest propter delictum in iure expressum aut si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat.

§ 3. Alia est *verbalis* seu *edictalis*, quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione; alia *realis*, si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano.

289. In tribus canonibus supra transcriptis agitur de depositione et degradatione, quae omnium poenarum gravissimae sunt.

Quomodo differt depositio:

Depositio est poena vindicativa qua clericus nedum suspenditur ab officio, sed etiam fit inhabilis ad quaelibet officia vel beneficia in Ecclesia, ac privatur omnibus illis quae possidet, licet eorum titulo fuerit ordinatus. Ex hac definitione quam ex canone 2303, § 1 desumpsimus, quisque facile videt *gravissimum discrimen inter simplicem privationem beneficii*, de qua in can. 2299, et *depositionem*. Etenim clericus beneficio privatus, non est suspensus ab officio; sed *clericus depositus, est suspensus ab officio, idest ab omni potestate ordinis et iurisdictionis*, eique interdicitur omnis actus meae administrationis ex officio competentis; can. 2279, § 1. Praeterea privatio beneficii per se non impedit quominus clericus privatus beneficio, aliud beneficium assequi valeat; sed e contra *depositio secumfert « inhabilitatem ad quae-*

a) a privatione beneficii.

libet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia»; can. 2303, § 1. Ulterius privatio unius beneficii per se non secumfert privationem alterius, si quod quis habeat; sed e contra *depositio secumfert* « *etiam privationem illorum quae reus habeat...* », l. c. Denique ex can. 2299, § 3 « Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur... »; sed in can. 2303 *depositio secumfert privationem etiam beneficiorum quorum titulo quis fuerit ordinatus.* Utique verum est quod in can. 2303, § 2, Legislator hortatur Ordinarios, pro casu quo clericus depositus, privatus manserit beneficio, cuius titulo ordinatus fuerat; *ut si vere indigeat* « pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur ». Sed profecto nemo est qui non videat discrimen inter legem certam et absolutam statutam in can. 2299, § 3, et exhortationem de qua in can. 2303, § 2. *Poena igitur depositionis gravior est quam simplex beneficii privatio.*

290. Additur in can. 2303, § 1 quod *clericus depositus, remanet obstrictus obligationibus sui status seu e suscepto ordine exortis*, idest recitandi officium divinum et servandi castitatem; *ac* praeterea *retinet privilegia status clericalis,* adeo ut non possit trahi ad tribunal laicale contra praescripta sacrorum canonum, et qui eum iniuriose perculeret, incideret in excommunicationem latam can. 2343, § 4. Legitur enim l. c.: « Depositio, *firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus...* ». Hisce verbis innuitur *discrimen inter depositionem et degradationem, quae est poena gravior ipsa quoque depositione.* Edicitur enim in can. 2305, § 1 · « Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem ». Hinc *degradatio, praeter effectus proprios depositionis,* alias quoque gravissimas poenas secumfert, idest *eiicit clericum e statu clericali, ideoque adimit privilegia clericalia, ipsumque perpetuo privat iure deferendi habitum ecclesiasticum.*

b) a degradatione.

291. Hisce insimul adnotatis quoad depositionem et degradationem, animadvertendum est quod *antiquiore disciplina, idest usque ad finem saeculi duodecimi, poena degradationis non di-*

Antiquior Ecclesiae disciplina.

stinguebatur a poena depositionis (1). Scribit Aichner l. c. § 220, not. 8: « Usque ad finem circiter saeculi 12 voces " depositio „ et " degradatio „ unam eandemque poenam denotabant » (2). Clerici enim depositi dicebantur redacti ad *communionem laicam*, quia quoad participationem divinorum inter *laicos* recensebantur; sed remanebant penitus obnoxii ecclesiasticae potestati (3).

Postea vero Summi Pontifices Lucius III (4) et Coelestinus III (5) animadvertentes, perfectam clericorum exemptionem a foro saeculari etiam in causis criminalibus, practice eximere clericos discolos et sceleratos a poena capitali, et hanc immunitatem non satis praedictos clericos coercuisse (6), ac praeterea nonnullis principibus v. gr. Henrico II in Anglia et Friderico II in Sicilia ansam dedisse condendi leges foro privilegiato clericorum contrarias et a Rom. Pontificibus reprobatas (7); *decreverunt clericos criminosos et incorrigibiles arbitrio potestatis saecularis esse relinquendos* « animadversione debita puniendos ».

Deinde Innocentius III in cap. 7, X, *de crimine falsi*, V, 20, constituit ut clerici criminosi « *postquam per ecclesiasticum iudicem fuerint* **degradati**, *saeculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi* ». « *Inde orta est accuratior illa differentia inter depositionem* iure antiquo semper receptam *et degradationem*, quam Innocentius III, cap. 27, X,

(1) Duplex depositio seu degradatio distinguebatur in antiqua ecclesiae disciplina: totalis et partialis. Qui omnino degradabantur, ii proprie *degradari, omnino deponi, omnino de proprio gradu deiici, non perseverare in clero, ab ordine cleri amoveri, ad laicam communionem detrudi* dicebantur. Qui ex parte degradabantur, *alii* retenta dignitate solummodo eius munera exercere prohibiti sunt; *alii* ad inferiorem gradum *degradabantur*, ex. gr. episcopi ad presbyterorum, hi ad diaconorum gradum; aliis quaedam ordinis munera relicta sunt ceteris ademptis. Devoti, *Inst.*, tom. 1, sect. 4, § 19, not. 2; Kober, *de deposit. et degradat.*, Tübingen, 1867, pag. 113, 214; Aichner, l. c.

(2) Kober, l. c., pag. 130; Card. Lega, l. c., n. 208; Wernz, l. c., n. 119.

(3) Card. Lega, l. c.

(4) Cap. 9, X, *de haeret.*, V, 7.

(5) Cap. 10, X, *de iudic.*, II, 1.

(6) Cf. Kober, l. c., pag. 147 sq.

(7) Cf. cap. 8, X, *de iudic.*, II, 1; Kober, l. c., pag. 150, sq., Wernz, l. c., not. 149.

de verb. signif., V, 40 " *apertius* „ exposuit » (1). Denique Bonifacius VIII in cap. 2, *de poenis*, V, 9 in VI° *distinxit degradationem in verbalem et realem.* Verbalis est ipsa iudicis sententia qua clericus deiicitur ab officio, beneficio et suo gradu; realis vero seu actualis est sollemnis sententiae exsecutio, quae correspondet militis exauctorizationi, est nempe, uti scribit D'Annibale, l. c. § 388bis not. 80: « tristis illa caeremonia, qua omnium ordinum insignia, a summo ad imum, reo detrahuntur; eisque detractis, in veteri disciplina, tradebatur Curiae saeculari, mancipandus publicis gravioribus officiis, quibus laici erant obnoxii (L. 52. C. De Episcop. et cleric.)... » (2).

Haec *distinctio degradationis in verbalem et actualem seu realem* a Bonifacio VIII inducta, et postea in Ecclesiae disciplina retenta, *nunc in novo Codice iuris canonici sancita fuit.* Legitur enim in can. 2305, § 3: « Alia est *verbalis* seu *edictalis*, quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione; alia *realis*, si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano ».

Forma degradationis sollemnis.

292. *Quoad realem seu sollemnem Clericorum degradationem* animadvertendum est, quod *antiquitus pro actuali Episcopi degradatione duodecim requirebantur Episcopi, sex si de presbytero, tres si de diacono agebatur* (3). Deinde Concilium Trid. sess. 13, c. 4, de ref. decrevit clericos Episcopis inferiores esse degradandos ab Episcopo, adhibitis, Episcoporum loco, totidem abbatibus usum mitrae et baculi habentibus, sive aliis personis

(1) WERNZ, l. c.; AICHNER, l. c., not. 9, ibi: « Primum monumentum clerici degradati, qui saeculari iudici traditur, est in c. 7, X (V, 20 Innoc. III), ubi sancivit Pontifex, ut clerici falsarii, *postquam per eccles. iudicem fuerint degradati, saeculari potestati tradantur secundum constitutiones legitimas puniendi.* Atque ita inductum est, ut clerici propter atrociora crimina degradati saeculari curiae puniendi traderentur. KOBER, l. c., pag. 157, seq.

(2) Cf. Card. LEGA, l. c., n. 208, not. 1; vid. cit. cap. 2, *de poenis.* V, 9 in VI°, ibi: « Actualis vero sive solemnis... Clerici degradatio... fiet, ut exauctorizatio eius, qui militiae deservit armatae, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus, castris reiicitur, privatus consortio et privilegio militari. Clericus igitur degradandus, vestibus sacris indutus... » etc. Vid. Pontif. Rom. tit. *Degradationis forma.*

(3) C. 4, 5, 6, 7, Caus. 15, Q. 7 (conc. Carth. II (an. 390) et III (397) IV (398); Hispal. II (619); KOBER, l. c., pag. 222.

in ecclesiastica dignitate constitutis. Nihil dicitur de Episcoporum degradatione, quia ex eodem Conc. sess. 24, c. 5, causae graviores Episcoporum iudicio Rom. Pontificis reservantur (1).

Depositio et degradatio ferri nequeunt nisi:

293. Hisce omnibus adnotatis, nunc demum superest videndum *quibus in casibus et quomodo poena depositionis et degradationis infligi debeat.* Ante novum Codicem, uti docet *Benedictus XIV, de Syn. dioeces. lib. IX, c. 6, n. 7* ad degradationem clerici deveniri non poterat nisi in casibus a iure expressis. Hinc Benedictus XIV l. c. monebat Sacrorum Antistites ne « *ab hac regula, communi usu recepta* » unquam recederent.

Huic regulae mordicus contradicebat *Sebastianus Berardi, op. cit. V. 11, diss. 4, cap. 1,* contendens, posse Episcopos ob graviora crimina depositionem vel degradationem infligere, etsi hae poenae non essent iure communi expresse pro his criminibus constitutae. Sed Berardi sententiam nullimode posse sustineri, erudite probat Card. Lega, l. c. n. 209 concludens: « quod nullimode sit probabilis Berardi sententia, probat communis recepta consuetudo quae est optima legum interpres, quamque laudat Bened. XIV, l. c. ». Hinc merito constitutum est in canone 2303, § 3 et can. 2305, § 2, *poenam tum depositionis tum degradationis ferri non posse « nisi in casibus iure expressis ».*

a) in casibus iure expressis.

294. *Additur vero in can. 2305, § 2, poenam degradationis ferri posse etiam in casu quo « clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat ».* Siquidem ex praescripto can. 2304, § 1. « Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum. § 2. Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2 ». Haec omnia in hoc canone sapienter constituta sunt. Etenim urget quandoque necessitas providendi honori ordinis clericalis et bono Ecclesiae, impediendo ne clerici, qui suo ordine prorsus se indignos praebent depravatis moribus, vestem clericalem in publicum deferant. Eapropter ius inest Episcopis prohibendi perpetuo clericum criminosum et contumacem iure deferendi habi-

b) item in casu de quo in can. 2305, § 2.

(1) Card. LEGA, l. c. n. 210; AICHNER, l. c. § 220; WERNZ, l. c. 119.

tum ecclesiasticum, ita ut si grave adhuc scandalum per annum praebere pergat, possit etiam poena degradationis mulctari.

Quomodo sunt infligendae.

295. Tandem quoad modum quo tum depositio tum degradatio infligenda est, satis erit heic referre id quod decernitur in can. 1576, § 1, n. 2; ibi: « Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important, reservantur tribunali quinque iudicum ».

Postquam explanavimus tit. IX. *de poenis vindicativis,* sive communibus, sive propriis clericorum, nunc praestat ut declaremus postremum titulum huius secundae partis libri V, in quo agitur de remediis poenalibus et poenitentiis. Sit itaque

TITULUS X.

De remediis poenalibus et poenitentiis.

CAPUT I.

De remediis poenalibus.

Recensentur remedia poenalia.

CAN. 2306. — Remedia poenalia sunt:
1° Monitio;
2° Correptio;
3° Praeceptum;
4° Vigilantia,

Quandonam adhiberi debeant: *a*) Monitio, *b*) Correptio.

CAN. 2307. — Eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Ordinarius per se vel per interpositam personam moneat.

CAN. 2308. — Si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur.

Modus procedendi.

CAN. 2309. — § 1. Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta.

§ 2. Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet.

§ 3. Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum; et est iudicialis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem.

§ 4. Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo.

§ 5. De monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando.

§ 6. Tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia.

c-eptum. **CAN. 2310.** — Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis.

d) Vigilantia. **CAN. 2311.** — § 1. Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae.

§ 2. Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos.

Notio remedii poenalis. 296. *Remedia poenalia* de quibus agitur in hoc capite, ideo *dicuntur remedia* **poenalia**, *quia important aliquam poenalitatem*, saltem in diminutione honoris illius personae cui applicantur. Consequenter, quia nulla poena esse potest, ubi nulla est culpa, supponunt aliquam legis transgressionem, quae tamen ad rationem delicti non pertingat et vel pro transgressore occasio sit seu periculum veri delicti committendi, vel delicti suspicionem contineat et inde fidelium scandalum, quod omnino removendum est (1).

Concilium Trid. sess. XIII, c. 1 de ref., valde commendaverat usum horum remediorum poenalium, admonens Episcopos aliosque Ordinarios ut suos subditos « *tamquam filios et fratres diligant elaborentque* **ut hortando et monendo ab illicitis deterreant...** » etc. (2). Deinde S. Congr. Ep. et Reg. in Instr. d. 11 Iunii 1880 qua tradidit *formas oeconomicas* adhibendas ad processum summarium instruendum in causis criminalibus clericorum, inhaerens vestigiis Conc. Tridentini, praescripsit quomodo remedia poenalia ab Ordinariis adhiberi deberent ad praecavendas graviores disciplinae ecclesiasticae laesiones et ad ordinem iam laesum reparandum. Legitur sub art. 1 praedictae Instr.: « *Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando,* **remediisque utendo ca-**

(1) Ex. gr. frequentes visitationes aut familiaritates clerici cum personis diversi sexus. Cfr. WERNZ, l. c. n. 253; Card. LEGA, op. cit., vol. IV, n. 278.

(2) Vid. can. 2214, § 2, num. 65.

nonicis ad praecavendas apud eosdem et **eliminandas** *ordinis perturbationes* ».

297. Sub art. 2 eiusdem Instr. *declaratur* **ratio et finis** *horum remediorum* his verbis: « Ex his remediis *alia* **praeveniunt,** *alia* **reprimunt et medelam afferunt. Priora** *ad hoc ordinantur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur.* **Posteriora** *vero finem habent revocandi lapsos ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias* ». Divisio ac finis.

Patet igitur ex dictis quid sint et quem in finem dirigantur remedia poenalia, sive *praeventiva* ipsa sint, sive *repressiva et medicinalia.* Proinde facile intelliguntur can. 2306, 2307, 2308, quibus remedia poenalia indigitantur, ac statuitur quandonam ab Ordinariis sive monitio sive correptio adhiberi debeat.

298. Haec omnia clara et perspicua sunt, hinc explanandum aggredimur *can. 2309 quo statuitur ratio procedendi in faciendis sive monitionibus sive correptionibus.*

Inprimis ex praescripto huius canonis, § 1, *apprime distinguenda est monitio vel correptio publica a monitione vel correptione secreta;* nam legitur in § 1: « Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta ». Monitio vel correptio est:

Monitio secreta *illa est quae*, ad normam praecepti evangelici « *corripe eum inter te et ipsum solum* » (1), *fit remotis testibus.* Hinc Ordinarius vocat clericum « qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi... (et) per se vel per interpositam personam monet » (c. 2307), *ut faciat* vel *ut abstineat...* eumque sollicitat ut bene agat, habita ratione suae conscientiae, suae ipsius utilitatis, bonae existimationis, quae alias gravissime periclitantur (2). Vel « si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, *a*) secreta,

(1) Matth., XVIII, 15.

(2) Card. Lega, op. cit. vol. IV, n. 285. Vide etiam n. 387; ibi: « In monitione *paterna,* utpote *secreto* manifestata, si indicia non sint gravia et animum prudentis relinquant ancipitem, utilis est monitio quae tamen culpam, *uti incertam,* pandat ex charitatis affectu, quo magis sollicitet admonitum ad propulsandam omnem suspicionem omnemque culpae labem ».

etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur »; can. 2308. Quando monitio vel correptio fit per interpositam personam, haec, uti quisque videt, talis sit oportet, quae Episcopi nomine loquatur, ideoque prudens et pietate conspicua.

b) publica.

Correptio vel monitio publica *censetur, si fiat* « vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet »; § 2. Forma igitur, ad normam huius § 2, *est legalis*, seu apta probationi, sive adsit notarius referens *in acta* textum monitionis, sive testes adhibeantur in testimonium monitionis seu correptionis, sive Ordinarius scriptis exaratum exhibeat textum monitionis aut correptionis et subscriptionem illius cui monitio facta est.

Constare debet de facta monitione vel correptione.

299. Ex § 5 « *de monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento* **in secreto archivo** *Curiae asservando* »; idest pro casu quo ad ulteriora procedi debeat, vel recursus fiat ad Superiorem, penes quem Episcopus suam agendi rationem probare debet. Dicitur: *etsi secreto factae fuerint*. Hinc etiam documenta comprobantia publicam monitionem vel correptionem « *in secreto archivo Curiae* » *asservari debent*. Et ratio est, quia « in genere (uti advertit Card. Lega) a clericis, quantum fieri potest, vel poenitentiae vel poenae vel censurae secreto luendae sunt ne inhabiles omnino evadant eccles. ministerio... » (1).

Haec omnia iam praescripserat laudata Instructio sub art. VI, edicens: « Canonicae monitiones fiunt sive *in forma paterna et secreta* (etiam per epistolam aut per interpositam personam) *sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu* ».

Publica fit adversus reum convictum vel confessum.

300. Praeterea ad *correptionem publicam* quod spectat, admonet Legislator in § 3 huius can., hanc *fieri tantum posse* « *adversus reum de delicto convictum vel confessum* ». Hinc, uti edixerat laudata Instr. sub art. V (2), praemittendum est diligens et

(1) L. c. vol. IV, n. 286.

(2) S. C. Ep. et Reg., instr. 11 Iun. 1880, art. 5, ibi: « *His dispositionibus* **praecedat oportet summarium facti examen,** *quod Ordinarius adservabit in Curia eum in finem, ut procedat, si opus est, ad ulteriora, et ut superpositae Auctoritati rationem reddat, eveniente legitimo recursu* ».

accuratum examen circa existentiam et qualitates violationis legis. Neque ob sola indicia, etiam gravia, publica correptio adhiberi potest, sed requiruntur sufficientes probationes: quia non indiciis, sed probationibus quis de delicto convinci potest. Unde Melchiades Papa Hispanis Episcopis provide praecipiebat, can. 13, caus. 2, q. 1: « **Primo semper ante omnia diligenter inquirite**, ut cum iustitia et veritate definiatis: neminem condemnetis ante verum et iustum iudicium: *nullum suspicionis arbitrio iudicetis*: sed primum probate, et postea charitativam proferte sententiam: et quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere ». Card. Lega l. c. n. 278 scribit ad rem: « Equidem hic agimus de remediis ab Ecclesia adhibitis *pro foro externo*, quae remedia prospiciunt *externae* eccles. disciplinae tuendae et restituendae; proindeque *horum applicatio mediorum non est legitima nisi iudici suppetat apposita probatio* de ingruentibus morbis, quibus vult medelam afferre. Etenim **haec remedia** adhibita vel ad crimina praecavenda vel ad aliquas publici ordinis laesiones reparandas, **famam illorum onerant quibus applicantur** ».

Correptio iudicialis fit vel loco poenae vel ad poenam augendam.

301. Correptio *publica*, uti legitur in § 3: « *est iudicialis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem* » (1). Et additur in § 4 quod « *correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam*, praecipue si agatur de recidivo ». Haec omnia facile intelliguntur, si prae oculis habeantur can. 2223, § 3, n. 3; 2224, § 2; quorum in primo iudex potest « **loco ipsius** (scil. poenae) *aliquod remedium poenale adhibere* aut aliquam poenitentiam iniungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens vel... » etc.; in altero vero « ... prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, **addita**, si res ferat, *aliqua poenitentia vel* **remedio poenali**... », utique ad augendam poenam.

Fieri potest semel vel pluries, vel penitus omitti.

302. In § 6 animadvertitur quod « *tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries*, pro Superioris arbitrio et prudentia ». *Immo, ad normam can. 2310 penitus omitti potest* tam monitio quam correptio, si ex eisdem effectum sperare non liceat. Legitur enim in praedicto canone: « Monitionibus et cor-

(1) Vide can. 1947-1953.

reptionibus incassum factis, *vel si ex eisdem effectum sperare non liceat,* datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis ». Si igitur monitiones vel correptiones incassum factae fuerint, vel Ordinarius ipsas omiserit, quia, omnibus perpensis adiunctis rerum et personarum, ex eisdem nullus effectus sperari poterat, tunc gravius remedium poenale adhibendum est. datur nempe praeceptum. Et hoc etiam decreverat saepe laudata Instr. sub art. VII: « Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione quam incurret in casu transgressionis » (1). Placet heic referre id quod scribit de praecepto Card. Lega l. c. n. 288: « *Praeceptum* autem distinctum a *monitione,* est gravius remedium quippe maiorem testatur contumaciam in praeceptato et hinc edendum non est nisi plena adsit probatio vel de delicto iam admisso vel de periculo *proximo* istud patrandi. *Praeceptum* enim *vim habet sententiae condemnatoriae,* sub conditione editae *suspensiva,* seu remissae ad futurum eventum ».

Quando vigilantia adhiberi potest.

303. Tandem *in can. 2311 statuitur*: « § 1. *Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae.* § 2. Vigilantia *praecipi quoque potest ad augendam poenam,* praecipue in recidivos ». Vigilantia, uti innuimus supra (n. 139) declarantes can. 2234, diversimode applicari potest pro diversis adiunctis rerum et personarum (2). Proculdubio vigilantia, praesertim uti remedium praeservativum, valde utiliter ab Ordinariis adhiberi potest. Quandoque enim reus relabitur in crimen, potius ob adiuncta in quibus versatur, quam ob pravam voluntatem. Hinc optime decernit Ordinarius ut Sacerdos

(1) *S. C. Ep. et Reg., Instr. 11 Iun. 1880, art. VIII:* « Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis. § 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit. § 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat rei natura de qua agitur.

(2) Vid. can. 1946, § 2, n. 2; 1957; 2234.

in occasione positus gravius delinquendi, removeatur a loco in quo deliquit et constituatur sub vigilantia pii, prudentis et discreti Sacerdotis. Ita enim Sacerdos remotus a pravis occasionibus violandi legem, sensim sine sensu hortationibus, consiliis, exemplo confirmatus in bono proposito, redit ad bonam frugem, sibi et fidelium aedificationi consulens.

304. Ex § 2 h. can. 2311 *vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam,* praecipue in recidivos; et planum est.

Hisce breviter adnotatis quoad remedia poenalia, superest declarandum caput secundum quod inscribitur *de poenitentiis.*

CAPUT II.

De poenitentiis.

Curnam imponuntur in f. ext. et quomodo moderandae sunt poenitentiae.

CAN. 2312. — § 1. Poenitentiae in foro externo imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat. vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat.

§ 2. Ob delictum aut transgressionem occultam nunquam poenitentia publica imponatur.

§ 3. Poenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis.

Praecipuae poenitentiae recensentur.

CAN. 2313. — § 1. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta:

1° Recitandi determinatas preces;

2° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera;

3° Servandi peculiare ieiunium;

4° Erogandi eleemosynas in pios usus;

5° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies.

§ 2. Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis.

Poenitentiae publicae: *a*) notio,

305. In hoc capite secundo non agitur de poenitentiis privatis, quae in foro interno conscientiae aut poenitentiali imponuntur, sed de poenitentiis publicis, quae praescribuntur in foro externo. Sed notetur quod poenitentiae publicae aliae sunt solemnes, quae nempe ab Episcopo ritu speciali imponebantur et absolvebantur, quaeque proprie dicuntur poenitentiae canonicae, et hae iam a pluribus saeculis in desuetudinem abierunt; aliae vero non solemnes, quarum usus nullatenus recessit ab usu fori

criminalis ecclesiastici (1). *Agitur* proinde *de poenitentiis publicis non solemnibus*, quae ad ius poenale pertinent in quantum saepe substituuntur veris poenis, uti aperte edicitur in can. 2312, § 1.

Huiusmodi poenitentiae a DD. definiri solent: *Alicuius laboriosi operis frequentatio ab Ecclesia imposita, et voluntarie suscepta ad satisfaciendum Deo et etiam societati si peccato scandalum datum est, necnon ad emendationem delinquentis* (2). Dicitur - *voluntarie suscepta* - etsi sententia superioris imposita sit, quia ad ipsam adimplendam non cogimur vi materiali (3). Praeterea, uti advertit cl. Wernz l. c.: « poena vindicativa etiam independenter a consensu delinquentis ipsique invito imponi potest, poenitentia vero indiget *acceptatione poenitentis*, imo ab ipso poenitente regulariter accipit *executionem* et idcirco etiam insinuatur discrimen a censura, quae fertur in contumacem ». Exinde tamen nullimode sequitur reum non posse cogi, etiam per censuras ecclesiasticas, ad acceptandam poenitentiam publicam in foro externo inflictam (4).

b) finis. 306. Ex aliis verbis quae habentur in definitione, liquido patet quod *finis poenitentiae publicae est mixtus, cum directe intendat solidam individui emendationem et bonum publicum*, ut voluntaria poenitentia societatem aedificet qui peccato eam scandalizavit (5). Eapropter ad emendationem delinquentis quod spectat, merito possunt applicari etiam *publicae poenitentiae* ea quae de poenitentia privata edixit Concilium Trid. in sess. XIV, cap. 8. *de poenitentia:* ibi: « Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt ».

(1) *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 8, de Ref.; CAVAGNIS, l. c. n. 282; WERNZ, l. c. n. 251; Card. LEGA, l. c. n. 69.

(2) Card. LEGA, l. c.; CAVAGNIS, l. c.; WERNZ, l. c. n. 249.

(3) CAVAGNIS, l. c..

(4) WERNZ, l. c. not. 16; ibi: « Quare errant MEURER, l. c. p. 183 sq. et HINSCHIUS, l. c., tom. IV, p. 697, 715, si putant repugnare ipsi notioni verae poenitentiae, ut quis ad illam suscipiendam cogatur ».

(5) CAVAGNIS, l. c. n. 286.

Hisce adnotatis, facile intelliguntur ea quae habentur in can. 2312, § 1, scilicet: « *Poenitentiae in foro externo imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat,* vel *poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat* ». Sicut enim Superior ad normam can. 2223, § 3, n. 3, potest « a poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit... », ita pariter ex praescripto huius canonis potest reum dispensare a poena contracta vel absolvere a censura incursa (can. 2236, § 1) ob publicam poenitentiam quam reus acceptans, et suam emendationem ostendit et societatem delicto offensam aedificat.

Imponi potest tantum ob delictum publicum.

307. Additur in § 2 « *ob delictum aut transgressionem occultam nunquam poenitentia publica imponatur* ». Et haec norma semper in ecclesiastica disciplina servata fuit, uti aperte probatur tum ex cc. 1 et 7, X, *de poenitentiis et remissionibus,* V, 38, quorum primum summatur: « *Pro manifesto peccato poenitentia publica imponi debet* »; tum etiam ex cap. 21, X, *de accusat.* V, 1, ex quo *nemo puniendus est publice de crimine occulto.* Et in Conc. Trid. sess. 24, cap. 8, de ref. legitur: « Apostolus monet, *publice peccantes palam esse corripiendos.* Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic *condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet,* ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam » (1).

Quaenam sunt attendenda in poenitentiis infligendis.

308. In § 3 edicitur: « Poenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis ». Et merito quidem, etenim aequa proportio esse debet inter media et finem ad quem assequendum diriguntur. Hinc etiam quoad poenitentiam imponendam in foro interno edixerat Concilium Trid. l. c.: « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum

(1) Can. 19, Caus. 2, q. 1, § 1; ibi: « Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. Sic agamus et sic agendum est, non solum, quando in nos peccatur, sed etiam quando peccatur ab aliquo, ut ab altero nesciatur, in secreto debemus corripere ».

spiritus et prudentia suggesserit, pro **qualitate** *criminum et poenitentium* **facultate** *salutares et convenientes satisfactiones* iniungere... Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem ». Et ante Concilium Tridentinum S. Pontifex Innocentius III in cap. 8, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V, 38 (ex quo capite desumpta fuit § 3 huius canonis), edixerat: « Caeterum cum poenitentia *non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem... sit moderanda, pensata qualitate personae*, super fornicatione, adulterio, homicidio, periurio et aliis criminibus, *consideratis circumstantiis omnibus...* competentem poenitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire ».

309. Tandem in can. 2213 *recensentur poenitentiae quas Ordinarii imponere possunt, quasque* pro sua prudentia ex § 2 huius can. *addere possunt poenali remedio monitionis et correptionis.* Poenitentiae praecipuae sunt, praeter exercitia spiritualia quae peragenda sunt in pia aut religiosa domo per aliquot dies, quaeque etiam remedii praeventivi rationem habent, piae quaedam preces, piae peregrinationes, ieiunia, eleemosynae, aliaque pietatis opera.

PARS TERTIA

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

PROOEMIUM.

310. Absoluta in prima et secunda parte huius Libri V tractatione fundamentali de delictis, et de poenis tum in genere tum in specie, nunc facilis patet aditus ad tertiam partem rite interpretandam. In hac parte tertia applicantur principia in praecedentibus canonibus constituta, et in singula delicta aetate nostra frequentiora et magis infesta, appositae poenae sive vindicativae sive medicinales, sive latae sive ferendae sententiae constituuntur. Eo igitur clarius ac facilius intelligemus ea omnia quae in hac tertia parte continentur, quo frequentius prae oculis habebimus illa quae tum in prima tum in secunda parte huius Libri V explanata sunt. Connexio materiae tractandae.

311. Principio iuverit animadvertere, quod ex omnibus poenis quae in hac parte tertia continentur, aliae cum veteri iure plane conveniunt, aliae vero ex parte conveniunt, ex parte differunt, aliae denique non satis apparet, utrum plane conveniant vel aliquatenus differant. Illae quae conveniunt, aestimari debent ex *veterum canonum auctoritate;* proindeque in obscuris ex receptis interpretationibus apud probatos auctores aestimandae sunt. Illae quae discrepant, ex sententia ipsorum canonum intelligi debent. In dubio an conveniant necne, a veteri iure non est recedendum. Hinc probe cavetur in can. 6: Normae servandae in poenis interpretandis.

« 2.° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;

« 3.° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;

« 4.° In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ».

Ad poenas quod spectat, additur in eodem can. 6, n. 5: « Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur ».

Quoad censuras latae sententiae non abs re erit advertere, has maxima ex parte ex Const. « *Apostolicae Sedis* » depromptas fuisse; quamobrem in interpretandis censuris latae sententiae, quae cum praedicta Constitutione plane conveniunt, a receptis interpretationibus apud probatos auctores recedendum non est.

312. Notandum denique est quod novus Codex in criminibus recensendis attendit praecipue qualitatem delictorum seu diversas criminum species. In disponendis vero diversis delictorum speciebus, illa prius recensentur quae magis adversantur fini Ecclesiae, idest sanctificationi ac aeternae felicitati hominum. Ratio optime traditur a cl. Wernz, l. c. n. 259: « Quare cum sanctitas in Ecclesia promovenda maxime impediatur per *peccata*, profecto delicta in foro externo Ecclesiae commissa et coercenda, *recte ordinantur* et mensurantur *secundum gravitatem peccatorum eorumque oppositionem ad leges et virtutes*. Quae ordinatio sane sapientissima habetur in decalogo ab ipso divino legislatore condito ideoque codex criminalis Ecclesiae non est reprehendendus, si ad decalogum quam proxime accedat » (1).

Ordo tractationis.

Ex dictis facile intelligitur quomodo Legislator, haec principia prae oculis habens, eisque fideliter inhaerens, imprimis exponit delicta in Deum et religionem commissa (tit. XI et XII); deinde, quia inter delicta contra homines et bona humana, quae secundum locum occupant, illa gravissima reputantur quibus auctoritas et personae quibus eadem commissa est, impetuntur, hinc

(1) Cap. 13, X, *de iudiciis*, II, 1, iunct. Schmalzgr., lib. V, tit. 19, n. 293, 294; tit. 7, n. 181, 182; Devoti, l. c., lib. IV, tit. 1, § 2; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, vol. I, n. 266 sq., 1223 sq.

in tit. XIII agitur de delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas. Reliqua vero delicta, in homines et bona humana patrata, idest contra vitam, libertatem etc. exponuntur in tit. XIV et XV. Absoluta expositione delictorum quae *clericis et laicis sunt communia,* in postremis quatuor titulis agitur de delictis quae, ut plurimum, solis clericis sunt *propria.*

Hisce breviter adnotatis, singulos canones huius tertiae partis explanandos aggredimur. Sit itaque

TITULUS XI.

De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae.

De apostatis, haereticis aut schismaticis.

CAN. 2314. — § 1. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici.:

1°. Incurrunt ipso facto excommunicationem;

2°. Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur;

3°. Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188, n. 4, clerici, monitione incassum praemissa, degradentur.

§ 2. Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus.

Apostatae.

313. **Apostata** *est, qui* « *post receptum baptismum... a fide christiana totaliter recedit* »; can. 1325, § 2.

1°. Dicitur — *post receptum baptismum* — hinc ille qui sibi proposuerat religionem christianam amplecti et a proposito recedit, antequam fuerit sacro baptismate initiatus, non est apostata nec poenis hoc in canone statutis obnoxius (1).

(1) Cfr. Icard, l. c., n. 719.

2°. Additur — *a fide christiana totaliter recedit* — hinc ut quis incurrat poenas statutas contra apostatas, necesse est ut recedat a fide christiana, non sola mente seu animo, quo casu constituitur apostata coram Deo, sed mente simul et verbis vel factis; *requiritur nempe ut internam defectionem verbis aut signis vel opere exterius ostendat.* Cumque crimen apostasiae in recessione consistat, nihil interest, utrum apostata transierit ad Iudaismum, Paganismum, Atheismum, vel Indifferentismum, aliumve ritum gentilem contra Christianismum. Generatim loquendo apostatae sunt: athei, deistae, pantheistae, indifferentistae, materialistae et liberi, quos vocant, cogitatores (1).

Denique notetur quod *praeter apostatas a christiana fide, sunt etiam apostatae a religione*, seu a statu religioso; et de his inferius (c. 2385) erit sermo. V. can. 644.

Haereticus.

314. **Haereticus** *ille est qui* « post receptum baptismum, nomen retinens christianum, *pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat* »; can. 1325, § 2; licet nulli sectae haereticae adhaereat (2).

Haeresis debet esse: *a*) formalis,

Dicitur — *pertinaciter* aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis *denegat* —; hinc *requiritur ut haeresis sit formalis,* scilicet cum errore intellectus et pertinacia voluntatis.

Ex parte intellectus *requiritur error contra fidem catholicam,* idest contra aliquam veritatem fide divina et catholica credendam. Iamvero « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur »; can. 1323, § 1. « Sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis »; can. 1325, § 2 (3).

Unde vere haereticus est, qui deliberate dissentit a veritate clare proposita in S. Scriptura, quia Ecclesia clare et manifeste

(1) Cfr. CAPPELLO, l. c., n. 62.

(2) A S. THOMA, 2, 2, q. 11, art. 1, haeresis definitur: « Error hominis baptizati in intellectu voluntario contra aliquem articulum fidei cum pertinacia coniunctus ».

(3) PIUS IX, *Const. dogmat.* « *Dei Filius* », ex qua haec verba desumpta fuerunt.

proponit, credenda omnia et singula quae in S. Scriptura continentur.

Ex parte voluntatis *requiritur contumacia, qua quis Ecclesiae infallibiliter docenti, voluntarie et scienter iudicium suum submittere non vult.* Error proinde *voluntarius* esse debet.

Controvertitur, an incurrat excommunicationem latam contra haereticos, ille qui errat ex ignorantia culpabili. S. Alphonsus scribit l. VII, n. 303: « Si ignorantia sit tantum supina, communiter excusant DD. Ratio, quia hanc censuram non incurrit, nisi qui est haereticus formalis; sed ad haeresim formalem constat requiri veram scientiam erroris, alias deficit pertinacia, ut supra requisita » (1). Et Icard l. c. n. 720 scribit: « Qui errat etiam culpabiliter, modo non laboret ignorantia affectata, non est formaliter haereticus, quia non adversatur animo obstinato auctoritati Ecclesiae; non est in eo pertinacia necessaria ad delictum haeresis ».

315. Denique ad excommunicationem incurrendam *requiritur ut quis haeresim prodat exterius, utque eam prodat actu manifesto, humano, et malo.* Hinc si quis haeresim suam prodiderit in somno, vel ebrius, excommunicationi non fit obnoxius. « Illud non interest (ita D'Annibale), cum *verbis* eam prodidit, utrum aliquis audierit loquentem, an nemo; forte quia nemo praesens erat, si modo praesens exaudire potuisset; nec, si eam prodidit *facto*, quo facto eam prodiderit; ut puta si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per tabulas semet moventes, vel *Mediums*, vel *Crisiacos* (Magnetizatos) quos vocant » (2); *dummodo haeresim facto implicitam adverterit, eique adhaereat, vel saltem de veritate dubitet* (3).

b) exterius manifestata.

Uti docet cl. Cerato l. c. n. 90: « *qui nati sunt in secta haeretica in eaque vivunt*, veritate nunquam cognita ac proinde nunquam reiecta seu denegata *pertinaciter*, ut patet, excommunicationi non sunt obnoxii ».

(1) D'Annibale, Commentarium in *Const. Apost. Sedis*, n. 30, ibi: « Ut igitur christianus haereticus dici possit, *necesse est ut erret: ut in fide erret: ut erret sciens volens* ».

(2) D'Annibale, l. c., n. 31.

(3) Cappello, l. c., n. 64, not. 2; Cerato, l. c., n. 90, e.

Additur — *aut de ea dubitat* —; etenim erratur contra fidem, non solum si admittatur propositio doctrinae catholicae contradictoria, sed etiam si in dubium revocetur veritas aliqua revelata; in utroque enim casu fertur iudicium veritati catholicae oppositum. Hinc illud notissimum « *Dubius in fide, infidelis est* » (1).

Schismatici.

316. **Schismaticus** *est qui* « post receptum baptismum, nomen retinens christianum, *pertinaciter... subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae subiectis communicare recusat* »; can. 1325, § 2; etsi nulli sectae schismaticae adhaereat.

Schisma est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiae catholicae. Unitas Ecclesiae duobus continetur, scilicet connexione *membrorum* Ecclesiae inter se, et cum Rom. Pontifice, tamquam *Capite* eius visibili (2). Schisma est vel *purum*, cui nempe nulla haeresis admixta est, veluti si quis omnes prorsus articulos fidei admittat et fateatur legitimae auctoritati Romani Pontificis esse obtemperandum, sed tamen malitiose se subtrahat obedientiae Summo Pontifici praestandae; vel *mixtum*, si nempe cum haeresi coniungatur. In hoc canone excommunicatione plectuntur schismatici puri; nam si schismaticus, uti regulariter evenire solet, etiam deneget aliquem articulum fidei ex. gr. Primatum Rom. Pontificis, haereticus foret, et propterea duplici excommunicationi obnoxius.

Hisce praenotatis, animadvertendum est quod ad excommunicationem incurrendam minime sufficit simplex inobedientia, quamvis in materia gravi, si seiuncta sit a pertinaci rebellione per quam inobediens a suprema auctoritate se solutum et proinde a catholicitatis vinculo se habeat separatum. Scribit ad rem D'Annibale l. c. n. 44: « *obedientia;* adeoque nec hi (scil. excomm. non incurrunt), qui renuunt obtemperare propter rem praeceptam; v. g. in ieiuniis, observantia festorum etc.; sed hi tantum qui spirituale imperium et auctoritatem R. P. abiiciunt... Illud necesse est, ut quis recedat *pertinaciter*, idest (prout haereticus a fide) sciens volens... ». Minime quis excusatur si forte exterius tantum ita se gerat, animo vero

(1) Cap. 1, X, *de haereticis*, V, 7; ibi: « Dubius in fide, infidelis est ».
(2) S. THOM., 2, 2, q. 39, a. 1.

aliud teneat, quia schisma in facto consistit (1). Huc proinde spectant illi « *Liberales catholici* », qui systema sic dicti « *Liberalismi puri* » a Leone XIII in Encycl. « *Libertas* » anno 1888 damnati, adoptant, scil. illud systema politico-religiosum, *quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur.* Qui hanc doctrinam Liberalismi *plene* amplectitur, vel eius suprema capita, est vere haereticus et poenis haereticorum obnoxius, nisi tamen ignorantia eum excuset (2).

Denique notetur quod si quis manifestet voluntatem seu propositum resiliendi ab unitate Ecclesiae, graviter peccat, sed excommunicationem non incurrit nisi postquam crimen schismatis consummaverit, idest postquam scissura seu separatio ab unitate Ecclesiae catholicae reapse perficitur facto (3).

Postquam vidimus, quinam sint apostatae a fide christiana, haeretici et schismatici, et adnotavimus quaenam requiruntur ad incurrendam excommunicationem latae sententiae qua isti omnes ex praescripto huius can. § 1, n. 1 plectuntur, nunc praestat ut videamus *quinam ab hac censura absolvere possint*

317. Uti patet *ex § 2 huius can. absolutio* ab hac excommunicatione *in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata;* ac proinde ab hac censura illi tantum absolvere possunt qui *specialem* a Sede Ap. absolvendi potestatem impetraverint, ad normam can. 2253, n. 3 (4).

Absolutio ab hac excomm. est sp. m. Sedi Apost. reservata.

Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci, quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, tunc idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, potest sua auctoritate ordinaria, ideoque delegabili (5), resipiscentem in foro externo absolvere,

(1) SUAR., 21, 2, 12; LUGO, *De Fide*, XXV, n. 38; SCHMALZGR., V, 8, 9.

(2) HILARIUS A SEXTEN, l. c., pag. 118; CAPPELLO, l. c., n. 63, not. 5.

(3) Card. LEGA, op. cit., vol. 3, (ed. 1a) n. 434.

(4) Qui *pagellam* S. Poenitentiariae obtinuerint, possunt absolvere (n. 3) etiam a censura incursa propter haeresim, et quidem sive occultos sive etiam publicos haereticos, dummodo ne sint dogmatizantes (S. Poenit. 26 mart. 1894), dummodo scil. notorium non sit eosdem « falsa dogmata spargere », etsi non publice, privatim tamen, « modo uno, modo altero audiente, modo aliis paucis et sic deinceps ». S. Poenit. 3 mart. 1888. Ita CAPPELLO, l. c., n. 67, not. 1.

(5) D'ANNIB., l. c., § 73 et § 316; SALMAT, 10, 2, 54.

praevia abiuratione iuridice peracta; idest coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus, servatisque de iure servandis. Data autem absolutione a censura excommunicationis, reservatio peccati ad normam can. 2246, § 3, *penitus* cessat, ideoque reus potest a peccato absolvi in foro conscientiae a quolibet confessario.

Poenae post monitionem infligendae.

318. Praeterea edicitur sub n. 2 eiusdem § 1 quod *praedicti apostatae, haeretici aut schismatici, postquam incassum moniti fuerint, privari debent « beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant », infames declarandi sunt, et clerici, iterata monitione, debent deponi.* Agitur, uti quisque videt, de poenis ferendae sententiae, in quibus infligendis Ordinarii prae oculis habere debent praescripta can. 1576, § 1, n. 2; 2237 et 2288.

Graviores poenae, si sectae acathol. nomen dederint vel adhaeserint.

319. Poenis sub n. 1 et 2 § 1 recensitis punitur *solum* crimen apostasiae, vel haeresis aut schismatis; idest praedictis poenis obnoxii sunt apostatae, haeretici aut schismatici, etsi nulli sectae acatholicae nomen dederint; vel publice adhaeserint; si vero hoc fecerint, ex n. 3 eiusdem § 1 gravioribus poenis multantur. Edicitur enim sub cit. n. 3: « Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, *ipso facto infames sunt et,* firmo praescripto can. 188, n. 4, *clerici,* monitione incassum praemissa, *degradentur* ». Dicitur — firmo praescripto can. 188, n. 4; idest (ibi) « ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus ...4° a fide catholica publice defecerit ».

Suspecti de haeresi quomodo puniuntur.

CAN. 2315. — Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.

CAN. 2316. — Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est.

320. Postquam in can. 2314 dictum est de apostatis, haereticis aut schismaticis, nunc in can. 2315 fit sermo *de illis* **qui suspecti sunt de haeresi.** Iamvero illi suspecti sunt de haeresi qui ita se gerunt seu tales actus ponunt qui suspicionem hae-

resis inducunt. Haud immorabimur in explanandis huiusmodi actibus, cum ipsemet Legislator, ad omnes auferendas dubietates, expresse dixerit *quinam uti suspecti de haeresi haberi debeant.* Hinc, aliis canonibus praetermissis, legitur in can. 2316: « *Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est* ». Iamvero hi omnes aliique, uti videre est in can. 2319, § 2, 2320, 2332, 2340, § 1 et 2373, sive haeresis propagationem quoquo modo iuvent, sive in divinis cum haereticis communicent, sive aliquid aliud agant, ex quo haeresis suspicio ex ipsa iuris dispositione argui seu coniici possit, merito *censentur suspecti de haeresi, quia adhaerere praesumuntur erroribus haereticorum et consentire ipsorum ritibus,* cum gravissimo scandalo fidelium, qui exinde minus abhorrent ab haeresi et in pestiferum indifferentismum inducuntur.

Censentur suspecti de haeresi:

321. Dicitur in can. 2316: « *qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat* ». Idest dummodo haereticis auxilio sit ut suos errores facilius diffundere valeant, et quidem *sive verbis,* ex. gr. haereticos commendet vel instruat, ut errores facilius diffundere possint; *sive factis,* idest si pecunias, alimenta, locum praebeat, aut alio quovis modo concurrat, ad haeresim facilius propagandam.

a) haeresis propagationem iuvantes.

322. Additur: « *aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258* ». Apprime distinguenda est communicatio in profanis a communicatione in divinis; haec enim, non illa interdicitur, et quidem illa communicatio in divinis prohibetur, quae fit contra praescriptum can. 1258. Ad normam huius can. *sedulo distingui debet assistentia activa ab assistentia passiva seu mere materiali.* **Illa nunquam admitti potest,** *quippe vetita iure naturali et divino.* Hinc nullatenus licet communicare *in ipsis ritibus* haereticis, ex. gr. benedictionem nuptialem suscipere a ministro sectae haereticae, patrinum se praebere in baptismo ritu haereticali collato. Haec enim sunt totidem signa apostasiae a fide catholica, aut saltem sacrilegae simulationis quae virtutem fidei impetit.

b) in divinis cum haereticis communicantes.

Nec etiam licet catholicis concedere ut in eorum Ecclesiis Missam, aliosve ritus damnatos haeretici celebrent; id enim perinde est ac consentire haereticis ritibus et praebere fidelibus

occasionem scandali. Nec tandem debent catholici interesse ritibus haereticis eo modo quo videantur cum iis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in veneratione erga ministros haereseos.

Assistentia vero passiva seu mere materialis quandoque tolerari potest. Hinc suspectus de haeresi non est, qui praesentiam passivam seu mere materialem ob gravem rationem praebeat, civilis officii vel honoris causa erga defunctos quorum funera aguntur, nec se ullo modo immisceat orationibus et ritibus haereticis; dummodo perversionis et scandali periculum absit. Hinc edicitur in cit. can. 1258: « § 1. Haud licitum est fidelibus active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum. § 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit ».

Poenae post monitiones infligendae.

323. Iamvero omnes suspecti de haeresi, ex praescripto can. 2315, moneri debent ut causam suspicionis removeant; et si intra congruum tempus a Superiore statutum, monitionibus non obtemperent, idest causam suspicionis non removeant, actibus legitimis prohiberi debent, et si agatur de clericis, repetita inutiliter monitione, suspendendi sunt a divinis.

Si denique intra sex menses a contracta poena completos, supputandos nempe a die qua laicus actibus legitimis prohibitus fuit, clericus vero a divinis suspensus, suspectus de haeresi sese non emendaverit, idest causam suspicionis non removerit, haberi debet tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.

Docentes vel defendentes doctrinam ab Ecclesia damnatam.

CAN. 2317. — Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit.

324. Dicitur — *docentes vel defendentes.* — *Docere* est: *nescientibus tradere; defendere est: suscipere patrocinium doctrinae damnatae,* quam quis damnatione indignam probare co-

natur. Nec excusatur quis, quod eam doceat verbo tenus, nam docet, defendit (1).

Additur — *pertinaciter* —; idest requiritur ut quis *sciens volens* doctrinam damnatam doceat vel defendat; requiritur nempe ut apprime cognoscat, doctrinam fuisse damnatam a Sede Apostolica vel a Concilio Generali. *Hinc moneri debet a Superiore ne amplius doceat vel defendat praedictam doctrinam* utpote ab Ecclesia damnatam; *et nonnisi post monitionem inutiliter factam,* uti pertinaciter docens vel defendens arcendus est « a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit ».

Nonnisi post monitionem puniri debent.

Postremo dicitur — *doctrinam quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit* —; huc igitur non pertinet doctrina, quae a SS. RR. Congregationibus v. gr. a S. C. S. Officii damnata est, nisi praedictae Congregationes nomine et auctoritate Rom. Pontificis doctrinam damnaverint. Etenim hoc in casu SS. Congregationes essent medium et organum quo Romani Pontifices voluntatem suam manifestarent (2).

325. Uti quisque videt, poena ferendae sententiae quae in hoc canone constituitur, gravissima est. Et merito quidem, nam poena debet esse crimini proportionata. Iamvero crimen, de quo in canone, secumfert gravissimam iniuriam Ecclesiae docenti, id defendendo quod ipsa condemnat, necnon gravissimum scandalum, subducendo ex animis fidelium reverentiam debitam Apostolicis decretis in catholicae fidei detrimentum.

Magna cum circumspectione procedendum est.

Sed *quo gravior est poena, maior quoque cautela ac prudentia requiritur* ex parte Superioris, qui proinde poenam de qua in canone infligere non debet, nisi certo constiterit de existentia ipsius criminis. Si enim ex praescripto can. 2309, § 3, uti iam vidimus « correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum » quanto magis debet constare de existentia criminis in casu, quo non agitur de solo

(1) D'Annibale, l. c. n. 105.

(2) Pennacchi, *Commentaria in Const. Apost. Sedis* (Romae ex typ. polygl. an. 1883) pag. 461; D'Annibale, l. c.

remedio poenali, idest de mera correptione, sed de vera poena, et quidem gravissima infligenda? *Sobrie igitur et magna cum circumspectione haec poena infligenda est.*

Libros prohibitos edentes, defendentes, legentes, retinentes.

CAN. 2318. — § 1. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.

§ 2. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (1).

326. Antequam declaremus hunc canonem, in quo agitur de pravorum librorum prohibitione, opportunum ducimus, cum agatur de re maximi momenti, nonnulla paullo fusius adnotare.

Liber potest prohiberi iure vel naturali vel positivo vel utroque.

Liber potest esse prohibitus tum iure naturae, tum iure positivo; aut aliquando iure naturali tantum, vel tantum iure positivo. Prohibitio ex iure naturali innititur periculo quod quisque persentit in legendo libro: prohibitio ex iure positivo innititur in praesumptione periculi. Hinc prohibitio ex iure naturali eatenus urget, quatenus adest periculum in singulo legente; prohibitio ex iure positivo aeque obligat, etsi quoad singulos fideles periculum non adsit; etenim lex positiva non cessat, quamvis eius praesumptio seu finis cesset quoad singulos fideles. Legitur enim in can. 21: « Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit » (2).

Ecclesia iugiter adlaboravit, ne pravi libri divulgarentur.

327. Ad ius positivum quod spectat, animadvertimus *Ecclesiam*, uti monumenta litterarum Apostolicarum testantur, *perpetuo ac summa diligentia adlaborasse, ne haereticorum scripta in publici boni perniciem divulgarentur.* Praesertim post inventam artem typographicam, aucta librorum pravorum colluvie, crevit pariter Ecclesiae cura ac diligentia quoad hanc rem, nedum in prava scripta animadvertens quae lucem adspexerant, sed etiam ne alia eiusdem generis ederentur, caveri coeptum est. Hinc S. Pontifex Paulus IV proposuit scriptorum elenchum,

(1) Haec censura desumpta est ex Const. « *Officiorum ac munerum* », num. 47.

(2) Card. LEGA, op. cit. vol. 3, ed. 1, n. 343; D'ANNIB., op. cit. III, 143.

a quibus esset abstinendum, et postea Concilium Trid. opus perfecit deputando nonnullos Patres ad perpoliendum indicem Paulinum, et scribendas regulas servandas in librorum impressione et usu, quae omnia postea probata fuerunt a Pio IV.

Verum salutis publicae ratio, quae regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem nedum Romani Pontifices Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV plura decreverunt, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt, sed de huiusmodi regulis emendandis solliciti quoque fuerunt et Pius IX et Patres Concilii Vaticani, quorum vota explens Leo XIII binas dedit Constitutiones, nempe « *Officiorum ac munerum* » d. 25 Ianuarii 1897, et « *Romani Pontifices* » d. 27 Sept. 1900; quarum prima mandavit diligentissime recognosci Indicem librorum prohibitorum, ac eum ita recognitum vulgari; dein abolitis omnibus regulis, observationibus, decretis, monitis hac de re Praedecessorum suorum iussu editis, una excepta Const. Benedicti XIV « *Sollicita et provida* » qua normae constitutae sunt ad revisionem librorum peragendam in S. C. S. Officii, *decreta generalia tulit* de prohibitione et censura librorum. Altera Constitutione idem S. Pontifex Indicem emendatum proposuit et vulgavit, eumque ab omnibus ubique locorum integre et inviolabiliter esse servandum edixit.

Diximus — *decreta generalia* tulit — idest novas regulas quibus S. Congregatio S. Officii libris notandis posthac uti deberet, quibusque catholici homines toto orbe religiose parerent. Quod ut rite intelligatur, « scitu necessarium est in Indice recenseri libros, cuius lectio reprobatur; sed quia non omnes libri reprobandi expressa reprobatione plecti valent, hinc conditae sunt *Generales Regulae quae docent fideles a quibus libris legendis abstinere ipsi debeant,* quamvis hi libri expresse reprobati non fuerint » (1).

Sequitur proinde ex dictis quod *tum decreta generalia tum Index eo tendunt, ut fideles doceant a quibus libris legendis retinendisve sit cavendum.* Sed diversimode huic fini inserviunt decreta generalia et Index; nam decretis sola librorum pravo-

(1) Card. Lega, l. c. n. 337.

rum genera et classes, Indice vero singuli libri, expresso cuiusque titulo imo et auctoris nomine, proscribuntur. Quapropter *ut libri alicuius lectio licita dici possit, duo constare debent: ipsum neque fuisse illatum in Indicem, neque contineri aliqua ex iis classibus, quae per decreta generalia universim improbantur* (1).

Denique notetur quod « prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit »; can. 1398, § 1.

328. Hisce omnibus praenotatis, nunc declarandum assumimus can. 2318 quo *censura excommunicationis ipso facto* incurrenda *Sedi Apostolicae speciali modo reservata* decernitur *contra* **editores** librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, necnon contra **defendentes,** aut *scienter* sine debita licentia **legentes vel retinentes** eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos.

Excommunicatio, de qua in hoc can., **infligitur primo contra editores.**

Editores. 1°. Iamvero **editores** *illi dicuntur quorum cura editur liber.* Huc igitur non spectant typographi, qui iure antiquo hac censura plectebantur (2). Neque auctor hanc incurrit excommunicationem, si tantummodo librum exaravit, sed nullimode se implicat negotio editionis. Et ratio est, quia actio criminosa unde damnum immediate promanat in societatem, non est ipsa libri compositio, *sed libri in vulgum editio* (3). Diximus — sed nullimode se implicat negotio editionis. — Hinc si auctor curet libri editionem, hanc etiam incurrit excommunicationem. V. canonem 2244.

Libri prohibiti sunt qui: *a*) typis eduntur et aliquo volumine constant: 2°. Dicitur « *editores* **librorum** ». Liber proprie est volumen plurium foliorum simul collectorum. « *Librorum appellatione hodie vulgo hi tantum continentur qui typis eduntur, et aliquo volumine constant* » (4). Hinc librorum significatione haud veniunt manuscripta, neque veniunt scripta typis quidem edita,

(1) LOMBARDI, *Iuris Can. Priv. Institutiones* (ed. 2ª, an. 1901) vol. 2, pag. 44.

(2) LEO XIII, *Const.* « *Officiorum ac munerum* » d. 25 Ian. 1897, num. 47.

(3) Card. LEGA, l. c. n. 341, not. 1; PENNACCHI, l. c. pag. 44.

(4) D'ANNIBALE, l. c. n. 39.

sed molis adeo exiguae, ut magis quo alio nomine, velut *elegiae, epistolae, orationis,* quam librorum, nuncupari soleant (1). Huc igitur non spectant diaria seu ephemerides, etsi apostasiam, haeresim aut schisma propugnent, quia, uti edixit S. C. S. Off. sub die 21 Apr. 1880, non veniunt nomine libri (2). Accensentur vero libris « publicationes periodicae in fasciculos ligatae », uti probatur ex responso eiusdem S. C. S. Off. ed. sub die 13 Ianuarii 1892. Item quae hodie *lithographice, photographice* vel alio modo edi solent pro usu discipulorum vel in alium limitatum usum, non intelliguntur edi seu vulgari prout expostulat liber; hinc non veniunt nomine librorum, quia in communi usu folia hoc modo descripta, libri non appellantur (3).

3°. Dicitur « *librorum*[b] *apostatarum* etc. **qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant** ». Agitur proinde de illis libris qui adductis rationibus sive positivis sive negativis apostasiam, haeresim, schisma propugnant ac tuentur, data opera et quasi pro viribus. Non huc igitur spectant libri qui continent quidem, sed non propugnant apostasiam, haeresim aut schisma (4).

b) et ab apostatis conscripti sunt; *c*) et apostasiam, haeresim, schisma propugnant.

4°. Dicitur « *opere publici iuris facto* »; idest crimine consummato, ad normam can. 2242, § 1. Iamvero delictum in casu censetur consummatum, quando liber iam typis impressus venditur indiscriminatim (5).

5°. Dicitur « *itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras* ». *Litterae apostolicae sunt illae, quae nomine Romani*

Itemque libros per apost. litt. nominatim prohibitos:

(1) D'ANNIBALE, l. c. et not. 29; GENNARI, *Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri,* p. 25, ed. III.

(2) Ephemerides lege naturali iam cuidam personae perniciosae ideoque prohibitae esse possunt, easque positiva lege Ordinarius vetare potest. SANTI, lib. V, tit. 7, n. 3. Quoad periculum, quo sese committunt legentes pravas ephemerides, duo meminisse oportet; pravos libros nunquam non infecisse viros, doctos etiam, et pios (V. S. ALPH., Lib. I, App. III, *De prohib. Libror.*), et neminem suae virtuti confidere posse. Itaque dixerim, iuvenes ab hac lectione omnino prohibendos esse; item aetate provectos, quibus non est circa pectus virtutis robur et aes triplex, quique non pollent scientia Sanctorum. V. D'ANNIB. l. c. n. 39 not. 30.

(3) Card. LEGA, l. c. n. 344, not. 2; LOMBARDI, l. c. pag. 28 et sq.

(4) D'ANNIBALE, l. c. n. 40; GENNARI, l. c. p. 29; CERATO, l. c. n. 92; CAPPELLO, l. c. n. 76.

(5) CAPPELLO, l. c. n. 75; CERATO, l. c. n. 92.

Pontificis immediate prodeunt in simplici vel sollemni forma concinnatae; dummodo in ipsis legatur, *Auctoritate Apostolica*, vel quid aequivalens (1). Scribit Card. Lega l. c. n. 418: « Libros... per apostolicas litteras nominatim prohibitos illos intelligimus qui non per rescriptum alicuius S. Congr. damnati sunt, sed per litteras quae aut in forma Bullae aut Brevis aut Encyclicae ab ipso Papa editae sunt » (2).

6°. « *Nominatim prohibitos* ». Libri censentur *nominatim prohibiti*, si in litteris apostolicis exprimatur in particulari titulus libri. Hinc non continentur hac censura libri omnes qui per litteras apostolicas tantum generali modo prohibentur (3).

a) defendentes

7°. « *Defendentes* ». Nomine defendentium veniunt illi qui librum occultant ne deferatur ad iudicem vel ne comburatur; item qui conantur suadere, librum bonum esse atque ideo non prohibitione dignum, vel etiam qui doctrinam pravam in eo contentam tuentur, etc. At si stylus tantummodo aut eloquentia vel quid simile commendetur, dummodo id non arguat laudem et approbationem libri, censura non incurritur (4).

b) legentes

8°. « *Legentes* ». Nomine lectionis hic intelligitur lectio proprio sensu et humano modo, ita ut quis intelligat ea quae legit. Praeterea intelligitur lectio stricte talis, ideoque prohibetur quidem legere, sed non prohibetur audire legentem, qui forte facultatem habet; neque partem libri memoriter recitare, quia haec nomine lectionis proprie non comprehenduntur (5). Tandem intelligitur lectio quantitate notabili et sufficienti ad mortale peccatum. Doctores discrepant in determinatione huius quantitatis. D'Annibale scribit: « Sed heic datur parvitas materiae; quae intelligitur si non legeris ultra paginam; nisi forte in ea pagina doctrina proscripta contineatur » (6). Et Bucceroni l. c. n. 13 docet: « Rectius autem distinguendum videtur, quia, si prohi-

(1) GENNARI, l. c. pag. 98.

(2) BUCCERONI, op. cit., n. 13; D'ANNIB., op. cit., p. III, § 143, not. 25.

(3) GENNARI, l. c. pag. 98; D'ANNIB., l. c. n. 40; BUCCERONI, l. c. n. 13; CAPPELLO, l. c. n. 77.

(4) D'ANNIB., l. c. n. 40; SANTI, lib. V, tit. 7, n. 34; CAPPELLO, l. c. n. 77.

(5) BUCCERONI, l. c. n. 13; D'ANNIB., l. c. n. 35.

(6) D'ANNIB., op. cit. P. III, n. 142, not. 14 et l. c. n. 36.

bitum librum legendo, statim incurras in haeresim, poteris vel paucas lineas legendo excommunicationem incurrere, quia magnum adest perversionis periculum, quod removere intendit Ecclesiae prohibitio. Si vero materiam incurras omnino indifferentem, nulloque errore infectam, vel paginam integram legendo, a mortali, adeoque ab excommunicatione excusaris ».

c) retinentes:

9°. « *Retinentes* »; idest qui in propria vel aliena domo etiam alieno nomine retinent vel custodiunt, etiam animo non legendi, prohibitos libros, sive suos sive alienos. Nec excusantur eo quod legere nesciant, vel quod caveant ne ad alios perveniant. Nec licet eos alienare, commodare, nisi illis, quibus licentia est legendi. Itaque tradendus est Superiori seu Ordinario, vel saltem ei, cui licet illum retinere; sed huic ea lege, ne repetat quoad legendi licentiam obtinuerit. Verum datur et hic parvitas materiae; hinc excommunicationem non incurris, si distuleris biduum aut triduum; imo et diutius, expectans tradendi opportunitatem aut veniam legendi (1).

a) sine licentia

10°. Dicitur « *sine debita licentia* ». Quapropter censura non tangit eos qui veniam obtinuerunt legendi huiusmodi libros. Facultas legendi libros prohibitos conceditur a S. C. S. Officii (can. 247, § 4). Sed haec licentia legendi libros a S. Sede prohibitos, non comprehendit facultatem legendi libros vel ephemerides ab Ordinario prohibitas. Legitur enim in can. 1403, § 1: « Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet a suis Ordinariis proscriptos (2), nisi in apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros *a quibuslibet* damnatos ». Notetur quod « Ordinarii licentiam, ad libros quod attinet ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, concedere suis subditis valent *pro singulis tantum libris* atque in casibus dumtaxat urgentioribus »; can. 1402, § 1. « Quod si generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac

(1) S. ALPH., VII, 295; D'ANNIB., l. c. n. 37 et P. III, § 142; BUCCERONI, l. c. n. 13; CAPPELLO, l. c. n. 79.

(2) Ad Episcopi munus pertinet fidem et mores tueri et a noxiis pascuis oves arcere sibi commissas: ideo officii eorum est pravorum librorum lectionem prohibere. S. C. Indic. De Mand. Sanctissimi, 24 Aug. 1864.

legant, eam nonnisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant »; can. 1402, § 2. Denique notetur quod obtinentes facultatem legendi libros prohibitos « gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant »; can. 1403, § 2.

b) scienter.

11°. Denique dicitur « *scienter* ». Haec clausula afficit tum legentes tum retinentes, qui proinde hanc censuram effugiunt ob ignorantiam sive prohibitionis, sive censurae; et ad normam can. 2229, excusantur etiam ob ignorantiam crassam et supinam, minime vero affectatam (1).

Tandem animadvertendum est quod ex praescripto can. 1401 : « S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur ».

Auctores et editores librorum S. Scripturae.

329. In § 2 huius can. plectuntur excommunicatione latae sententiae nemini reservata *auctores et editores* qui sine debita licentia, sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios *imprimi curant*. Haec censura desumpta est a Const. « Officiorum ac munerum », n. 48, et extensa fuit ad auctores (2).

Sacrarum Scripturarum libri illi sunt quos enumerat Concilium Trid. in decreto de canonicis scripturis sess. 4 ; et nihil interest,

(1) D'ANNIB. l. c. n. 40; SANTI, l. c. n. 29; CERATO, l. c. n. 92; CAPPELLO, l. c. n. 77.

(2) *Leo XIII*, const. « *Officiorum ac munerum* », 25 Ian. 1897, n. 48: ibi: « Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam ». Constitutio « Apostolicae sedis » (ed. a S. P. Pio IX die 12 Oct. 1869) ex qua haec censura desumpta fuerat, obiectum latius indicaverat, scil. libros *de rebus sacris* tractantes. Legitur enim in laudata Constitutione, § 4, n. 4: « excepta anathematis poena in decreto Sess. IV, de *Editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros *de rebus sacris* tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt ». S. C. S. Off. die 22 Dec. 1880 sensum verborum *de rebus sacris* ita explicavit: « *Censuram nemini reservatam inflictam eis qui libros de rebus sacris tractantes* sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros Sacrarum Scripturarum nec non ad earumdem adnotationes et commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus tractantes ».

utrum textu originali an versione imprimantur, item utrum adnotationes vel commentarii una cum libris ss. Scripturarum vel seiunctim ab ipsis imprimantur. In hac § 2 deest verbum « scienter »; hinc ignorantia crassa et supina non excusat.

CAN. 2319. — § 1. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici:

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1;

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

§ 2. Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi.

Delinquentes: *a*) in celebrationem matrimonii; *b*) in baptismum et educationem prolis.

330. In hoc canone infligitur *excommunicatio latae sententiae Ordinario reservata in catholicos* celebrantes matrimonium coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1, vel delinquentes circa baptismum et educationem seu institutionem prolis.

Celebrantes matrimonium:

Dicitur « *catholici* »; huc igitur non spectant acatholici baptizati, vel haereticae aut schismaticae sectae adscripti.

Additur « *qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1* ». In hoc canone statuitur: « Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, *coniuges nequeunt*, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, *adire quoque*, sive per se sive per procuratorem, *ministrum acatholicum* **uti sacris addictum,** *ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum* ». Nequeunt igitur catholici adire ministrum acatholicum « *uti sacris addictum* », quia censentur adhaerere sectae acatholicae et in divinis cum ipsis communicare. Hinc legitur in litt. datis a S. C. S. Off. ad Episcopum Osnabrugen. d. 17 Febr. 1864: « Quotiescumque minister haereticus censeatur *velut sacris addictus*, et quasi parochi munere fungens, *non licet catholicae parti* una cum haeretica *matrimonialem consensum coram tali ministello praestare*, eo quia adhiberetur ad quandam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociaret; *unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio,*

a) contra can. 1063, § 1.

ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio ».

Sed quibusdam in locis minister haereticus fungitur munere *officialis civilis*, coram quo se sistere solent coniuges, aut etiam debent, ut habeantur civiliter honesti coniuges, prolesque censeatur legitima. Tunc vero urgentibus haereticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum (1). Hinc edicitur in praedicto can. 1063 § 3: « Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia ».

b) cum pacto ut proles educetur extra cath. eccl.

331. Edicitur sub n. 2.° « *Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam* ». Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi: 1°. Urgeant iustae et graves causae, 2°. Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, *et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda.* 3°. Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento can. 1061.

Exinde patet quam caute procedat pia mater Ecclesia in permittendis matrimoniis catholicorum cum haereticis ad impediendum quominus filii qui nascuntur ex his matrimoniis educentur in haeresi. Graviter proinde delinquit ille coniux qui omnes Ecclesiae cautelas sapienter constitutas, inutiles reddere conatur, contrahens matrimonium cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam.

Notetur quod censura excommunicationis incurritur, non pactum faciendo, sed matrimonium valide cum iniquo pacto celebrando (2). Pactum vero, quod est duorum vel plurium in idem placitum consensus (3), sive explicitum sive implicitum,

(1) S. C. S. Off., litt. (ad Ep. Osnabrugen.) 17 febr. 1864.
(2) CAPPELLO, l. c. n. 126; CERATO, l. c. n. 69.
(3) L. 1. ff. *De pactis.*

quacumque forma et ratione expressum, *serio* fieri debet, idest cum animo sese obligandi; ac praeterea praecedere debet vel saltem concomitari matrimonii celebrationem. Consequenter nulla incurritur censura, si pactum iam initum, ante matrimonii celebrationem revocetur; vel si, matrimonio iam contracto, postea iniqua pactio adiiciatur (1).

332. Sub nn. 3° et 4° hac censura excommunicationis latae sententiae innodantur:

Offerentes liberos suos baptizandos ministris acathol.

« Qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre *praesumunt*. Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradunt ».

1°. Dicitur « *Qui scienter... praesumunt* »; ergo excusat a censura *ignorantia sive facti*, ex gr. si nesciant, ministros esse acatholicos; *sive iuris*, idest si ignorent Ecclesiae prohibitionem; *sive etiam censurae;* et excusat etiam ignorantia crassa vel supina, minime vero affectata; can. 2229, §§ 1-2. Et hoc pariter dicendum est de illis qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos tradunt; qui proinde hanc censuram effugerent, si nescirent agi de educatione vel institutione acatholica, vel etiam si metu gravi coacti id facerent (2).

2.° Dicitur « *liberos suos* »; hinc excommunicationem contrahunt parentes catholici omnes, sive *legitimi*, sive *naturales*. *Suos, non alienos;* igitur hanc censuram non incurrerent affines vel consanguinei parentum, qui horum filios offerrent baptizandos ministris acatholicis. « *Baptizandos offerre praesumunt* »; quare, in casu necessitatis, nempe si urgeat periculum mortis, vel si,

(1) Cappello, l. c.; Cerato, l. c.

(2) Cl. Pighi, *Censurae sententiae latae, ed. alt.* Veronae, 1917, pag. 29 scribit: « At non excusantur qui id faciant compulsi metu quantumvis gravi; agitur enim de damno liberorum gravissimo et saepe irreparabili: hinc non requiritur quod tradere praesumant ». Haec sententia non potest admitti; nam dispositio can. 2229, § 2 clara et perspicua est. Edicitur enim l. c.: « Si lex habeat verba: praesumpserit, ausus fuerit, **scienter** aliave similia quae **plenam** *cognitionem* ac **deliberationem** *exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio* sive ex parte intellectus **sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae** ». Iamvero sub n. 4°. legitur: « Parentes... qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos **scienter tradunt** ». Ergo.

praesertim in regione haereticorum, parentes id faciant compulsi metu gravi, excommunicationi non fit locus.

Tradentes liberos in relig. acathol. educandos.

3°. Dicitur sub n. 4.°: « Parentes vel parentum locum tenentes ». *Parentes* sive legitimi sive naturales. *Parentum locum tenentes*: idest nedum tutores aut curatores, aliive quibus ex lege ius et officium est consulendi educationi ac institutioni prolis; sed et qui parentum vices gerunt de facto, ex gr. patrui, fratres maiores, qui reapse locum parentum tenent (1).

Ii de quibus in § 1. nn. 2-4. sunt suspecti de haeresi.

333. Tandem animadvertitur in § 2 huius canonis: « *Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi* ». Et merito quidem; uti enim patet ex dictis, hi omnes adhaerere censentur sectae acatholicae; et praesertim illi qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt, etiam ritibus haereticorum adhaerere praesumuntur. Hinc iure meritoque habentur uti suspecti de haeresi, ideoque ad normam can. 2315 puniendi sunt.

Connexio materiae.

334. Post delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae commissa, nunc in titulo XII disserendum est *de delictis contra religionem*, quae, uti optime scribit cl. Wernz l. c. n. 303: « ad duplicem speciem reduci possunt, scil. ad irreligiositatem sensu stricto, qua Deo ipsi per defectum aut per excessum irreverentia exhibetur sive cultus ipsius Dei incongrue tractatur et ad *sacrilegium*, quo res Deo eiusque cultui *sacratae* absque debita reverentia tractantur ».

TITULUS XII.

De delictis contra religionem.

Profanantes species consecratas.

CAN. 2320. — Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus.

335. Inter delicta contra religionem imprimis recenseri debet, ob summum contemptum Deo ipsi irrogatum, infandum crimen illorum qui delinquunt contra Sacramentum SS. Corporis

(1) PIGHI, l. c. n. 65; CAPPELLO, l. c. n. 128.

et Sanguinis Domini N. I. Christi, species consecratas abiicientes vel ad malum finem abducentes aut retinentes.

1°. Dicitur « *species consecratas* »; idest species sive panis sive vini, quocumque ritu valide consecratas.

2°. Dicitur « *abiecerit* ». Iamvero ille abiicit aliquam rem, qui ipsam spernens, in locum abiectum seu vilem proiicit. Abiectio igitur, uti ipsum verbum dicit, secumfert gravissimam irreverentiam in species consecratas. Ille igitur dicendus est species consecratas abiicere, qui easdem a tabernaculo auferens, per terram aut in viam proiiciat, sive ex impietate sive ex incredulitate hoc faciat. Hinc censuram huius canonis non incurreret ille fur qui, pyxidem surripiens, particulas in tabernaculo reconderet, aut super mensam simul poneret; sed utique ille qui particulas super gradus altaris aut per viam proiiceret ac disperderet (1).

3°. Additur « *vel ad malum finem abduxerit* ». Ille abducit ad malum finem species consecratas, qui easdem aufert a loco in quo legitime repositae sunt, et alio portat cum intentione aut saltem cognitione mali usus. Unde in hanc excommunicationem incurrit ille qui, sumpta sacra communione, particulam ex ore in linteo vel marsupio recondit, ac ad alium locum defert, ad malum finem, ut puta si aliis tradat qui ea abutuntur ex. gr. ad maleficia, sortilegia, divinationes aliasque id genus superstitiones exercendas (2). Parum refert an id faciat gratis vel recepto pretio; sponte vel gravi metu sibi incusso; semper contrahit hanc censuram.

4°. Dicitur « *aut retinuerit* »; idest etsi quis species consecratas non ipse abduxerit, sed abductas ab alio sibique traditas, ipse retineat, utique ad malum finem, sive a se sive ab aliis intentum.

Heic scribit cl. Cerato l. c.: « Si una eademque est persona *abducens* et *retinens*, haec duplici de causa obnoxia est censurae, hoc est duas contrahit excommunicationes ». Sed nostro iudicio, si una eademque est persona abducens et retinens, unam tantummodo contrahit excommunicationem. Etenim in ca-

(1) Pighi, l. c. n. 2; Cerato, l. c. n. 103; Cappello, l. c. n. 61.
(2) Cappello, l. c.; Cerato, l. c.; Pighi, l. c.

none censura infligitur, non contra illum qui species consecratas tantummodo abduxerit aut retinuerit, sed contra illum qui « *ad malum finem* abduxerit aut retinuerit ». Sed quomodo species consecratas abducens poterit ipsis abuti, quin ipsas retineat?

5°. Denique dicitur « *est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae* » etc. Ille nempe qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, nedum est suspectus de haeresi (V. can. 2315), sed incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam (V. can. 2253), ac praeterea est ipso facto infamis (V. can. 2293, 2294, 2295); et si sit clericus ille qui hisce crimnibus se maculaverit, est etiam deponendus (V. can. 2303). Haec omnia facile intelliguntur ex iis quae diximus supra, citatos canones declarantes.

Missam celebrantes non ieiuni vel eam iterantes eodem die.

CAN. 2321. — Sacerdotes qui contra praescripta can. 806, § 1, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum.

336. Ad normam canonis 806 Sacerdotes regulariter nonnisi unam in die possunt Missam celebrare, eamque, ex can. 808, ieiunio naturali a media nocte servato celebrare debent (1). Merito proinde puniendi sunt « sacerdotes qui contra praescripta can. 806, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni »; can. 2321.

1°. Dicitur « *praesumpserint* »; idest quis suspendi debet a Missae celebratione, si sciens volens violaverit praescripta can. 806 et 808. Etenim praesumere est audere, attentare aliquid contra ius, et dolum ac scientiam denotat. S. Alph. VII, 47. « In summa, (ita D'Annibale) ad incurrendam poenam latam in *praesumentes* facere, vel *temere* facientes, opus est, ut quis delinquat sciens prudens » (2).

2°. Dicitur « *suspendatur a Missae celebratione ad tempus* »

(1) Quaesitum fuit a S. C. S. Off. « Se per ragione di scandalo o di ammirazione si possa giammai celebrare la seconda Messa dopo la prima, quando già è stato infranto il digiuno ». Et sub die 2 Dec. 1874 prodiit responsum « *Negative* »; S. C. C., *Placentina*, 11 Ian. 1710.

(2) D'ANNIBALE, l. c. § 312, not. 71.

etc. Agitur proinde de poena ferendae sententiae, quae nempe «a iudice vel Superiore infligi debet», can. 2217, § 1, n. 2; concepta *verbis praeceptivis*, ideoque ordinarie infligenda, can. 2223, § 3, quoties constiterit de violatione legis. Tempus suspensionis remittitur definiendum iudicio Ordinarii qui, attentis circumstantiis aggravantibus aut minuentibus moralem imputabilitatem, poenam de qua in canone aggravare vel extenuare debet, ut sit proportionata qualitati et quantitati delicti; can. 2196.

CAN. 2322. — Ad ordinem sacerdotalem non promotus;

1° Si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper laicus quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur;

2° Si alia munia sacerdotalia usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur.

Non presbyteri simulantes celebrationem Missae vel confessionem sacram. excipientes.

337. Agitur in hoc canone de illis qui, ad ordinem sacerdotalem non promoti, Missae celebrationem simulant aut confessionem sacramentatem excipiunt.

Poenae iure antiquo statutae.

Iure decretalium *usurpatio ordinis non suscepti* puniebatur excommunicatione ferendae sententiae, poena suspensionis ad biennium vel triennium ab exercitio ordinis proxime seu ultimo suscepti, et irregularitate partiali, quia reus non poterat ad ordines superiores promoveri. Probatur ex cc. 1 et 2, X, *de clerico non ordinato ministrante*, V, 28; in quorum primo legitur: «Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur». Illud *abiiciatur de Ecclesia*, uti docet Card. Gasparri cum communi DD., videtur indicare excommunicationem ferendae sententiae; illud *nunquam ordinetur*, manifeste indicat irregularitatem (1).

In capite vero 2 de diacono qui, nondum auctus sacerdotio, Missarum celebrationem usurpare praesumpserat, edicitur: «ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: a diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspen-

(1) Card. Gasparri, op. cit. n. 333; Suar., *De censuris*, disp. 42, sect. 4, n. 2.

sus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo: ne sustentatione privatus, ad saeculi negotia revertatur ».

Has poenas postea confirmarunt et alias novas addiderunt, post Gregorium XIII, const. « Officii nostri », 6 aug. 1574, Clemens VIII, const. « Et si alias », 1 dec. 1601, et Urbanus VIII, const. « Apostolatus officium » 23 mart. 1628, qui edixit, poenas a Clemente VIII statutas incurrere omnes praesumentes Missas celebrare, et sacramentales confessiones audire, dummodo vigesimum aetatis annum expleverint. Deinde S. Pontifex Benedictus XIV, const. « Sacerdos in aeternum », 20 apr. 1744, §§ 1, 2, 4, 6-8, easdem poenas innovavit, edicens ut clerici non presbyteri Missam celebrantes et sacramentales confessiones audientes, rite degradarentur ab ordinibus receptis et Curiae saeculari traderentur debite puniendi, quin ipsis suffragari possit privilegium aetatis minoris 25 annorum, dummodo tamen expleverint annum vigesimum. Anno vero 1757, die 2 aug. idem Pontifex ep. encycl. « Quam grave », §§ 1, 2, praedictarum constitutionum rigorem auxit, constituens: 1°. Extraiudiciales Episcopi litteras admitti ad probandum reum ordinem presbyteralem non recepisse. 2°. Sufficere, ut partem tantum Missae celebrare praesumpserint, dummodo elevationem hostiae et calicis peregerint. Quoad illos qui sacramentales confessiones exceperint, etsi absolutionem non impertiverint, nulla exceptione iuvari posse decrevit, sed poenam tantum mitigari aliquantulum, probato sufficienter facto absolutionis non impertitae. Tandem idem Pontifex const. « Divinarum », 2 aug. eiusdem anni 1757, edixit praedictis reis non amplius suffragari confessionem iudici factam de crimine patrato.

Poenae vigentes ex novo Codice.

338. Nunc in novo Codice iuris canonici « ad ordinem sacerdotalem non promoti, si Missae celebrationem simulaverint aut sacramentalem confessionem exceperint » can. 2322, nedum *sunt irregulares*, can. 985, n. 7°., sed praeterea ex praescripto cit. can. 2322, n. 1°. incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam, et, si sint clerici, deponendi sunt (can. 2303), si vero laici, privari debent pensione aut munere, si quod habeant in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae mulctandi sunt.

Quam merito huiusmodi poenae fuerint constitutae contra

illos, laicos vel clericos, non presbyteros, qui Missae celebrationem simulaverint aut sacramentalem confessionem exceperint, nemo est qui non videat. Ipsi enim gravissimum committunt sacrilegium, dum divinis Sacramentis illudunt, et fidelibus merum panem cum vino, loco veri Corporis et Sanguinis Christi adorandum proponunt, eosdemque fideles decipiunt, existimantes se obtinere remissionem peccatorum, quam tamen ob defectum ordinis sacerdotalis, et iurisdictionis obtinere nequeunt. Hisce omnibus adnotatis, facile intelliguntur ea quae in hoc canone constituta sunt.

339. 1°. Dicitur: « *Ad ordinem sacerdotalem non promotus* »; idest sive laici, sive clerici, dummodo ordinem presbyteralem nondum receperint. Hinc sanctionibus huius canonis haud obnoxius est Sacerdos qui, ad vitandam consecrationem sacrilegam, Missae celebrationem simularet (1).

2°. Dicitur: « *Si Missae celebrationem simulaverit* »; " Missam simulare censetur qui, nondum consecratus Sacerdos, ad altare ita paratum se sistit atque ita se gerit, ut adstantes putare debeant, illum celebrare Missam, etsi forte nullam Missam legerit, sed alia proferat verba, nec quidquam dixerit ex his, quae secreto dicenda sunt „ (2). Uti quisque videt, Legislator praecavere intendit, non solum turpem dolum sacrilegum, sed etiam materialem adstantium idololatriam. Consequenter haud dicitur Missae celebrationem simulare in sensu canonis ille qui irridendi gratia seu ex ioco, Missae celebrationem simulet. Iste enim neque specie tenus Missae celebrationem simulat, et adstantes non inducuntur in errorem quem impedire vult Legislator, cum cognoscant ipsum non esse sacerdotem ideoque Missam celebrare non posse.

3°. Additur: « *aut sacramentalem confessionem exceperit* ». Confessio dicitur sacramentalis, non ex parte pseudosacerdotis, sed ex parte poenitentis, qui sua peccata confitetur, ut obtineat sacramentalem absolutionem. Hinc si confessio scienter fiat ei qui non est sacerdos, vel fiat non cum intentione obtinendi absolutionem, sed tantum solatii aut consilii causa, confessio non est sacramentalis, ideoque talem excipiens confessionem poenis

(1) Cappello, l. c. n. 80; Cerato, l. c. n. 93; Pighi, l. c. n. 19.
(2) Ita Cerato, l. c. Vide etiam Cappello et Pighi, ll. cc.

huius canonis non subiicitur (1). Recte scribit cl. Cerato l. c.: « Et *sacramentalis* confessio est, quam poenitens intendit facere sacro ministro in ordine ad absolutionem. Unde *sacramentalis* remanet confessio etiam si revera non sacerdos, sed laicus audiat poenitentem, qui ab eo putatur sacerdos; nec requiritur ut laicus, audita confessione, absolutionem simulet ».

Tandem notetur quod si ad ordinem sacerdotalem non promotus alia munia sacerdotalia usurpaverit, poenis huius canonis non fit obnoxius, sed ab Ordinario pro gravitate culpae puniri debet; can. 2322, n. 2°.

Blasphemantes vel pejerantes.

CAN. 2323. — Qui blasphemaverit vel periurium extra iudicium commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus.

340. Uti blasphemia, ita et periurium ipso divino iure naturali et positivo condemnatur (2). Contra blasphemos S. Pontifex Gregorius IX in cap. 2, X, *de maledicis*, V, 26, statuerat: 1°. publicam poenitentiam per septem hebdomadas. 2°. Si noluissent hanc poenitentiam suscipere, interdicebantur ab ingressu Ecclesiae et privabantur ecclesiastica sepultura. 3°. Denique etiam mulcta pecuniaria puniebantur. Clerici vero qui se maculaverant gravissimo blasphemiae crimine, iuxta c. 10, C. 22, q. 1. deponebantur. Sed lapsu temporis huiusmodi poenae obsoleverunt, eisque successerunt severissimae poenae constitutae a Leone X (in Conc. Lateranen. V), const. « Supernae dispositionis », 5 maii 1514. Postea Iulius III, const. « Multis », 1 febr. 1544, temperavit poenas a Leone X statutas, easque denuo emollivit S. Pius V, const. « Cum primum », 1 apr. 1566. Sed teste Cardinali Albitio, uti refert cl. Wernz l. c. n. 308, etiam S. Pii V poenae iam suo tempore in S. Officio non fuerunt in usu, sed infligebantur poenae arbitrariae pro qualitate blasphemiarum et personarum (3). Ad poenas vero quod spectat quibus ptectebatur

Poenae: 1) iure antiquo determinatae: *a*) in blasphemantes;

(1) PIGHI, l. c. n. 20; CAPPELLO, l. c. n. 81.

(2) LEVITIC., XXIV, 16; WERNZ, l. c. n. 315.

(3) De poenis statutis contra blasphemantes etiam in foro saeculari, cfr. v. gr. Cod. poen. hisp. art. 586, iunctis sententiis Trib. Supr. apud GURY-FERRERES t. I, n. 299, et apud LOPEZ-PELAEZ, *El derecho español*, p. 100; Cod. Crim. German. § 166; ibi: « Qui contumeliis in publico prolatis Deum blasphemat;... punitur carcere usque ad triennium ».

antiquitus crimen periurii, haec habet Wernz l. c. n. 317: « Censurae latae sententiae neque ex iure antiquo neque ex disciplina nunc vigente post Pii IX Const. « Apost. Sedis » in periurium sunt statutae ».

b) in peierantes.

Clerici vero propter periurium suspensione ab officio et beneficio, cap. 2. X, de fideiussor. III, 22; vel etiam privatione officii et beneficii, cap. 10, X, de iureiur. II, 22; imo et poena depositionis, cap. 10, X, de iud. II, 1, ab ecclesiastico iudice mulctari poterant (1).

341. *Nunc vero in novo Codice* crimina blasphemiae et periurii extra iudicium commissi, *prudenti Ordinarii arbitrio punienda relinquuntur.* Dicitur in can.: « vel periurium *extra iudicium commiserit* ». Etenim si quis peieraverit in iudicio, puniri debet ad normam can. 1743, § 3 ubi legitur: « Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit, *mendax reperta fuerit,* puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, *laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur* ». Et merito quidem; nam periurium iudiciale ceteris gravius est magisque damnosum; hoc enim periurio nedum gravissima Deo infertur irreverentia, sed etiam laeditur et fides publica, et ius partium contendentium et ipsa dignitas tribunalium.

2) Ex novo iure ab Ordinario determinandae sunt.

CAN. 2324. — Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione.

Delinquentes contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1.

342. Convellendis eradicandisque abusibus, Missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit Ecclesia, pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

Antiqua Ecclesiae disciplina.

In Const. « Apostolicae Sedis » § 2, n. 12 statuta fuit excommunicatio latae sententiae Summo Pontifici reservata contra: « Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis et ex iis lu-

(1) Wernz, l. c. n. 317.

crum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent». Cumque detestabilis inolevisset abusus ut nonnulli ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius vendendas, ipsi Missarum eleemosynas colligerent atque pretii loco earumdem celebrationem clero committere ausi fuerint, idque minime obstantibus contrariis resolutionibus editis a S. Congr. Concilii sub die 25 iul. 1874, Leo XIII, tanto avertendo malo prospicere cupiens, decreto «Vigilanti», d. 25 maii 1893, praedictas resolutiones in memoriam revocavit, easque salutaribus ecclesiasticis poenis communivit, edicens: «si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis, S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae, obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus, eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores Ordines recipiendos; laici demum excommunicatione latae sententiae, Episcopis reservata, obstringantur». Idem S. Pontifex animadvertens praedictos abusus etiam inter orientalis ritus clerum et fideles invaluisse, praecepit ut laudatum decretum «Vigilanti» ad clerum et fideles ritus orientalis extenderetur (1).

Tandem S. Pontifex Pius X, decreto «*Ut debita*», d. 11 maii 1904, easdem poenas a Leone XIII statutas confirmavit, declaravitque poenis hac de re in Const. «Apostolicae Sedis» statutis «per praesens decretum nihil esse detractum».

Ex novo iure puniendi sunt iudicio Ordinarii.

343. Nunc in novo Codice ex praescripto can. 2324, illi qui delinquunt contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, *ab Ordinario pro gravitate culpae puniendi sunt,* non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel si de laicis agatur, excommunicatione. In canonibus citatis haec habentur:

Can. 827. «A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur».

Can. 828. «Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et acceptata fuerint».

(1) S. C. C., decr. 25 iul. 1874, ad 1, 3-5; decr. «Vigilanti», 25 maii 1893; S. C. de Prop. F., 18 aug. 1893.

Can. 840. § 1 « Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae ».

Illi igitur qui deliquerint contra praescripta horum canonum, puniendi relinquuntur prudenti iudicio Ordinarii, qui proinde, omnibus perpensis adiunctis aggravantibus vel minuentibus moralem imputabilitatem, eas decernet poenas sive medicinales sive vindicativas, quae sint crimini proportionatae, ac valeant, nedum removere scandalum, si quod datum fuerit, sed etiam delinquentis emendationem obtinere.

Superstitionem exercentes vel sacrilegium perpetrantes.

CAN. 2325. — Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegia.

Notio superstitionis.

344. Ex praescripto huius canonis superstitionem exercentes vel sacrilegium perpetrantes, pro gravitate culpae ab Ordinario puniendi sunt. Videamus igitur quid sit superstitio, quid vero sacrilegium. **Superstitio** universim spectata est: *delictum religioni oppositum per excessum;* idest debita Deo reverentia per excessum detrahitur. Quod ita explicat cl. Wernz l. c. n. 321: « Religioni vero oppositus est iste excessus, quia superstitione aut creaturae exhibetur cultus divinus, qui ipsi non debetur, aut Deo, cui perfectus debetur, exhibetur indebito modo et circumstantiis non probatis ». *Ad superstitionem referuntur divinatio, sortilegium, magia et vana observantia.*

Varia superstitionis genera veteribus nota.

1°. **Divinatio** est investigatio occultorum ope daemonis expresse aut implicite invocati (1). Intervenit pactum expressum cum daemone, si homo habeat voluntatem explicitam aliquid sciendi a daemone; haberetur vero pactum implicitum, si ad cognitionem rerum occultarum adhiberetur medium, quod nec natura sua, nec Dei institutione, has res significare possit. Tunc enim cum rerum occultarum cognitio non a natura, nec a Deo speretur, implicite saltem exquiritur a daemone.

2°. **Sortilegium** est: « tentamen quo mediis sortibus conatur aliquis vel determinare quod incertum est, vel detegere

(1) ICARD, op. cit., n. 737.

quod est occultum » (1). *Sortes vero aut divisoriae* sunt, aut *consultoriae*, aut *divinatoriae*. *Divisoriae* illae sunt quae adhibentur ad ius indivisum aut dubium pluribus competens inter eosdem dividendum aut uni applicandum. Huiusmodi sortilegium, seclusa semper superstitione, est licitum, quia sortis exitus non expectatur a daemone, sed divinae potius providentiae committitur. Prohibentur vero sortes divisoriae in concedendis officiis et praesertim in electione ad beneficia ecclesiastica. Etenim electio ad beneficia ecclesiastica, non debet casui remitti, sed fieri debet ex delectu, attendendo ad capacitatem et merita personarum, secus vergeret in damnum Ecclesiae, ceu monet caput 42, X, *de electione et electi potestate*, I, 6, et caput 3, X, *de sortilegiis*, V. 21, in quo legitur: « sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes » (2).

Sortes consultoriae habentur cum per sortes inquiritur divina voluntas; hinc in genere illicitae sunt, quia nulla promissio est Dei, qua sciamus ipsum sortes dirigere. Hinc praetensio cognoscendi divinam voluntatem per sortem est genus tentationis Dei. Excipe si fiant ex divina inspiratione iuxta exemplum Apostolorum in electione S. Mathiae (3).

Sortes denique divinatoriae, quae adhibentur ad cognoscendum aliquod futurum vel occultum quod naturaliter cognosci et determinari nequit, semper illicitae sunt habendae; etenim in sortibus istis saltem tacite daemon colitur tanquam Deus et revelator occultorum (4).

3° **Magia** est ratio producendi ope daemonis effectus stupendos, qui excedunt vires naturales, saltem quoad modum quo obtinentur. Aliquando magia fit ad ostentationem, vel ad bonum aliquod sibi aut alteri procurandum; aliquando fit ut malum alicui inferatur, et tunc vocatur *maleficium*.

4°. **Vana observantia** habetur cum media improportionata et inutilia adhibentur ad certum effectum obtinendum. Uti divi-

(1) De Angelis, tit. 21, l. 5.

(2). Schmalzgrueber, op. cit., tit. 21, lib. 5, n. 38-43.

(3) Wernz, l. c. n. 327; De Angelis, tit. 21, l. 5.

(4) Schmalzgrueber, tit. 25, l. 5, n. 35, sq.; Ballerini-Palmieri, l. c. n. 349, 350.

natio, ita et vana observantia potest fieri expresso vel tacito pacto cum daemone (1).

345. Ad haec superstitionis genera veteribus iam nota, *alia* postea *accesserunt*, *nominibus quidem nova, re tamen haud diversa*, *ut superstitio tabularum rotantium*, *magnetismus sive Mesmerismus*, spiritismus, *hypnotismus*. Quin immoremur in his omnibus explanandis, memorabimus tantummodo litt. encycl. quas S. C. S. Off. sub die 4 aug. 1856 ad omnes Episcopos direxit, ad magnetismi abusus compescendos. Sacra Congregatio non condemnat praxim magnetismi in qua, remota omni daemonis invocatione, adhiberentur solummodo media physica ad finem honestum; verum animadvertit: « Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent... Adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento, hariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *clarae intuitionis*, uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas, et religioni, et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia, poterunt locorum Ordinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris re-

Alia noviter inventa.

(1) Wernz, l. c. n. 326.

mediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos ».

Sacrilegii notio et divisio.

346. **Sacrilegium** *est violatio rei sacrae; idest iniuriosa et indigna tractatio rei sacrae. Nomine rei sacrae* heic intelligitur quaelibet res sacra, sive nempe *persona, sive locus, sive res,* quae ex dedicatione ad cultum divinum a publica auctoritate sive iure divino sive iure ecclesiastico facta, sancta sive sacra effecta est. Hinc *sacrilegium dividitur in personale, locale, reale,* prout personae sacrae, vel loco sacro vel rei sacrae infertur iniuria seu irreverentia (1).

Poenae iure antiquo statutae.

347. Hisce declaratis, nunc ad poenas quod spectat, animadvertimus quod *sacri canones semper prohibuerunt omne genus divinationum* (2). Aliis praetermissis, Constitutionibus SS. Pontificum Leonis X (3), Sixti V (4) et Benedicti XIV (5), praecipiebatur locorum Ordinariis ut procederent contra illos omnes, tam clericos quam laicos, qui vanas, fallaces et perniciosas divinandi artes *exercerent* aut *in eis se quomodolibet intromitterent, ac praesertim in clericos severius poenis canonicis, et aliis* eorum arbitrio, *animadverterent.* Scribit cl. Wernz l. c. n. 328 « Clerici si ista delicta superstitionis committant, pro qualitate delicti aut puniantur poenis arbitrariis Episcopi, aut suspensione per annum et amplius, si Episcopo ita visum fuerit, aut arbitrio Superiorum infamia notentur, et, si non desistant, deponantur et ad tempus arbitrio Superioris praefiniendum, in monasterium detrudantur beneficiisque et officiis priventur (6).

Ex novo Codice pro gravitate culpae ab Ordinario puniendi sunt.

348. *Nunc* ex praescripto can. 2325 exercentes *superstitionem vel sacrilegium perpetrantes, pro gravitate culpae ab Ordinario puniendi sunt.* Notandum vero est quod si delicta

(1) WERNZ, l. c. n. 331 et sqq.

(2) Cap. 1, 2, X, *de sortilegiis*, V, 21.

(3) LEO X (in conc. Lateranen. V), const. « *Supernae dispositionis* », 5 maii 1514, § 41; ep. encycl. « *Honestis* », 15 febr. 1521.

(4) SIXTUS V, const. « *Coeli et terrae* », 5 ian. 1586, § 3.

(5) BENEDICTUS XIV, const. « *Ad militantis* ». 30 mart. 1742, § 6; const. « *Ex quo* » 11 iul. 1742, § 25-27; const. « *Omnium sollicitudinum* », 12 sept. 1744; ep. encycl. « Ex quo », 1 mart. 1756.

(6) Conc. Trid. sess. XXII, decret. de observ. et evit. in celebr. miss. § Postremo; cap. 2, X, *de sortilegiis*, V, 21; LEO X, l. c. iunct. cap. 6, X, *de poenis*, V, 37.

superstitionis coniuncta sint cum haeresi, tunc delinquentes subiacent etiam haereticorum poenis ad normam can. 2314. Et quia contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegos appositae poenae constitutae sunt, ex. gr. contra illos qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint (can. 2320); contra illos qui violentas manus iniecerint in personam Romani Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis etc. (can. 2343); contra usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345), et contra alios actus sacrilegos vel superstitiosos, uti videbimus infra, merito additur in canone: « salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegia ».

Falsas reliquias conficientes, vendentes, distribuentes...

CAN. 2326. — Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.

Maxima Ecclesiae circumspectio circa cultum reliquiarum.

349. Ecclesiae voluntas et intentio ea semper fuit, ut verae reliquiae apprime recognitae, atque sub designato nomine traditae, publico exponantur cultui atque a fidelibus colantur. Hinc S. Pontifex Innocentius III in c. 2, X, *de reliquiis et veneratione Sanctorum,* III, 45, edixerat: « Inventas autem de novo (idest reliquias), nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae ». Hinc S. Conc. Tridentinum decreverat: « nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris ea faciat, quae veritati et pietati consentanea iudicaverit » (1). Itemque S. Pontifex Clemens IX, ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, novam instituit Congregationem, quae ex S. R. E. Cardinalibus, aliisque doctissimis viris constaret, quaeque postea a Sacris Reliquiis et Indulgentiis nomen habuit. Ac tandem in novo Codice, can. 1882 constitutum est: « Publico cultui eae solae reliquiae in ecclesiis, quanquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apo-

(1) Conc. Trid. sess. XXV, *De invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum.*

stolico sit concessa ». Et in can. supra transcripto gravissima censura excommunicationis latae sententiae Ordinario reservata infligitur contra illos qui falsas reliquias conficiunt, aut scienter vendunt, distribuunt, vel publicae fidelium venerationi exponunt.

350. Dicitur: « *qui falsas reliquias conficit* ». Porro *reliquias* vulgo *accipimus Sanctorum;* etenim hoc nomine veniunt Sanctorum corpora vel Sanctorum corporum particulae, veluti caput, manus, brachium, ossa, cineres; itemque vestes, instrumenta poenitentiae, quibus Servi Dei utebantur, ex. gr. cilicium, catena etc. Hinc *conficientes falsas reliquias, illi sunt* qui corpora vel particulas corporum, quae Sanctorum non sunt, ita disponunt, ac talibus confictis signis authenticitatis muniunt, ut genuinae existimentur, et a fidelibus uti verae habeantur ac retineantur.

2°. Dicitur: « *aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit* ». Illud *scienter ad omnes actiones subsequentes refertur;* proindeque tum vendentes, tum distribuentes, tum exponentes falsas reliquias publicae fidelium venerationi, excusantur a censura incurrenda ob ignorantiam *sive facti*, ex. gr. si nesciant reliquias esse falsas; *sive iuris*, sive etiam censurae; et quidem ad normam can. 2229, § 2 excusantur etiam ob ignorantiam crassam vel supinam.

Vendit; sive palam sive clandestine, sive multum, sive parum. *Distribuit;* quisquis sit, sive laicus sive clericus; sive gratis omnino et nullo prorsus recepto pretio; dummodo scienter falsas reliquias uti veras distribuat, excommunicationi obnoxius est.

Additur: « *vel publicae fidelium venerationi exponit* »; ille igitur hanc censuram contrahit qui sciens volens *falsas reliquias* exponit, non privatae, sed publicae fidelium venerationi; ideoque « *qui exponit debet esse talis, qui coram fidelibus legitime exponere videatur, sacerdos, clericus; non persona laica cui nullo modo competat actus exponendi* » (1). Diximus « falsas reliquias », hinc non contrahitur censura, si quis exponat publicae fidelium venerationi sacras reliquias, « quarum authenticitatis documenta ob civiles perturbationes vel ob alium quemlibet casum interierint »; quamvis canon 1285 prohibeat ne publicae venerationi exponantur, sine praevio iudicio Ordinarii loci.

(1) CERATO, l. c. n. 70.

can. 2327. — Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata.

Quaestum facientes ex indulgentiis.

351. Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo debitae pro peccatis, quoad culpam remissis, concessa ab ecclesiastica auctoritate ex thesauro Ecclesiae, *pro vivis per modum absolutionis*, pro defunctis per modum suffragii. V. supra n. 222; can. 911.

S. Pontifex Pius IX in Const. « Apostolicae Sedis », § 2, n. 11 decreverat: « Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur in Constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 ianuarii 1569 ». Nunc vero in novo Codice excommunicatione plectuntur tantum « quaestum facientes ex indulgentiis », minime vero illi qui quaestum faciunt « ex aliis gratiis spiritualibus ». Praeterea ex Const. « Quam plenum » S. Pii V, plectebantur excommunicatione « Episcopis inferiores »; *nunc* vero in novo Codice ad normam can. 2227, § 2, *etiam Episcopi comprehenduntur*.

Postquam vidimus in quibus ius novum discrepat a iure antiquo, rite declaranda sunt verba « *quaestum facientes ex indulgentiis* ». Iamvero *quaestum facientes* ex indulgentiis *illi sunt, qui* « lucro intenti, pecuniasque potius quam Christi fidelium salutem quaerentes » (1), ex concessione vel publicatione indulgentiarum *pretium aliquod percipiunt*, quod omne lucrum est, cum gratis concedendae sint. Hinc ad excommunicationem incurrendam *requiritur ut quaestus ex indulgentiarum concessione vel publicatione reapse referatur;* requiritur nempe ut hinc indulgentiae publicentur vel concedantur, illinc ut pecunia solvatur. Quapropter si quis indulgentias concedat vel publicet, et quacumque ex causa nullam pecuniam accipiat, non datur locus censurae; sed procul dubio incurritur censura, si quis partem pretii accipiat, quia habetur realis commutatio rei spiritualis cum temporali pretio, saltem inchoative, ideoque vera simonia (2).

(1) S. Pius V, const. « Etsi Dominici gregis », 8 febr. 1567.

(2) Cfr. can. 727, § 1; ibi: « Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, **indulgentias**, etc.,... *est simonia iuris divini* ».

Illud non interest quod quis per alium, et non per se, indulgentias concesserit, vel pecuniam acceptaverit; nam « qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum » (1). Nec excusat a censura incurrenda propositum impendendi lucrum in aliquod opus pium promovendum; proindeque si quis ob veram pietatis causam indulgentias concedat pretio comparandas, censuram huius canonis non effugit (2).

Violantes: *a*) cadavera vel sepulcra mortuorum. *b*) Ecclesias vel coemeteria.

CAN. 2328. — Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel aliam malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur.

CAN. 2329. — Ecclesiae vel coemeterii violatores, de quibus in can. 1172, 1207, interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur.

352. Duobus canonibus supra transcriptis coercentur illi « qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverint », c. 2328; necnon « Ecclesiae vel coemeterii violatores, de quibus in can. 1172, 1207 », can. 2329. Contra illos statuitur: 1) interdictum personale ferendae sententiae; nam dicitur: « interdicto personali *puniatur* »; 2) poena infamiae latae sententiae; « *sit ipso facto* infamis »; ac praeterea 3) si clerici hoc crimine se maculaverint, deponendi sunt. — Contra violatores Ecclesiae vel coemeterii, de quibus in can. 1172, 1207, statuitur interdictum ab ingressu ecclesiae ferendae sententiae, ac praeterea aliis congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniri debent.

Quid sit interdictum personale, vel interdictum ab ingressu ecclesiae, iam scimus ex dictis supra n. 245 et seq.; itemque disseruimus de poenis infamiae et depositionis n. 272 et sqq., et num. 289 et sqq.; hinc satis est ut heic recolantur ea quae diximus in locis citatis. Superest ut videamus quomodo violetur sive Ecclesia sive coemeterium. Iamvero in cit. can. 1172 edicitur: « § 1. Ecclesia violatur infra recensitis tantum actibus, *dummodo certi sint, notorii, et in ipsa ecclesia positi:* 1°. Delicto homicidii; 2°. Iniuriosa et gravi sanguinis effusione; 3°. Impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit; 4°. Se-

(1) REG. 72, R. I., in VI.

(2) Conc. Trid. sess. XXI, de ref. cap. 9; S. PIUS V, const. « *Quam plenum* » 2, ian. 1570.

pultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ». Iisdemque modis supra recensitis violatur coemeterium. Legitur enim in can. 1207: « *Quae de* interdicto, *violatione*, reconciliatione ecclesiarum *canones praescribunt, etiam coemeteriis applicentur* ».

Post absolutam tractationem de delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae et de delictis contra religionem, quibus ipsi Deo singulari quadam ratione infertur irreverentia, nunc disserendum est de delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas. Sit itaque

TITULUS XII.

De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas.

CAN. 2330. — Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904.

Poenae in delicta quae committi possunt in eligendo S. P.

353. Haud opportunum ducimus heic referre ac declarare omnes poenas quas S. Pontifex Pius X, Const. « Vacante Sede Apostolica », 25 Dec. 1904, constituit in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt. Huiusmodi poenae, ex praescripto canonis supra transcripti, unice repetendae sunt ex laudata Constitutione Pii X, quae ex integro refertur in fine novi Codicis (1). Praestat tantummodo animadvertere quod S. Pontifex Pius X in principio suae Constitutionis declarat, se velle in unam Constitutionem digerere ea quae decreta fuerant in praecedentibus Constitutionibus « quas inter principem obtinent locum Constitutiones a Pio IV, Gregorio XV et Clemente XII opportune sancitae.... *integris, quantum fieri potuit, servatis ipsis priorum Constitutionum praescriptis* » (2). Consequenter *si dubium* aliquod *exoriatur circa vim poenarum, quae in Piana Constitutione decernuntur,* ad normam can. 6, n. 4°, *a veteri iure, in praedictis Constitutionibus statuto, non est recedendum.*

(1) Vide in fine novi Codicis, Docum. 1.

(2) Pius IV, Const. « In eligendis » VII Idus Octobris 1562; Gregorius XV, Const. « Aeterni Patris » XVII Kal. Decemb. 1621; Clemens XII, Const. « Apostolatus officium » IV Non. Octob. 1732.

Non obtemperantes R. P. vel proprio Ordinario vel conspirantes contra ipsorum auctoritatem...

CAN. 2331. — § 1. Qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtemperant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur.

§ 2. Conspirantes vero contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur.

354. Ex praescripto § 1 huius canonis pertinaciter non obtemperantes Romano Pontifici vel proprio Ordinario, aliquid legitime praecipienti vel prohibenti, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniendi sunt. Et merito quidem; actum enim esset de ecclesiastica disciplina, si quisque posset impune vel R. Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperare. Hinc ne auctoritas legitime constituta, quae ab omnibus subditis maxime reverenda est, apud ipsos vilescat et contemnatur, pertinaciter inobedientes, congruis poenis, censuris non exclusis, mulctandi sunt. Hinc in decreto « Maxima cura » edito a S. C. Consistoriali die 20 aug. 1910, can. 1. n. 9, inter causas ob quas parochus poterat amoveri ab officio et beneficio curato, recensebatur: « 9°. *Inobedientia praeceptis Ordinarii* post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia », etc. (1).

355. Eoque magis puniendi sunt ac gravioribus poenis mulctandi *ex* § 2 *huius canonis,* illi qui conspirant contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, illi nempe qui concordi animo collatisque consiliis ac viribus nituntur minuere vel quomodocumque labefactare praedictam auctoritatem aut praedicta mandata; itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes. Et merito quidem gravius puniendi sunt; nam non solum ipsi pertinaciter non obtemperant legitimo Superiori, sed alios subditos etiam provocant ad idem crimen patrandum, idest ementitis rationibus ac confictis argumentis alios subditos inducunt ad denegandam debitam obedientiam sive Romano Pontifici eiusve Legato, sive proprio Ordinario. Eapropter censuris aliisve poenis

(1) S. C. Consist., decr. « Maxima cura », 20 aug. 1910, can. 1, n. 9.

coercendi sunt; et « dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi », privari debent. Agitur de poenis ferendae sententiae in quibus statuendis lex utitur verbis praeceptivis; ideoque ordinarie infligendae sunt. Remittitur tamen prudentiae et conscientiae iudicis vel Superioris huiusmodi poenas moderari pro diversa criminis gravitate (can. 2223).

Appellantes a legibus, decretis, mandatis R. P. ad Univ.Conc.

CAN. 2332. — Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt.

336. In hoc canone, quo ius vetus (1), paucis immutatis, confirmatur, rebellio illorum compescitur qui « a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes » maximam inferunt iniuriam supremae auctoritati Summi Pontificis. Appellare enim est: *ab inferiore iudice ad superiorem provocare* (can. 1879). Sed Summus Pontifex superiorem in terris non habet, neque ipso Concilio Universali est inferior. Hinc appellatio a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis, praeter iniuriam illatam Supremo Ecclesiae Capiti, etiam schismatis praesefert speciem, et ideo *patrantes hoc crimen habentur in canone uti suspecti de haeresi.* Imo si quis appellaret, quia crederet Papam non habere supremam et infallibilem auctoritatem in Ecclesia, foret insuper haereticus, ac duplici excommunicatione innodaretur (can. 2314).

Crimen perfectum et consummatum intelligitur, statim ac appellatio interposita fuerit; ea igitur interposita, excommunicatio statim incurritur, alias nunquam incurreretur (2).

337. Dicitur 1°.: « *appellantes a legibus, decretis, mandatis* ». In Const. Apost. Sedis l. c. legitur: « ab ordinationibus seu mandatis »; hinc, arguebant Doctores: appellantes a statutis vel legibus R. P., hanc excommunicationem non incurrunt (3). Sed

(1) Const. « Apostolicae Sedis » § 1, n. 4; § VI, n. 1.
(2) D'ANNIBALE, *Comm. in Const. Apostolicae Sedis*, n. 48. V. can. 222, § 1.
(3) D'ANNIBALE, l. c.; Card. LEGA, l. c. n. 439.

nunc e contra innodantur censura excommunicationis etiam appellantes a legibus vel decretis R. P. Quamobrem *in novo Codice comprehenduntur omnes actus iurisdictionales, sive omnes vel plures respiciant,* uti sunt leges vel decreta; *sive singulos,* uti mandata. Et merito quidem; agitur enim de compescenda iniuria quae fit iurisdictioni S. P., et haec iniuria aequali modo habetur tum in appellatione « ab ordinationibus seu mandatis », tum in appellatione « a legibus, decretis » S. Pontificis.

Dicitur 2°.: « Romani Pontificis pro tempore exsistentis »; idest Romani Pontificis adhuc viventis, non vero iam defuncti.

Dicitur 3°.: « ad Universale Concilium ». In praedicta Const. « Apost. Sedis » legitur: « ad universale *futurum* Concilium »; et exinde Doctores deducebant: « ergo eam (excomm.) non incurrit qui... ad *praesens* Concilium oecumenicum, etsi forte intermissum... appellaverit » (1). *Sed nunc* merito illud verbum « *futurum* » ablatum est, ideoque ex novo iure incurritur censura, sive quis appellaverit ad futurum, sive ad praesens Concilium. Non fit locus huic censurae, si quis appellaverit ad futurum Pontificem, vel ad provinciale concilium, quamvis heic atrocior esset iniuria. Animadvertendum est, quod censuram excommunicationis Sedi Apostolicae speciali modo reservatam incurrunt omnes personae physicae, non exclusis regibus et S. R. E. Cardinalibus. Si vero appellaverint « Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt ».

Tandem notetur quod in praefata Const. « Apostolicae Sedis » excommunicatio ferebatur in eos « quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit ». Sed in novo Codice, uti patet ex can. transcripto, nihil dicitur de huiusmodi conreis. Ergo, concludunt nonnulli Doctores, « nunc, aliter ac antea, censura non tenentur ii, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum est » (2).

Sed contra est; edicitur enim in can. 2231: « Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, *ii quoque de quibus in can. 2209,* §§ 1-3, *tenen-*

(1) D'ANNIBALE, l. c. n. 47.
(2) CAPPELLO, l. c. n. 83; CERATO, l. c. 94.

tur, nisi lex aliud expresse caverit, *eadem poena...* ». Igitur vi huius canonis, illi « quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit », si principaliter concurrerint ad patrandum crimen, de quo in canone, etsi in lege non nominentur, eadem censura plectuntur; *quod semel pro semper adnotatum volumus.*

CAN. 2333. — Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.

Litteras vel acta Sedis Ap. aut eiusdem Legatorum impedientes.

358. Hic canon ius vetus ex integro refert; etenim fere iisdem verbis transcriptus est ex Const. « Apostolicae Sedis », § 1, n. 8 (1). Hinc ad normam can. 6, n. 2 « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » aestimandus est.

Dicitur 1°.: « Recurrentes »; idest tam ecclesiastici quam saeculares, qui sive appellando recurrant, sive provocando, seu supplicibus libellis oblatis. Hinc huic excommunicationi non fit obnoxius ille qui in ius vocatus, submovet Litteras etc. ope exceptionis; ex. gr. citatus ad solvendam pensionem impositam Litt. Ap., respondet, non fuisse iure impositam (2). « Potestas heic (ita D'Annibale, l. c.) personas demonstrat, nec, ut puto, omnes quae quodvis munus publicum obeunt, ceu Quaestores, Magistros militum, Syndicos; sed eos tantum qui aliquam in cives *potestatem.* idest iurisdictionem exercent, uti Iudices, Praesides, Praefecti Urbium etc. ». Praeterea ad incurrendam excommunicationem necesse est ad hos recurrere, quatenus potestate huiusmodi praediti sunt, et non quasi ad potentiores, vel necessarios, vel amicos (3).

(1) Pius IX, const. « Apostolicae Sedis », 12 oct. 1869, § 1, n. 8; ibi: « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica. vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta: eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes ».

(2) D'Annibale, l. c. n. 72.

(3) D'Annibale, l. c.

Dicitur 2°.: « ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis profecta ». Per acta quaelibet a Sede Ap. profecta, uti declaravit S. C. S. Off. d. 13 ian. 1892, intelligi debent acta quae sive immediate a R. P. sive etiam mediantibus SS. CC., seu Officiis Curiae proficiscuntur (1).

Dicitur 3°.: « profecta »; hinc non incurrunt hanc excomm. illi qui impediunt ne proficiscantur, scilicet impediunt huiusmodi litteras vel acta impetrari.

Additur 4.°: « eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes ». *Promulgationem,* idest non evulgationem, sed promulgationem proprie dictam. *Vel exsecutionem;* idest quaecumque necessaria sunt ut litterae vel acta a Sede Ap. vel ab eiusdem Legatis profecta effectum habeant; ex gr. si quis impediat quominus litterae vel acta partibus tradantur, vel quominus partes eis uti possint. Huc etiam pertinent qui impediunt eos qui huiusmodi litteras vel acta impetrarunt, quominus possint iura sua prosequi penes iudices ecclesiasticos, seu ordinarios seu delegatos (2). Nec interest utrum quis directe haec agat an indirecte, ipsas partes, vel alias personas, quarum iniuria tamen redundat in partes principales, laedendo, vel perterrefaciendo. « Prohibentes ». Hi sunt qui publica auctoritate prohibent (3). Nonnulli Doctores contendunt excommunicationem incurrere etiam prohibentes auctoritate privata, quia, dicunt, lex non distinguit; utcumque res dubia est.

Dicitur 5.°: « aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes ».

a) « aut eorum causa »; idest ne litterae vel acta promulgentur vel exsecutioni demandentur.

b) « sive eos ad quos pertinent »; illos nempe quorum interest ut litterae vel acta promulgentur vel exsecutioni demandentur.

(1) Quaesitum fuit a S. C. S. Off.: « Utrum per acta a Sede Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt ». Et sub die 13 ian. 1892 prodiit responsum: « Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ».

(2) D'Annibale, l. c. n. 73, not. 8.

(3) Card. Lega, op. cit. 445; D'Annibale, l. c. n. 74.

c) « sive alios »; illos nempe ad quos pertinent publicatio vel exsecutio actorum vel litterarum, veluti procuratores, agentes, notarios, exsecutores (1); vel eos quos laedendo vel perterrefaciendo, quis partes ipsas, agentes, notarios etc. laedere, terrere intelligitur, ut puta eorum consanguineos, affines, familiares (2).

d) « laedentes vel perterrefacientes »; idest grave damnum inferendo vel metu gravi perturbando. « Et quia (ita D'Annibale, l. c.) stricta significatione laedi corpus dicitur, et *perterrefacere* est plus quam metum facere, ad incurrendam excommunicationem, gravi laesione opus erit, et metu nedum gravi, sed oppido gravi ».

Quia versamur in re poenali, animadvertendum est, quod « quaelibet pars huius dispositionis, scilicet sive recursus sive impedimenta in Acta Curiae Rom. *quoad exercitium potestatis ecclesiasticae* oportet quod respective *suum obtinuerint effectum; cum sanctio attingat factum, effectu sequuto* » (3). Cl. Bucceroni scribit: « *Recurrentes*... recursus hic intelligendus est, *effectu secuto. Idem dicendum* propter eandem rationem *de prohibitione, laesione, perterrefactione* » (4). Alii tamen (uti Lehmkuhl, 11, 933) aliter opinantur; hinc adest dubium iuris et proinde quod minimum est, sequimur (5).

Notandum denique est quod recurrentes et impedientes non excusantur, quia recurrunt, impediunt, etc. non ex contemptu Apostolicae Sedis, sed quia putant nocitura sibi acta vel litteras huiusmodi; contemptus enim inest reipsa. Nec excusantur si ea obreptitia esse dicant; sive quia hoc dispicere pertinet ad Iudicem ecclesiasticum; sive etiam quia secus latissima sterneretur via cavillationibus et fallaciis (6).

(1) Ex Bulla Coenae, § 3.
(2) Cit. § 13.
(3) Card. Lega, l. c. n. 445.
(4) Bucceroni, l. c. n. 22.
(5) D'Annibale, l. c. n. 76.
(6) D'Annibale, l. c. n. 75.

Edentes leges, mandata... contra Ecclesiam.

Impedientes exercitium iurisd. eccl. recurrendo ad laicam potest.

CAN. 2334. — Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur :

1. Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt ;

2. Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.

359. Prima pars huius canonis valde similis est iuri antiquo; non item pars secunda. Legitur enim in Const. « Apostolicae Sedis » § 1, n. 6 : « Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes ». Et n. 7 in fine edicitur: « ... item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae ». Quia igitur pars prima huius canonis ius vetus fere ex integro refert, ad normam can. 6, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimanda est.

Dicitur 1°.: « Qui leges, mandata, vel decreta ». Iamvero lex est: « ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata » (1). Leges proinde sunt quae a Suprema Potestate in perpetuum constituuntur, v. gr. *de regio placito, de regio exequatur,* etc. *Mandata sunt praecepta* quae eduntur in singulas personas vel in singulos casus, adeoque etiam iudicum sententiae veniunt nomine mandati. *Decreta*, quae a quavis potestate, ut puta a Praefecto Urbis, a Municipiis etc. eduntur generaliter.

Dicitur 2°.: « *contra libertatem aut iura Ecclesiae* ». Haec verba, uti docet D'Annibale, patent latissime, et omne prorsus feriunt legum, mandatorum, vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive iurisdictionis, sive Ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, deprimitur, perturbatur, ut puta ius docendi (can. 1375), ius acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (can. 1495), ius possidendi propria coemeteria (can. 1206, § 1), ius Ecclesias, beneficia, Pia sodalitia

(1) S. THOMAS, *Summa Theolog.* 1-2, q. 90, art. 4.

excitandi, beneficia conferendi sine ullo interventu potestatis laicae, etc. (1).

Dicitur 3°.: « edunt ». Excommunicationem de qua in can. contrahunt *illi qui edunt* huiusmodi leges, mandata vel decreta. « Ista edentes (ita Card. Lega) *sunt ipsi Legislatores, et magistratus* quibus commissa est potestas administrativa. Nihil refert an legislator sit persona physica aut moralis seu collegialis; item dic de edente decreta. In personis collegialibus *illi censuram incurrunt qui votum dedere favorabile legi propositae* et incurrunt, postquam lex vim habere coeperit formaliter » (2). Et cl. Bucceroni l. c. n. 20 scribit: « *Edentes, auctores legum et decretorum, non ceteros* ». Concinit D'Annibale l. c, ibi: « Hanc excommunicationem contrahunt edentes huiusmodi leges vel decreta, auctoritate laica; sive laici sive clerici, *et si suffragio* v. g. *populi, Senatus etc. rogatae sunt,* **quotquot ei suffragati fuerint.** Et statim ac fuerint promulgatae contrahitur. Non item scriptores, praecones qui eas evulgant, proponunt; nec qui faciunt eas observari, vel eis utuntur quoquo modo, ut ecce tabelliones, qui iuxta eas conficiunt acta, litigatores qui se his tuentur, Magistratus qui ex eis ius dicunt » (3).

Cum igitur *edentes leges sint auctores legum,* iuxta receptam apud probatos auctores interpretationem, *non potest admitti nova interpretatio* data a cl. Cerato, l. c. n. 96; ibi: « *Qui edunt* sunt: *a*) si agitur de lege vel decreto, *qui legem vel decretum promulgant.* Etenim non solum in iure canonico " leges instituuntur, cum promulgantur „ c. 8, § 1; sed etiam in iure civili, puta in iure italico: " le leggi promulgate dal re divengono obbligatorie... „. Igitur *qui edunt leges et decreta quique censurae subiiciuntur, sunt non Deputati et Senatores,* qui leges aut decreta praeparant, *sed illi, qui ea nomine proprio subscribunt et publicant* » (4).

360. Altera pars huius canonis pertinet ad tuendam adver-

(1) D'Annibale, l. c. n. 68.

(2) Card. Lega, l. c. n. 444.

(3) D'Annibale l. c. n. 69.

(4) « Edere intelliguntur qui mandatum sua auctoritate condunt, perficiunt, non scribae, non praecones, qui istud exarant vel in publicum divulgant ». Ita Card. Lega, l. c. n. 442.

sus laicos potestatem iurisdictionis qua gaudet Ecclesia, quatenus est societas perfecta, independens a societate civili, ordinata in gubernationem populi christiani.

Dicitur 1°.: « *Qui impediunt* directe vel indirecte ». Iamvero impedire exercitium iurisdictionis est prohibere ne quis ea uti incipiat, aut pergat; ex. gr. ne iudex ecclesiasticus ius dicat inter partes quae iurisdictioni suae subsunt. Et quia exsecutio cuiusvis sententiae vel decreti ad iurisdictionem eius pertinet, a quo sententia vel decretum latum fuit, hinc excommunicationem contrahit qui impedit exsecutionem huius actus, ut puta appellando ad potestatem laicam; uti in can. 2232 dictum est. Illud non interest, utrum aliquis directe impediat, an indirecte; et utrum impediat iurisdictionem sive interni sive externi fori (c. 196); sive ordinariam sive delegatam (c. 197, § 1), contentiosam vel voluntariam; lex enim non distinguit; dummodo tamen reipsa impediat (1).

Dicitur 2°.: « exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori »; illius nempe iurisdictionis, quae a Christo Domino vel ab eius Vicario promanat, quaeque proinde competit Clericis qua Clerici sunt. Agitur proinde, uti docet D'Annibale, l. c., de exercitio illius iurisdictionis qua utitur S. Pontifex ubique terrarum, et locorum Ordinarii in suo quisque territorio; et illi qui vices obeunt sive illius, uti SS. RR. Congregationes, Legati, Vicarii Apostolici etc.; sive horum, uti Vicarii Generales, Officiales (can. 1573). Sed non agitur de exercitio iurisdictionis « qua gaudent Praelati Ordinum Regularium; primo quia, prout B. C., ita et Const. A. S. consulit iurisdictioni Ecclesiae Catholicae, non ei quae Ordinibus Regularibus privilegiis RR. PP. decreta fuit; deinde quia si quando RR. PP. prospicere et huic voluerunt, peculiaribus Constitutionibus id ab eis factum est » (2).

Denique dicitur 3°.: « ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ». In antiquo iure, uti patet ex verbis Const. « Ap. Sedis » § 1, n. 6 supra transcriptis, habebatur particula *et,* idest « **et** ad hoc recurrentes », qua indicabatur alia species

(1) D'ANNIBALE l. c. n. 59; ibi: « si nempe impedimentum effectum habuerit ». V. Card. LEGA, l. c. n. 441.

(2) D'ANNIBALE, l. c. n. 57.

personarum censurae subiecta. Card. Lega declarans praedicta verba: « et ad hoc recurrentes... » scribit: « Petrus Avanzini in suo commentario n. 11 quaestionem iam movit, an haec sit una species impedientium, aut potius una ex conditionibus ad incurrendam censuram contra impedientes latam. Iamvero hisce verbis contineri unam speciem impedientium... facile persuadet textus, quia particula *et* aequivalet disiunctivae *vel*, uti expostulat subiecta materia et est usitatum in iure, arg. l. 53. De verb. signif. » (1). Quia igitur in canone supra transcripto particula *et* omissa fuit, concludendum est, verba « ad hoc recurrentes » etc. constituere unam ex conditionibus ad incurrendam censuram contra impedientes latam. Consequenter qui impediunt exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, ex. gr. vi aut gravi metu incusso, quin recurrant ad laicalem auctoritatem, excommunicationi huius canonis non subiiciuntur.

« Ad quamlibet laicalem potestatem ». In Const. « Ap. Sedis » censura ferebatur in « recurrentes *ad forum saeculare* ». Haec verba « ad forum saeculare » diversimode doctores interpretabantur. D'Annibale contendebat praedicta verba significare *forum iudiciale*, et hinc arguebat: « Proinde ex hoc capite excommunicatione eximi puto eum, qui non ad iudices recurrit, sed ad magistratus caeteros, qui *forum* non habent; ut puta Praefectos Urbium, Magistros militum etc. » (2). Rectius vero Card. Lega scribebat: « quia *forum saeculare* opponitur *ecclesiastico* latissime sumpto, magis placet lata interpretatio comprehendens quamcumque speciem magistratuum » (3). Et haec interpretatio praevaluit in novo Codice iuris can., ideoque ad omnes dubietates auferendas, potius quam « ad forum saeculare », dictum est « ad *quamlibet* laicalem potestatem », quibus verbis quaelibet laicalis potestas lato sensu sumpta significatur (4).

(1) Card. Lega, l. c. n. 442.
(2) D'Annibale, l. c. n. 61.
(3) Card. Lega, l. c. n. 442.
(4) Cappello, l. c. n. 91.

Nomen dantes sectae masson. et aliis eiusdem generis.

CAN. 2335. — Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (1).

361. Hic canon fere ex integro refert ius vetus iam in Const. « Ap. Sedis » constitutum (2); et consequenter ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimandus est (can. 6 n. 2).

« *Nomen dantes* » illi sunt qui scientes et volentes sectae adscribuntur, eiusque socii seu membra efficiuntur. Hinc huic censurae obnoxii sunt, qui sectam cognoscunt atque malum finem, cui secta intendit, perspectum habent; illi nempe qui sciunt in ea societate aliquid revera moliri contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates, itemque cognoscunt sectam sub poena excommunicationis esse prohibitam. Scribit ad rem D'Annibale: « Sed utrum is, qui alicui societati dat nomen, ut culpa et poena ipsum teneat, prius nosse debeat, in ea societate aliquid revera moliri contra Ecclesiam vel legitimas potestates? Et si socii 1°. palam, nec iurati coeunt, puto eos et culpae et poenae eximi, quamdiu id ignorant; sin 2°. clam, et iurati, nec culpae, nec poenae; si 3°. clam, sed non iurati, vel (quod difficile est) iurati, at non clam, excommunicationem effugere eos puto, quia versamur in odiosis; culpam, propter periculum, non item » (3).

Nomen dantes, quamvis praestiti iuramenti eos poenituerit, *si externe cum sociis communicent,* absolvi nequeunt. Verum quia transfugae harum sectarum *neci sunt addicti, quam* (uti adnotat D'Annibale l. c. n. 118, not. 9) *effugere vix possibile est*, hinc si non obstat ius naturale ob periculum perversionis, quis absolvi

(1) CLEMENS XII, const. « In eminenti » 28 apr. 1738; BENEDICTUS XIV, const. « Providus » 18 maii 1751; LEO XII, const. « Quo graviora » 13 mart. 1825; PIUS VIII, litt. encycl. « Traditi » 24 maii 1829; GREGORIUS XVI, const. « Inter »; PIUS IX, const. « Ap. Sedis » et All. « Qui pluribus » 9 nov. 1846; LEO XIII, const. « Humanum genus », 20 apr. 1884.

(2) PIUS IX, const. « Ap. Sedis » § II, n. 4; ibi: « Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae,* aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; eatumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint ».

(3) D'ANNIBALE, l. c. n. 118.

potest, etsi adhuc cum sociis communicet, remoto tamen scandalo (1).

Additur: « sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae etc. ». Quaenam vero sint huiusmodi sectae quae congruunt cum secta massonum, quaeque proinde, uti secta massonica, sub poena excommunicationis prohibentur, intelligitur ex ipso canone cum dicitur: « quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur » (2). Nempe attendendus est finis seu propositum machinandi contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates. Scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 49: « In summa, tenetur hac sententia excommunicationis quaeque societas in id ordinata, vel ut formam politici regiminis legitime constitutam immutet, vel ut aliquid in populi mores inducat, aut legibus obtineat alienum a disciplina, a iuribus, a doctrina Ecclesiae. Ex hoc capite plectuntur societates Biblicae; (Pii IX Const. *Qui pluribus* 1846) societates *clerico-liberales;* (Sillabo § 178), et aliae id genus ». Huc etiam spectat ex decreto S. C. S. Off. d. 12 ian. 1870 societas americana seu hibernica *Fenianorum* appellata (3).

Parum refert an sectae clam vel palam machinentur: *an a suis asseclis exigant vel minus iuramentum de secreto servando;* nec interest si viri Principes eas tolerent; multa enim tolerantur ad deteriora praecavenda (4).

(1) Card. Lega, l. c. n. 49.

(2) S. C. Officii die 5 aug. 1846 proposito dubio, quaenam sint societates damnatae in pontificiis constitutionibus, reposuit: « Societates occultae de quibus in pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversum Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando ». S. C. de Prop. Fide, litt. encycl. (ad Deleg. Ap. et Epp. Orientales) 24 sept. 1867.

(3) Per decretum S. Poenitentiariae, 4 aug. 1876, probante Pio IX, excommunicatio latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata statuta fuit contra omnes et singulos *societati catholicae pro vindicatione iurium populi christiani et in primis romani*, in electione R. Pont. nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, vel adhaerentes. V. *Acta S. Sedis*, vol. XVI, p. 148. V. D'Annibale, l. c. *Appendix* pag. 141.

(4) S. C. S. Off., instr. 10 maii 1884, n. 3; ibi: « Ne quis errori locus fiat quum iudicandum erit quaenam ex his perniciosis sectis *censurae,* quae vero *prohibitioni* tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione *latae sententiae* mulctari massonicam, aliasque eius generis sectas, quae

Leo XIII in Const. « Humanum genus » 20 apr. 1884, qua societatum huiusmodi finem, consilia et impia molimina detegit, et quomodo ab eis cavendum et cum eis dimicandum ostendit, haec tradit de praedictis sectis: « Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, *re congruunt cum secta massonum*, quae cuiusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae ».

Clerici et religiosi violantes can. 2334, 2335: *a*) gravioribus poenis plectendi.

CAN. 2336. — § 1. Clerici qui delictum commiserunt de quo in canon. 2334, 2335, praeter poenas citatis canonibus statutas, poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; religiosi autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur.

§ 2. Insuper clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii.

b) Parochus excitans populum ad impediendum exercitium iurisd. eccles.; itemque sacerdos eadem agens ad impediendum ingressum novi parochi, iudicio Ordinarii puniendi sunt.

CAN. 2337. — § 1. Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii iudicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione.

§ 2. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum.

362. Ex praescripto canonis 2207 « delictum augetur pro maiore dignitate personae quae delictum committit ». Hinc in personis ecclesiasticis delictum augetur, eoque magis quo in maiore sunt dignitate constitutae. Ideo in cap. 12, X, *de iureiurando*, 11, 24, edicitur: « In Episcopos, qui suum transgressi sunt iuramentum, est tanto gravius vindicandum, quanto maiori praeeminent dignitate, et eorum exemplo facilius alii poterunt ad similia provocari » (1). Quia igitur ad normam can. 2218 aequa

---

cap. 2, n. 4 Const. Apost. Sedis designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam, sive palam fecerint, sive exegerint sive non a suis asseclis secreti servandi iuramentum. *Praeter istas* sunt et aliae sectae *prohibitae*, atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas pracipue recensendae *illae omnes quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam, iureiurando exigunt* ».

(1) Vid. supra n. 38.

servanda est proportio inter poenam et delictum, habita ratione imputabilitatis, *scandali* et damni, quisque facile videt quam sapienter in can. 2336 graviores decernantur poenae pro clericis et religiosis qui se maculaverint uno vel alio ex delictis de quibus in can. 2334, 2335. Clerici enim nedum innodantur *excommunicatione speciali modo vel simpliciter Sedi Apostolicae reservata*, prout violaverint praescriptum can. 2334 vel can. 2335, sed praeterea plectendi sunt per sententiam iudicis condemnatoriam poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant (can. 2280, 2299); si vero sint religiosi, mulctandi sunt privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum.

Praeterea tum clerici tum etiam religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii; can. 2336, § 2. *Ante novum Codicem* denuntiandi erant occulti coryphaei ac duces sectae massonicae aliarumque similium associationum sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatae (1). Nunc vero denuntiandi sunt clerici et religiosi nomen dantes praedictis sectis; sed contra non denuntiantes non decernitur uti prius censura excommunicationis. Quamvis tamen nulla incurratur censura, huic legi sub gravis culpae reatu obtemperandum est. Potest tamen quis excusari ab hac denuntiatione facienda ob grave damnum proprium vel suorum; dummodo non adsit periculum damni communis, quod semper praevalet privato.

363. Modo nonnulla adnotanda sunt quoad canonem 2337. Et prae primis animadvertimus § 1 huius canonis transcriptam fuisse ex decreto « Maxima cura » edito a S. C. Consistoriali die 20 aug. 1910. Legitur enim in praedicto decreto, can. 18, § 1: « Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt: secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae

(1) Const. « Apost. Sedis », § II, n. 4.

puniatur ». Sed, uti quisque videt, hic canon 18 respicit tantummodo parochos qui vellent impedire renuntiationem et amotionem; sed canon 2337 respicit indiscriminatim omnes parochos qui quacumque ex causa a sua paroecia arcendi sunt. Si igitur parochi, potius quam obtemperare curaverint Episcopi decreto vel sententiae, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausi fuerint ea peragere quae in canone supra transcripto interdicuntur, graviter delinquunt contra ecclesiasticam auctoritatem et contra salutem animarum, proindeque ab Episcopo maiori aut minori poena iuxta gravitatem culpae multandi sunt, non exclusa, si res ferat, suspensione (can. 2278).

Eodemque modo ex § 2 huius can. punire debet Ordinarius Sacerdotem, qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum; et planum est. Tandem notetur quod si parochus vel sacerdos, de quibus in hoc canone, recurrant ad quamlibet laicalem potestatem, incurrunt praeterea ad normam can. 2334, in excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

Absolventes ab exc. *specialissimo* vel *spec. modo* S. Ap. reserv.

CAN. 2338. — § 1. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

Communicantes cum vitando in: *a*) *crimine criminoso*, *b*) in divinis.

§ 2. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

Violantes interd. loc.

§ 3. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint.

Communicantes in divinis cum exc...

Causam dantes interdicto.

§ 4. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti.

364. Id quod edicitur in § 1 huius canonis iam statutum fuerat in Const. « Ap. Sedis ». Ibi enim, enumeratis excommunicationibus R. Pontifici speciali modo reservatis, additur: « A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et

reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus... Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae, innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo ».

Dicitur 1° : « Absolvere praesumentes » ; hinc ad censuram incurrendam requiritur ut sacerdos absolvens cognoscat censuram esse specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. Quapropter omnes causae imputabilitatem minuentes excusant ab hac censura (can. 2229) ; atque ideo si quis absolvat sive quia non animadvertit censuram esse reservatam (1), sive quia existimat censuram non fuisse incursam, huic excommunicationi non subiicitur.

Dicitur 2° : « absolvere » ; hinc si quis audiat tantummodo confessionem, sed poenitentem non absolvat, excommunicatio non incurritur. Placet heic referre ea quae scribit D'Annibale, l. c. n. 154 : « Ad hanc autem excommunicationem incurrendam tria sunt necessaria, 1° ut excommunicatio certo sit reservata ; 2° ut ab ea absolvat ; 3° ut temere. Adeoque cessat (ex 1°) si reservatio dubia sit, vel probabile sit te absolvere posse ; (ex 2°) si audita confessione, poenitentem inabsolutum dimiseris, aut absolveris verbo tenus, aut, probabiliter, a peccatis dumtaxat, non a censuris ; (ex 3°) si lapsus ignorantia, vel crassa, non tamen affectata, cum absolveris. Denique haec excommunicatio non pertinet ad eos qui absolvunt morituros, vel impeditos superiorem adire ; et planum est ».

365. In § 2 huius canonis confirmatur ius vetus quod constitutum fuerat in saepius cit. Const. « Apostolicae Sedis », § 2, n. 16, 17. Ibi legitur n. 16 : « Communicantes cum excommunicato a Papa *in crimine criminoso*, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem ». Et n. 17 : « Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes ».

(1) Can. 2247, § 2 : « Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata ».

Dicitur: « Impendentes quodvis auxilium etc. ». In novo Codice, uti patet ex can. transcripto, non adhibentur verba Constitutionis « Ap. Sedis », « communicantes... *in crimine criminoso* »; sed potius declaratur id quod significat *praedicta* communicatio. Constitutio « Ap. Sedis » communicationem in crimine criminoso ita declaraverat: « ei scilicet impendendo auxilium vel favorem »; sed in novo Codice adduntur illa verba quibus apprime distinguitur communicatio cum vitando in crimine criminosa, a quacumque alia communicatione. Communicare enim cum vitando in crimine criminoso significat: *impendere eidem vitando quodvis auxilium vel favorem* **in delicto propter quod excommunicatus fuit.** Summus Pontifex Innocentius III qui in cap. 29, X, *de sententia excommunicationis*, *V, 39,* primus distinxit communicationem in crimine criminoso a qualibet alia communicatione, haec omnia in cit. capite ita optime declarat: « Nuper nobis tua discretio requisivit... Et utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem a simplici Sacerdote, vel Episcopi seu Archiepiscopi sit ab eis absolutio expetenda. Nos igitur inquisitioni tuae ex ordine respondemus... In secunda vero quaestione credimus distinguendum, an is qui nominatim excommunicato communicat, *scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem:* **aut alias** *in oratione vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo.* In primo quidem articulo, *cum talis communicet crimini, et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit:* ab eo vel eius Superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda: *cum facientem et consentientem par poena constringat.* In secundo vero casu a suo Episcopo vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere ».

Patet igitur ex dictis quod censuram huius canonis illi contrahunt qui cognoscentes ex. gr. Titium esse excommunicatum vitandum (1), ut puta ob furtum rerum sacrarum, eidem impen-

(1) Can. 2258, § 2: « Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1 »; S. C. S. Off., 4 iun. 1897.

dunt quodvis auxilium vel favorem in crimine furti, ne scilicet restituat res sacras seu ne recedat a contumacia. Haec cooperatio debet esse *graviter culpabilis*, nam : « ad incurrendam maiorem excommunicationem requiritur materia sufficiens ad peccatum mortale » (1). Praeterea debet esse *formalis;* idest quis debet cooperari crimini propter quod lata est excommunicatio ; hinc, uti docet Suarez : « Non satis erit favere ipsi personae, vel secundum se, vel in alio opere, licet inde ex accidente seu indirecte resultet excommunicatum fieri potentiorem aut animosiorem ad suum crimen continuandum » (2). Tandem requiritur ut quis participet in delicto iam patrato, secus excommunicatio nec intelligitur. « Praedictam excommunicationem (ita Bonacina) non incurri ab eo qui communicat in primo actu, propter quem criminosus principalis ligatur excommunicatione, in hoc enim casu, cum quo participat, nondum est excommunicatus; in cap. autem *Nuper* sermo est de participatione cum excommunicato » (3).

Additur in § 2 : « itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes ».

« Clerici » ; hinc haec censura afficit solos clericos, minime vero laicos, neque religiosos, dummodo hi nec primam tonsuram receperint (can. 108).

Dicitur : « scienter et sponte » ; hinc : « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit » ab hac censura (can. 2229, § 2).

Dicitur : « in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes ». Cl. Bucceroni declarans l. c. verba « et ipsos in officiis recipientes », scribit : « pars haec intelligitur ab auctoribus tanquam explicativa et determinativa prioris, ita ut communicatio in divinis, quae clericis sub poena excommunicationis reservatae interdicitur, illa sit tantum, qua nominatim excommunicatos a Papa admittunt ad divina officia obeunda. Hoc enim est recipere aliquem in divinis officiis. Ad ea autem

(1) Bonacina, *De Excomm.*, Disp. II, Quaest. II, Punct. VI, § 1, n. 9.
(2) Suarez, *De Censuris*, disp. 17, sect. 2, n. 6.
(3) Bonacina, op. cit. § 1 ; D'Annibale, l. c. n. 151 ; Sanch., l. VII, 48, 3.

obeunda, nemo potest admittere nisi qui aliquam in Ecclesia potestatem habeat » (1).

Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur *et a solis clericis fieri queunt;* can. 2256, n. 1. Quia igitur divina officia a solis clericis fieri queunt, plane omnino consequitur, excommunicatos de quibus agitur in secunda parte huius § 2, esse clericos. Hinc recte omnino scribit D'Annibale l. c. n. 152 : « ... posterior (scil. excommunicatio) non intelligitur, nisi clericus sit uterque; nempe et is qui excommunicatus fuit, et is qui cum illo communicat : nam divina officia nemo potest obire, nisi sit clericus; et ad ea obeunda nemo potest illos admittere, nisi qui aliquam in Ecclesia potestatem habeat; adeoque nisi et ipse clericus sit ».

366. Nunc nonnulla adnotanda sunt quoad § 3 qua ius vetus confirmatur (2). Uti patet ex can. transcripto, haec § 3 in duas partes dividitur; una coercet violantes interdicta localia, altera eos qui communicant in divinis cum excommunicatis, interdictis, suspensis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Et ad primos quod spectat, ut interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrant, necesse est ut celebrent vel celebrare faciant divina, ea nempe divina officia, quae ad normam can. 2256, n. 1, a solis clericis fieri queunt. Praeterea necesse est ut celebrent in loco utcumque interdicto, dummodo nominatim denuntiatus fuerit. Diximus: « utcumque interdicto » quia verba « in locis interdictis » intelligenda sunt non solum de interdicto locali generali, sed etiam de quocumque alio; proindeque comprehenduntur quaecumque loca, etiam particularia, interdicta; dummodo

(1) BUCCERONI, l. c. n. 71; vid. D'ANNIBALE, l. c. n. 152, not. 10; ibi : « Proinde si cum eo interfuerint, mortuo parentaverint, vel dederint sepulturam in loco sacro, si eum ad missam audiendam admiserint, etc., excommunicatio cessat (BONACINA, Disp. 2, Q. 5, P. 3, n. 3); et planum est, nam quasi laicus admittitur ».

(2) PIUS IX, const. « Apostolicae Sedis », 12 oct. 1869, § VI, n. 2; ibi : « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint ».

haec loca nominatim denuntiata fuerint. Notandum denique est, quod si haec fecerint diebus quibus licet seu melius ad normam canon. 2270, § 2, et can. 2271 et 2272, interdictum de quo in canone, cessat.

Altera pars huius § 3 ad eos pertinet, qui admittunt ad celebranda officia divina per censuram vetita, clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Verbum « admittentes » indicat *eos ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad celebranda officia divina;* ut puta parochi, rectores. Quare haec poena solos clericos tenet. « Unde (concludit Suaresius, De Cens. d. 37, s. 1) si religiosus recipiat Sacramentum a persona excommunicata alioquie celebrante... non videtur hanc poenam incurrere, quia ipse proprie non admittit, quamvis cooperetur: secus vero est, si religiosus scienter ministret sacramentum excommunicato denunciato: nam qui ministrat, vere admittit alium ad usum sacramentorum ».

Dicitur: « post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ». Non igitur contrahunt hoc interdictum admittentes clericos excommunicatos, interdictos, vel suspensos quoscumque, sed admittentes illos contra quos lata fuit sententia declaratoria vel condemnatoria.

Dicitur: « donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint »; idest absolutio huius interdicti ad eum pertinet, qui locum interdixit, vel sententiam declaratoriam aut condemnatoriam tulit contra illum qui admissus fuit ad divina officia celebranda per censuram vetita.

Denique notetur quod verbum « scienter » initio positum afficit tum celebrantes vel celebrari facientes, tum etiam admittentes; atque ideo ipsos omnes eximit ab hac poena quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis; can. 2229, § 2.

Tandem edicitur in § 4 quod illi qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti, et consequenter praescripto can. 2275 adstringuntur (1).

(1) C. 24, *de sententia excomm. suspens. et interdicti*, V, II, in VI.

Mandantes seu cogentes tradi eccles. sepulturae indignos contra can. 1240 § 1.

CAN. 2339. — Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240 § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum.

367. 1° « Qui ausi fuerint »; igitur ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur, ut quis sciens volens audeat mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles etc. contra praescriptum can. 1240, § 1; adeoque nedum excusat quaevis ignorantia seu facti, seu iuris, dummodo non fuerit affectata, sed etiam omnes causae minuentes imputabilitatem ad normam can. 2229, § 2. Veteri iure non excusabat ignorantia crassa vel supina; nam dicebatur « mandantes seu cogentes etc. » (1).

2° « mandare seu cogere ». *Mandare* heic est praecipere, iubere, imperare rem fieri. Hinc *nomine mandantium heic veniunt* ex subiecta materia illi, *qui pollent publica auctoritate. Cogere* est compellere vi adhibita aut metu gravi. Huc igitur spectant illi qui per vim seu metum gravem compellunt sepelire infideles etc. contra praescriptum can. 1240, § 1. Recte scribit ad rem cl. Bucceroni: « *Mandantes seu cogentes*, ex subiecta materia videntur restringendi ad mandantes seu cogentes publica potestate seu vi. Agitur enim de publica et communi sepultura » (2). Cogitur *invitus, repugnans*; unde si quis pecunia, precibus, promissionibus parochum induxerit ad tradendam ecclesiasticam sepulturam infidelibus etc., huic censurae non subiicitur. Praeter mandantes et cogentes, haec censura neminem ferit, *nec sepelientes*, nec simpliciter admittentes ad ecclesiasticam sepulturam (3).

3° « tradi ecclesiasticae sepulturae ». « Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis »; can. 1204 (4).

(1) PIUS IX, const. « *Apostolicae Sedis* », 12 oct. 1869, § IV, n. 1; ibi: « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos ».

(2) BUCCERONI, l. c. n. 84; HILARIUS A SEXTEN, l. c. p. 223.

(3) BUCCERONI, l. c.

(4) Rituale Rom., tit, VI, c. 3, *Exsequiarum ordo*.

Sequitur proinde ex hoc canone quod *sepultura ecclesiastica duobus constat, ritu catholico, et loco sacro.* Exinde nonnulli Doctores recentiores (1) deducunt, solam cadaveris depositionem in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis, haud sufficere ad hanc excommunicationem incurrendam. Attamen cum hic canon ius vetus confirmet, cumque ad normam can. 6, n. 2, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sit aestimandus, retinendam esse censemus sententiam veterum Doctorum, qui docent contrahi excommunicationem, etsi nullo ritu sacro adhibito defunctus fuerit sepultus in loco sacro; quia vera ecclesiastica sepultura donatur, qui in loco sacro sepelitur (2). Recte proinde scribit cl. Pighi l. c.: « Quandoque tamen usu etiam ecclesiastico ea accipitur sensu limitato pro tertio tantum elemento; adeo ut nomine sepulturae ecclesiasticae veniat cadaveris depositio *in loco legitime deputato* fidelibus defunctis condendis... Ad praesentem excommunicationem requiritur; quod alicuius e praedictis cadaver *sepulturae ecclesiasticae tradatur*, h. e., in tumulo condendis fidelibus legitime deputato sepeliatur » (3).

Locus legitime deputatus est coemeterium benedictum secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos; can. 1206; 1242. Si quis igitur sepeliatur in loco clauso et custodito, sed non benedicto, ad normam can. 1212, excommunicatio non incurritur.

Notetur quod audentes *mandare seu cogere* etc. excommunicationem non incurrunt, nisi post sepulturam traditam (4).

4° « infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum

(1) Cappello, l. c. n. 137; Cerato, l. c. n. 64. *e.*

(2) D'Annibale, l. c. n. 167; Bucceroni l. c. n. 84; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 224; ibi: « Oportet ergo sepulturam esse ecclesiasticam, quae **duobus constat,** *loco sacro et ritu catholico,* ut patet ex Rituali Romano. Sed etsi nullo ritu sacro adhibito defunctus fuerit sepultus in loco sacro, *censura incurritur,* quia vera ecclesiastica sepultura donatur, qui in loco sacro sepelitur ».

(3) Pighi, l. c. n. 81.

(4) D'Annibale, l. c. n. 167; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 225; Bucceroni, l. c. n. 84.

can. 1240, § 1 ». Iamvero in cit. can. edicitur: « **Ecclesiastica sepultura privantur**, *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:*

1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti;

2° Excommunicati vel interdicti *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;*

3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio;

4° Mortui in duello aut ex vulnere inde recepto;

5° Qui mandaverint suum corpus cremationi tradi;

6° Alii peccatores publici et manifesti ».

368. Denique additur: « sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum » (1). Hoc interdictum solos clericos tenet, illos nempe ad quos spectat sepulturam donare; hinc alii clerici qui, more laicorum funus comitantur, non tenentur hoc interdicto (2). Donantes vero sepulturam excusat quivis metus, aut coactio; nam dicitur « *sponte* donantes »; proindeque ad normam can. 2229, § 2, omnes causae imputabilitatem minuentes excusant ab hoc interdicto. Dicitur: « interdictum ab ingressu ecclesiae ». Quid sit huiusmodi interdictum et quinam sint eiusdem effectus, iam scimus ex iis quae diximus supra n. 246 et seq. explanantes can. 2277.

Insordescentes per annum in excom. vel in suspensione per semestre perseverantes.

CAN. 2340. — § 1. Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus.

§ 2. Si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat.

369. Suspicio de haeresi a DD. recensetur inter effectus remotos seu extraordinarios excommunicationis. Cl. Wernz l. c.

(1) PIUS IX, const. « Apostolicae Sedis », 12 oct. 1869, § VI, n. 2; ibi: « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure interdictis; *aut nominatim excommunicatos* ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel *ecclesiasticam sepulturam admittentes*, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint ».

(2) D'ANNIBALE, l. c. n. 220.

scribit: « Praeter ordinarios effectus excommunicationis huc usque recensitos, sunt alii quidam effectus extraordinarii, si excommunicatus in contumacia sua perseveret, sive ut dici solet, insordescat v. g... *suspicio de haeresi*... ». Concinunt, praeter alios, cl. Santi et De Angelis in tit. *De sententia excomm.*, quorum prior, exponens effectus remotos excommunicationis, scribit: « 2° *Suspicio de haeresi*, si quis per annum insorduerit in ea, *idest non curaverit absolvi* ». Et ratio est, quia ille qui toto anno in excommunicatione contumaciter persistit seu insordescit, praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae, dum nihil curat tum de censuris ab ipsa latis, tum de Sacramentis, quae contra Ecclesiae praecepta de annua eorum susceptione, ab eo omittuntur (1). Merito proinde in hoc canone sancitur id quod etiam Patres S. Concilii Tridentini constituerant in cap. 3, sess. 25, de ref. ubi legitur: « Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed *si obdurato animo* censuris annexus *in illis per annum insorduerit*, etiam contra eum *tanquam de haeresi suspectum* procedi possit » (2).

370. Praeterea ex § 2 huius canonis si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, idest a contumacia non recesserit, graviter monendus est ut resipiscat et ad bonam frugem redeat. Quod si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit et monitioni non obtemperaverit, privari debet, per sententiam iudicis condemnatoriam, beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat. Hanc poenam privationis beneficii, aut officii contra clericos perseverantes in censura suspensionis iam statuerat Coelestinus III in cap. 8, X, *de aetate et qualitate, et ordine praeficiendorum*, I, 14. Legitur enim in cit. cap.: « Respondemus, quod *non licet eis illa*, quae habuerunt beneficia, vel quae postmodum sunt adepti, *aliquatenus*

(1) Bonacina, *De censuris*, Disp. 2, q. 2, n. 2; Suarez, *De Censur.* Disp. 17, sect. 1, n. 6; S. Alph, l. c. n. 157.

(2) Cap. 13, X, *de poenis*, V, 37; ibi: « ... idem per duos annos et amplius in excommunicatione persistens, iuri parere pertinaciter renuit, *claves Ecclesiae contemnendo. Licet igitur huiusmodi pertinacia non careat scrupulo haereticae pravitatis:* volentes tamen nobilitati parcere etc. ».

retinere. Unde Baranen. Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia, et contemptu Apostolico, beneficiis quae habent, non differat spoliare » (1).

Poenae contra violantes privilegium fori.

CAN. 2341. — Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex supremis religionum iuris Pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur.

Ius vetus.

371. In capite 2, *de foro competenti*, statuta fuerat excommunicatio ferendae sententiae in iudices saeculares, iudicare et condemnare praesumentes, Clericos in causis tam contentiosis quam criminalibus (2). Postea vero ex Const. Martini V « *Ad reprimenda* », 1 febr. 1428, § 3, 4, excommunicatio incurrebatur ipso facto et erat Romano Pontifici reservata. Deinde huiusmodi excommunicatio renovata fuit in Bulla die Coenae Domini legi solita, §§ 15, 17 et 19. Anno vero 1869 in Const. « Apostolicae Sedis », § 1, n. 7, statuta fuit excommunicatio latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata contra: « Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones ». Cumque inter scriptores qui in praedictam Constitutionem « *Ap. Sedis* » commentaria confecerunt, magna orta esset controversia de sensu et germana horum verborum intelligentia, utrum nempe verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significarentur, S. C. S. Off. die 23 ian. 1886 declaravit: « Caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes, sive directe sive indirecte, iudices

(1) Hoc caput ita summatur: « *Qui steterit per annum in suspensione,* privatur beneficio, quod prius habebat, et quod interim acquisivit ».

(2) C. 2, 12, X, de foro competenti, II, 2.

laicos, ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones ». Praeterea laudata S. Congr. addidit: « Ceterum in iis locis in quibus fori privilegium per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, *tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere* ut clericos in forum laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopus autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverit » (1).

Tandem S. Pontifex Pius X, Motu proprio « Quantavis diligentia », d. 9 oct. 1911, edixit, nomine cogentium venire nedum publicas, sed etiam privatas personas. Legitur enim in cit. Motu proprio: « Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: *quicumque privatorum*, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, **eos etiam omnes**, in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere » (2).

372. Hisce adnotatis quoad ius vetus, *nunc breviter declarabimus ius noviter constitutum.* Ius novum.

Dicitur 1°: « Si quis contra praescriptum can. 120 ». Iamvero in hoc canone statuitur:

« § 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticam conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.

(1) S. C. S. Off. instr. (ad Vic. Ap. Myssurien.) 1 febr. 1871, n. 1, ibi: « ... attendere debes verbum *cogentes* quod sane indicat excommunicationem eos non attingere qui subordinati sunt, etiamsi iudices fuerint, sed in eos tantum esse latam qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt ».

(2) Acta Apost. Sedis, an. 3, vol. 3, pag. 555.

« § 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit (1).

§ 3. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit ».

Nulla proinde incurritur excommunicatio ab illo qui trahit aliquam ex personis recensitis in can. 2341, ex venia Sedis Apostolicae vel Ordinarii loci in quo causa peragitur, vel agatur de locis in quibus per Concordatum permittatur laicis convenire clericos apud laicum tribunal, vel denique agatur de clerico degradato vel de clerico perpetuo privato iure deferendi habitum ecclesiasticum; can. 2304 et 2305. Vide etiam can. 123 et 213, § 1.

Dicitur 2°: « ausus fuerit ». Haec verba plenam cognitionem ac deliberationem exigunt: igitur, ad normam can. 2229, § 2, excusat ignorantia etiam crassa vel supina, et quaelibet causa minuens imputabilitatem sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis.

Dicitur 3°: « ad iudicem laicum trahere » (2). *Nomine tra-*

(1) Notetur monitum quo Ordinarii loci invitantur ad experiendam litium pacificam solutionem, antequam sinant clericum rapi ad iudicem laicum. Hinc Ordinarii locorum conentur laico persuadere, ut per transactionem vel per compromissum in arbitros ad normam can. 1925-1932, suis iuribus consulant adversus clericum.

(2) Disputant DD. an subiiciatur censuris huius can. ille qui audet trahere ad *iudicem conciliatorem* aliquam ex personis in hoc canone recensitis. Et affirmative respondendum est, si iudex conciliator vi iurisdictionis contentiosae vocet ad suum tribunal personam ecclesiasticam per iuridicam citationem (art. 132 C. P. C.). Et ratio est quia qui convenitur, vere trahitur ad iudicium subeundum sub poena sententiae condemnatoriae in contumacia ad normam art. 400 C. P. C. — Sed e contra nulla contrahitur censura, si iudex conciliator vi iurisdictionis voluntariae vocet personam ecclesiasticam

hentium, heic veniunt, non legislatores, aut aliae auctoritates, uti prius in Const. « Apostolicae Sedis »; isti enim censura excommunicationis innodantur ex can. 2334; sed *veniunt Actores*, idest actionem contra personam ecclesiasticam in tribunali laicorum intentantes. Porro ad iudicem trahere, in ius trahere, in ius vocare, in iudicium vocare, significat aliquem trahere *ut reum*. non autem vocare uti testem. Et ita evanescit controversia quae, ante novum Codicem, acriter inter DD. agitabatur, an scilicet plecteretur excommunicatione ille qui clericum ut testem, in foro laicorum adesse cogeret (1).

Dicitur 4°: « aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae etc. ». Uti quisque videt, alia poena plectuntur trahentes ad iudicem laicum aliquem ex Cardinalibus vel Legatis Sedis Apost., vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium; alia, trahentes alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus; alia, demum, trahentes quamlibet aliam personam privilegio fori fruentem. Et iure meritòque; etenim in poenis decernendis servanda est aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; can. 2218. Quia igitur quo maior est dignitas personae cui infertur iniuria, eo maior ostenditur in delinquente mentis perversitas ac legis contemptus (2), ideoque maior habetur ordinis socialis perturbatio seu scandalum, hinc in violantes privilegium fori gravior vel levior poena constituta est, pro maiore vel minore dignitate personarum, quae ad iudicem laicum trahuntur contra praescriptum can. 120.

Superfluum ducimus heic declarare quinam sint Cardinales

---

per simplicem notificationem (avviso) ad normam art. 3, 4, 5 C. P. C. ita ut ipsa comparere non teneatur coram iudice. — Vid. ephem. *Civiltà Cattolica*, fasc. 1602, 10 mart. 1917, pag. 719 sq.; ephem. *Monitore ecclesiastico*, vol. 23, pag. 506; Cerato, l. c. n. 80; Cappello, l. c. n. 93, not. 1.

(1) De hac controversia vid. ephem. *Il Monitore ecclesiastico*, vol. 23, p. 503 sq.; Vermeersch, Period. *de Religiosis*, t. 6, pag. 108; Ferreres, *Razón y Fe*, t. 32, pag. 100.

(2) Vid. supra num. 39.

vel Legati Sedis Apostolicae, vel maiores religionum iuris pontificii Superiores (1).

Ad Officiales maiores Romanae Curiae quod spectat, animadvertendum est, *inter maiores Officiales recenseri Secretarios vel Assessores et Subsecretarios vel Substitutos, eosque omnes ad quos* in SS. Congregationibus, Tribunalibus, et Officiis quibus Romana Curia constituitur, quovis nomine, *moderatio Officii a secretis proxime spectat,* ut est n. 2°, cap. I. Norm. comm. (2). Quapropter ceteri omnes administri, nempe adiutores studii, scriptores, illi qui dant operam tabulis conficiendis vel tabulario addicti sunt, necnon ratiocinatores ac distributores, inter officiales minores recensentur.

Notetur etiam quod si Officiales maiores Romanae Curiae traherentur ad iudicem laicum, non ob negotia ad eorum munus pertinentia, sed ob alia negotia propria, tunc ipsos trahentes, alia poena plecterentur, idest vel excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata, vel suspensione ab officio reservata Ordinario, prout nempe laudati Officiales in episcopali dignitate essent constituti vel minus.

(1) Nomine Superiorum *maiorum veniunt:* « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad Monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes »; can. 488, 8°. — Religiones sunt *iuris pontificii,* si approbationem vel saltem laudis decretum ab Ap. Sede consecutae sunt; can. 488, 3.

(2) Ordo servandus in S. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae, 29 iun. 1908. Pars II, Normae peculiares, cap. VI, n. 1.

CAN. 2342. — Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservatae:

Violantes clausuram:

1° Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum;

1) monialium;

2° Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva.

2) regularium virorum.

3° Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum canon. 601.

Moniales e clausura exeuntes contra c. 601.

373. Hic canon fere ex integro refert ius vetus quod in Constitutione « Apostolicae Sedis » fuerat constitutum (1).

Dicitur 1°: « Clausuram monialium violantes ».

Clausuram (2), idest papalem, quae ex praescripto can. 597 servanda est: « in domibus regularium sive virorum sive mu'ierum canonice constitutis, etiam non formatis. § 2. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet.

(1) PIUS IX, const. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, § 2; n. 6, 7; ibi n. 6: « Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V, in const. *Decori* praescriptam ». Et n. 7: « Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes ».

(2) Clausura Monialium (quam Bonif. VIII invexit, Trident. auxit, S. Pius V perfecit) haec est, ut nullus ea septa ingredi, nulla Monialis eis excedere possit. D'ANNIB. l. c. n. 123. Ante saeculum XIII non semper, nec ubique eadem fuit circa clausuram sacrarum virginum disciplina, neque extitit aliqua generalis Ecclesiae lex omnibus indifferenter monialibus clausuram perpetuam praecipiens. Id praestitit Bonifacius VIII constitutione, quae refertur in cap. unico, *de statu regularium*, III, 16, in VI°. Hanc constitutionem renovarunt primum Patres Tridentini in cap. 5, sess. XXV, *de regularibus*, deinde Romani Pontifices S. PIUS V in const. « Decori et honestati » 1 febr. 1570; GREG. XIII in const. « Deo sacris » 30 dec. 1572; et BENED. XIV in const. « Salutari » 3 ian. 1742; cf. SEBASTIANELLI, op. cit. n. 356.

§ 3. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur. Superioris vero maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare ».

« Clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum » ; can. 602.

« Monialium » ; idest religiosarum, quae *vota solemnia* nuncupant (1).

« Violantes » ; idest, uti habetur in ipso canone « in earum monasteria sine legitima licentia *ingrediendo*, pariterque eos *introducentes* vel *admittentes* ».

« Ingrediendo ». Ingredi est intus ire, aut consistere, et non tantum pedem intus ponere (2). *Nomine ingredientium veniunt omnes indiscriminatim ;* etenim additur « *cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint,* in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo ». Haec verba optime evolvuntur ac declarantur in can. 600, quo statuitur : « Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur :

1° Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus, vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur ;

2° Confessarius vel qui eius vices gerit potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus ;

3° Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent

(1) « In praesenti Ecclesiae disciplina clausurae observantia adeo connexa est cum vero, proprieque dicto statu sanctimonialium, ut quamvis extare possit cum clausura pontificia Monasterium, in quo eduntur tantum vota simplicia, non concipitur tamen consistere cum votis solemnibus, quin ibidem obtineat pontificia clausura... Haec doctrina adeo certa est, ut eo ipso, quod in aliquo Monasterio pontificia clausura non inveniatur, statim inferatur vota, quae ibidem emittuntur, non esse solemnia ». SEBASTIANELLI, l. c. n. 356.

(2) Can. 2242, § 1. D'ANNIB., l. c. ; BUCCERONI, l. c. n. 51.

populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; itemque S. R. E. Cardinales;

4° Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur.

Dicitur 2°: « Pariterque *eos* introducentes vel admittentes ». *Eos,* nempe *violantes.*

« Introducentes ». *Introducere est intus ducere*, v. gr. ianuam aperiendo, invitando etc.; quamobrem excommunicationem non contrahunt stantes extra septa, si ingredientibus operam praestant.

« Vel admittentes ». *Admittere est, extraneum ad se recipere,* quod proprie eius est, qui dimittere potest; adeoque admittentes sunt recipientes, qui ingressum non prohibent, cum possint ac debeant *ex officio*, nempe *Praefectae* et Ostiariae (1).

Additur 3°: « quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum ». Agitur de suspensione ferendae sententiae *ab officio et beneficio,* quae ab Ordinario infligenda est uti poena vindicativa (V. can. 2278 et 2255, § 2). Etenim proprium censurae est ut infligatur ad tempus indeterminatum, idest donec delinquens recedat a contumacia (V. can. 2241, § 1, 2248, § 2); sed in casu agitur de suspensione infligenda « *per tempus* » pro gravitate culpae ab Ordinario *definiendum.*

374. Praeterea ex n. 3° h. can. 2342 hanc excomunicationem contrahunt: « *Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601* ».

« Moniales »; idest votorum sollemnium. Tenentur tamen hac excommunicatione nedum mulieres quae ad normam can. 574, § 1, votorum simplicium professionem ad triennium valituram sollemnibus praemiserint; sed etiam adspirantes quae « dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur »; canon. 540, § 3.

« E clausura illegitime exeuntes ». Quia dicitur exire, in-

(1) D'Annibale, l. c. n. 123; Bucceroni, l. c.

telligendum est toto corpore extra septa egredi. Hinc « graviter violatur clausura e. g. si monialis per fenestram extra murum se suspendat; si collocans se in rota, hanc ad externam partem patentem convertat; si ascendat arborem qua parte muros clausurae praetergreditur, ut totum eius corpus extra clausuram sit; vel si ingrediatur exteriorem monasterii ecclesiam; si adeat aedes monasterio contiguas, ubi habitant feminae Monialium servitio addictae; item Monialis in tecto monasterii stans aut sedens aut ambulans, clausuram violat, quia externum tectum extra clausuram est, ut declaravit S. Congr. » (1).

Disputant DD. an in egressu (et in ingressu) clausurae detur parvitas materiae. S. Alphonsus cum aliis negat; attamen non detrahit probabilitati contrariae sententiae. Quia versamur in odiosis, quod minimum est tenemus (2).

« Illegitime »; idest « contra praescriptum can. 601 ». Iamvero in cit. can. statuitur: « § 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. § 2. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario » (3). Patet igitur ex hoc canone quod sine speciali Sanctae Sedis indulto obtinendo per organum S. Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, monialis non potest exire e monasterio quin contrahat excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. Excipitur tamen casus imminentis periculi, ut puta incendii, aquarum inundationis, ruinae monasterii.

« Vel alius gravissimi mali »; veluti hostium impetus, la-

(1) Ita HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 188.

(2) LA CROIX, lib. I, n. 673; FERRARIS, Bibliotheca etc., v. *Moniales*, art. 3, n. 12 sq; HILARIUS A SEXTEN, l. c.; BUCCERONI, l. c. n. 51 in fin.

(3) Hic canon 601 transcriptus fuit ex Conc. Trid. sess. XXV, cap. 5, *de Regularibus et Monialibus;* ibi: « Nemini autem sactimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus ». Vid. etiam c. un., *de statu regularium*, III, 16, in VI°. De hoc capite legitur in cit. c. 5, sess. XXV, Conc. Trid.: « Bonifacii octavi constitutionem, quae incipit: *Periculoso*, renovans sancta synodus etc. ».

tronum incursus (1). Periculum vero, ad evitandas hallucinationes omnesque dubietates auferendas, scripto recognoscendum est a loci Ordinario (2), etsi agatur de monasteriis subiectis Superioribus regularibus. Legitur in can. 601, § 2 « si tempus suppetat ». Et planum est; nam si periculum est in mora, nec ob locorum distantiam possit Ordinarius loci consuli, tunc moniales in necessitate et periculo constitutae, possunt e monasterio exire, quamvis post egressum teneantur quamprimum Superiori rem significare; vid. can. 600, § 4.

375. Sub n. 2° can. 2342 sancitur praescriptum can. 598 quo mulieribus interdicitur ingressus intra regularium virorum clausuram (3).

Dicitur: « Mulieres ». *Clausura virorum regularium mitiori lege regitur quam clausura monialium.* Et ideo dum sub n. 1° huius canonis plectuntur censura excommunicationis « clausuram monialium *violantes* », idest omnes indiscriminatim, sive mares sive feminae; e contra sub n. 2° coercentur censura tantummodo mulieres. Huic igitur excommunicationi *non subiacent viri,* sed dumtaxat feminae, quae omnes generatim comprehenduntur, salvis exceptionibus de quibus in can. 598, § 2. In hoc can. statuitur: « § 1. Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu. § 2. Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu ».

Notandum vero est quod quamvis in hoc can. 598 addantur verba « cuiusvis aetatis », tamen nonnisi puberes huic censurae subiiciuntur; can. 88, § 2, et can. 2230. Et hoc pariter dicendum est de violantibus clausuram monialium. Etenim sub n. 1° can. 2343, secus ac in Const. « Apostolicae Sedis » factum fuerat, omittuntur verba " cuiuscumque... aetatis „. Consequenter licet impuberes violantes clausuram gravi non vacent, uti probatur

(1) S. Pius V in const. « Decori » tres dumtaxat enumerat causas ob quas moniales egredi possunt e monasterio; idest magnum incendium, infirmitatem leprae et epidemiam. Vid. Barbosa, lib. I, cap. 44; Sebastianelli, l. c. n. 357.

(2) Vid. can. 198.

(3) Const. « Apostolicae Sedis », § II, n. 7; ibi: « Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes ».

ex can. 598, § 1 et 600, n. 1°, excommunicationi tamen non sunt obnoxii. Optime scribit ad rem Card. Lega l. c. n. 42: « *Ingredientes* nempe foeminas etsi fatuas aut sui non compotes, **tamen puberes**, licet *impuberes culpa non vacent*. — Nam censura, si nihil aliud exprimatur, prout cautum est in art. praecedenti per dictionem " cuiuscumque aetatis „ , non fertur in impuberes » (1).

« Violantes »; idest ingrediendo, etiam eo tempore quo nullus religiosus intus sit; hoc enim per accidens fit (2). Ceterum expresse id fuit declaratum a S. Pio V, const. « Decet », 16 iul. 1570.

« Regularium virorum clausuram ». Regulares heic accipimus, qui sollemnia nuncupant vota; minime vero qui Religiosis Congregationibus sunt adlecti; can. 488, n. 2° et 7°. — *De clausura* recolantur quae superius n. 373 dicta sunt.

« Et Superiores aliique, quicumque ii sint... introducentes vel admittentes ». Haec verba latissime patent; adeoque hac censura omnes coercentur, sive sint Superiores sive inferiores, sive clerici sive laici, idest conversi, professi aut novitii seu postulantes sodales religiosi vel extranei monasterio.

« Introducentes vel admittentes ». In veteri iure (3) dicebatur tantummodo: « eas admittentes ». Sed quia admittere domesticorum est, exinde DD. inferebant, excommunicationem non tenere extraneos. Hinc D'Annibale, l. c. n. 128, declarans verbum « admittentes » scribit: « nempe foeminas huiusmodi, quamvis fatuas et mentis impotes; lex non distinguit. Porro *admittere* domesticorum est: *ideo excommunicatio non tenet extraneos admittentes*, quos nec antea tenebat, sed tantum coenobii Abbates, Priores, etc., monachi, fratres, etc., ut antea, et planum est ex hac ipsa Const. nostra » (4). *Nunc* vero Legislator addidit verbum « introducentes », quo fit ut *extranei* admittentes vel introducentes mulierem in alienum monasterium, *non amplius*, uti antea, *effugiant excommunicationem*.

Dicitur: « eas cuiuscumque aetatis ». Hinc introducentes

(1) Can. 2230; ibi: « Impuberes excusantur a poenis latae sententiae ».

(2) D'ANNIBALE, l. c. n. 128; BUCCERONI, l. c. n. 57; HILARIUS A SEXTEN, l. c. p. 195,

(3) V. supra n. 373, not. 1.

(4) Vid. HILAR. A SEXTEN, l. c. pag. 196; ibi: « ... unde censuram non incurrit, qui mulierem in alienum monasterium introducit vel admittit ».

vel admittentes mulieres, etiam impuberes, etiam nondum septennes, excommunicationem incurrunt » (1).

Denique additur : « et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva ».

Agitur de poenis *ferendae sententiae*, quae conceptae sunt verbis praeceptivis, ideoque ordinario infligendae sunt, quoties constiterit de crimine consummato, ad normam can. 2223 De poenis quibus ante novum Codicem plectebantur admittentes mulieres in monasterium, haec scribit Hilarius a Sexten : « Praeter excommunicationem, ipsi Superiores et Religiosi omnes solemniter professi, qui mulieres introducere vel admittere praesumerent, ipso facto poenam incurrunt privationis officiorum, et inhabilitatis ad illa, necnon suspensionem a divinis; patet ex Const. S. Pii V, quas poenas Gregorius XIII, et Benedictus XIV confirmarunt (2).

Poenae in violantes privilegium canonis.

CAN. 2343. — § 1. Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit :

1° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam ; et est ipso facto vitandus;

2° Est ipso iure infamis ;

3° Clericus est degradandus.

§ 2. Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis:

1° In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ;

2° Est ipso iure infamis ;

3° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.

§ 3. Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.

§ 4. Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat

Ius vetus.

376. In canone supra transcripto coercentur violatores privilegii *canonis*, et graviores poenae in ipsos decernuntur pro

(1) D'Annibale, l. c. n. 128, not. 9 ; Cappello, l. c. n. 114 ; Pighi, l. c. n. 51 ; Cerato, l. c. n.

(2) Card. Lega, l. c. n. 42 : « Ex Bulla Gregorii XIV *Ubi gratiae*, admittentes incurrunt, eo ipso privationem beneficiorum suorum et ad eadem inhabilitatem, sed post editam sententiam declaratoriam. Et hae poenae adhuc vigent ». Cf. D'Annibale, l. c. n. 128, not. 10.

diversis gradibus et muneribus Clericorum quibus infertur iniuria. *Privilegium canonis,* sic dictum ex canone 15, Conc. Lateran. II, celebr. sub Innocentio II an. 1139, consistit in hoc, ut quicumque in personam clerici vel religiosi utriusque sexus manus violentas iniecerit, ipso facto innodetur censura excommunicationis (1).

Summi Pontifices Alexander III (2), Innocentius III (3) et Bonifacius VIII (4), non interpretantes Canonem Lateranensem, sed, iuxta veriorem sententiam, novum ius condentes (5), excommunicationi latae in percussores Clericorum obnoxios esse edixerunt, et mandantes, et non prohibentes et ratam habentes violentam manuum iniectionem in Clericos. Martinus V in sua celebri Const. « Ad evitanda scandala » edixit, percussores Clericorum, si facti notorietate publici existerent, inter excommunicatos vitandos esse recensendos, dummodo haec publica percussio non posset aliqua tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari.

S. Pontifex Pius IX in Const. « Apost. Sedis » § 11, n. 2, solum Canonem Later. conservavit et ipsum fere iisdem verbis inseruit, statuens excommunicationi latae sententiae R. Pontifici reservatae subiacere : « Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos ». Quibus verbis, uti recte observat cl. Sebastianelli l. c. n. 13, S. Pontifex Pius IX videtur reduxisse privilegium canonis ad primitivam originem, i. e. ad formam Conc. Lateranensis II. In praefato can. 15 relato a Gratiano in can. 29, caus. 17, q. 4 legitur : « Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel

(1) Cfr. Sebastianelli, l. c. n. 12; ibi : « Exinde natum clericorum privilegium, quod ab allegato canone Concilii Lateranensis privilegium *canonis* est appellatum ».

(2) Cap. 6, X, de sententia excommunicationis, V. 39.

(3) Cap. 47, X, de sententia excommunicationis, V, 39.

(4) Cap. 23, de sententia excommunicationis, V, XI, in VI°.

(5) D'Annibale, l. c. n. 111, not. 29; ibi : « Itaque Alexander III, et Bonifacius VIII, quum excommunicationi latae in *percussores* Clericorum obnoxios esse censuerunt et *mandantes* et *ratum habentes*, non interpretati sunt Canonem Lateran., sed novum ius condiderunt. Quod et Suar., innuit 22, 1, 55; 47, 3, 26; et Pirhin., docet 1, 2, 101. — V. Sebastianelli, l. c. num. 13.

monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur; et eius mandatum suscipiat ».

Notandum pariter est quod S. Pontifex Pius IX in Const. « Apost. Sedis » § 1, n. 5, excommunicationi *latae sententiae speciali modo* Romano Pontifici reservatae subiectos voluit: « omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem ».

Ius novum.

377. *Nunc in novo Codice ea quae constituta fuerant in laudata Const.* « Apost. Sedis », § 1, n. 5, et § 11, n. 2, *melius evolvuntur ac determinantur.* Cumque pro maiore dignitate personae quae delicto offenditur augeatur delictum; can. 2207, 1, ([1]); et ex praescripto can. 2218 aequa servanda sit proportio inter poenam et delictum, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; merito in hoc canone gravioribus vel levioribus poenis animadvertitur in violatores privilegii canonis, pro diversis gradibus et muneribus Clericorum quibus realis infertur iniuria. Satis igitur erit, ad hunc canonem rite intelligendum, diligenter perpendere *in quo consistit violenta manuum iniectio.*

Qui violentas manus iniecerit:

Dicitur: « Qui violentas manus... iniecerit ». *Violentas manus iniicere* intelligimus, quoties in *personam, non verbis, sed factis* fit iniuria. *In personam vero iniuria fieri intelligitur, si laedatur sive corpus, sive libertas, sive dignitas.* Laeditur corpus, percutiendo, vulnerando, etc.; libertas vero laeditur, si quis clericum in carcerem detrudat vel alium locum, etiam privatum; laeditur dignitas, si quis clerico vim utcumque inferat, ex. gr. sistat rhedam, qua vehitur, vel equum quo insidet; vel violenter illi detrahat pileum, vel baculum, aut quidpiam aliud contumeliosum in ipsum admittat, ut puta si sputo, pulvere, luto eum foedet, si vestes, quibus indutus est, conscindat etc. Ergo concludit D'Annibale l. c., excommunicatio cessat si, aut *non re*

([1]) V. supra num. 39.

facta sit iniuria, sed verbis, ex. gr. si contumeliam dixeris, si minis terrueris, coegeris: **aut** *re,* sed non *in personam* sit facta, veluti calumniando, clam aliquid surripiendo etc. « Recte notant DD. (ita S. Alphonsus n. 273) quod semper ac percussio existimetur graviter iniuriosa, ratione reverentiae clerico debitae, sufficiet ad censuram quaevis percussio levis, etiam si levissimus tactus physicus intercedat ». Quod profecto si valet pro omnibus clericis indiscriminatim sumptis, eo vel magis uti verum omnino retinendum est, quando agitur de illis clericis qui in episcopali vel cardinalitia dignitate constituti sunt, vel de ipso Summo Pontifice qui est B. Petri Successor et verus Christi Vicarius. Manuum iniectio non censetur iniuriosa, si quis clericum percutiat, putans ipsum esse laicum (1), vel ioco, vel iustae defensionis causa (2), vel corrigendi gratia (3).

Omissa fuit in novo iure phrasis iam obsoleta « suadente diabolo ». Et merito quidem; etenim haec phrasis « suadente diabolo », tantum importat percussionem cum peccato gravi (4). « Haec verba non important scientiam formalem censurae, sed tantum peccati ». Ita S. Alph. n. 48. « Si autem peccatum sit grave in specie hic prohibita, erit sufficiens causa huius censurae: *tale enim delictum* semper suggestione daemonis fieri praesumitur, nec per illa verba aliqua specialis circumstantia illius delicti denotatur » (5).

378. Hisce declaratis, nunc nonnulla breviter adnotanda sunt *quoad poenas quibus plectitur violenta manuum iniectio.*

(1) C. 4, X, de sententia excommunicationis, V, 39; ibi: « Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui, *nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit* ».

(2) C. 3, X, de sent. excomm., V, 39; ibi: « Si vero Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat vel laedat, non debet propter hoc ad Sedem Apost. transmitti, si in continenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant ».

(3) C. 54, § 2, et c. 10, X, de sent. excomm., V, 39. Praeceptores, superiores (C. 10, Eod.), eoque magis parentes (S. Alph. VII 575), etsi constitutum in sacris percusserint, excusantur. V. D'ANNIBALE, l. c. n. 110, not. 21.

(4) S. ALPH., n. 275.

(5) SUAREZ, de censuris, D. 22, S. 1, n. 2; SCHMALZGR. in tit. de sent. exc. n. 228.

Et in primis ex § 1 canonis supra transcripti: « Qui violentas manus *in personam Romani Pontificis iniecerit:* 1° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatam; et est ipso facto vitandus. 2° Est ipso iure infamis. 3° Clericus est degradandus. *a*) in personam R. Pontificis;

Regulariter ad normam can. 2258, § 2: « Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere » (1). E contra ille qui violentas manus iniecerit in personam R. P., etiam hisce omnibus praetermissis, est vitandus, ideoque subest omnibus excommunicationis effectibus de quibus in can. 2259, § 2, 2264, 2267, 1242 etc.

Praeterea est ipso iure infamis, et Clericus est degradandus. Haec omnia intelliguntur ex iis quae diximus supra, declarantes can. 2293, 2294, 2295 et 2305 (2).

379. Qui violentas manus iniecerit *in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum,* contrahit excommunicationem latae sententiae Sedi Apost. speciali modo reservatam (§ 3); qui vero idem crimen patraverit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, nedum incurrit in eamdem excommunicationem latae sententiae Sedi Apost. speciali modo reservatam; sed *est ipso iure infamis.* Praeterea ex § 2 huius can., *privandus est* « beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat ». Hae poenae sunt *ferendae sententiae,* ideoque a iudice vel Superiore infligi debent per sententiam condemnatoriam legitime prolatam (3). Et quia lex in huiusmodi poenis statuendis utitur verbis praeceptivis, ordinarie infligendae sunt, quoties constet de crimine consummato; can. 2223. *b*) Patrarchae, Arciep. Epi.;

Agitur *de poena privationis* officii, beneficii etc.; hinc prae oculis haberi debet praescriptum canonis 2288. V. supra nn. 263-266.

380. Tandem in § 4 edicitur: « *Qui* (violentas manus iniecerit) *in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus re-* *c*) aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum.

(1) Vid. supr. num. 210.
(2) Vid. supr. num. 272 et sqq. et num. 289 et sqq.
(3) Vid. supr. num. 70.

ligiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat ».

Dicitur 1°: « in personam aliorum clericorum »; idest in personam aliorum, praeter illos superius recensitos in eodem can. §§ 1-3. Cumque privilegium canonis concessum sit clericis et religiosis utriusque sexus in decus totius ordinis clericalis, ut nempe iuxta canonem 119 (1) veneratio et obsequium clericis debitum apud omnes integrum atque inviolatum servaretur, ideoque sit latissime interpretandum (2); hinc *nomine aliorum clericorum* veniunt quotquod dignitate episcopali non sunt aucti, quamvis sint Ordinarii, *usque ad primam tonsuram initiatos* (3); *dummodo privilegio fori non exciderint* (4).

Additur: « vel utriusque sexus religiosorum »; idest *religionis cuiuslibet*, ad normam can. 488, 1° (5); et *privilegio gaudent etiam laici et novitii* ex praescripto can. 614 quo edicitur: « Religiosi, etiam laici et novitii fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123 ».

Denique dicitur: « qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat ». Idest si urgeat necessitas reparandi scandalum, etiam alias poenas Ordinarius infligere potest, ut alii fideles, intuitu poenae quam delinquentem sustinere cernunt, deterreantur ab eo imitando, sicut pravo eius exemplo ad delinquendum illecti fuerant.

(1) Can. 119: « Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint ».

(2) D'Annibale, l. c. n. 108; Sebastianelli, l. c. n. 14.

(3) Can. 108, § 1: « Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur ».

(4) Amittunt privilegium fori (uti et alia privilegia clericalia), clerici qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, sive rescripto Sanctae Sedis, sive decreto vel sententia ad normam can. 214, sive denique poena degradationis, de qua in can. 2305, vel denique perpetua privatione iuris deferendi habitum ecclesiasticum, ad normam can. 2304.

(5) *Nomine Religionis* venit: « Societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt ».

An poenae teneant cooperatores etsi non nominentur.

381. Hisce omnibus declaratis, superest **resolvenda semel pro semper** quaestio a cl. Cappello agitata l. c. n. 59. Laudatus A., proposita sibi quaestione, an censura huius can. teneat quoque: « mandantes, consulentes, consentientes, ratihabentes, non impedientes »; scribit: « Iure inspecto quo nunc regimur, negative omnino praefatae quaestioni respondemus. Sane censura eos omnes et solos attingit, quos legislator comprehendere voluit seu expresse nominavit; atqui in cit. canone nulla fit mentio de cooperatoribus... ergo ».

Sed contra est; legitur enim in can. 2231: « Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, *licet unus tantum in lege nominetur*, **ii quoque de quibus** *in can. 2209*, §§ 1-3, **tenentur**, nisi lex aliud expresse caverit, **eadem poena** ». Nunc igitur, in legibus poenalibus interpretandis, ad dignoscendum an poenae latae in delinquentes expresse nominatos, teneant quoque concurrentes in idem delictum, haud videndum est, uti prius, an cooperatores huiusmodi nominentur in lege expresse necne; sed potius videndum est, an concurrentes, physice vel moraliter in idem crimen, ita concurrerint in delictum, ut hoc sine eorum opera vel concursu perpetrari non potuisset (1). Tunc valet regula in cit. can. 2231 firmiter constituta, idest: « Si plures etc. »; uti supra. En ratio cur censurae in novo Codice constitutae, secus ac priores, quae in veteri iure habebantur, fere nunquam mentionem faciunt de illis qui physice vel moraliter concurrunt ad idem delictum perpetrandum (2).

Quomodo ab Ordinario puniendae iniuriae verbales in R. P., Cardinalem etc.

CAN. 2344. — Qui Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae eorumque Officiales maiores, proprium Ordinarium, publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, iniuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorumdem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur.

382. Hic canon merito retineri potest veluti complementum canonis praecedentis. Vidimus enim, explanantes can. 2343, quod

(1) Vid. supr. num. 42 et seqq.
(2) Cf. MAROTO, op. cit. n. 510; CERATO, l. c. n. 10.

excommunicatio lata in violentas manus iniicientes *cessat, si non re facta sit iniuria, sed verbis* (1). Sed experientia docet, iniurias personis ecclesiasticis, *etiam non re,* sed verbis tantum illatas, minuere aliquando illam existimationem ac reverentiam quam « fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus »; can. 119. Nec minora sunt mala quae proveniunt Ecclesiae ex perversa agendi ratione illorum qui R. Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum R. Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apost. eorumque Officiales maiores (2), proprium Ordinarium, publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, iniuriis affecerint, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverint. Isti enim destruunt quod Summus Pontifex et Ecclesiae Praesules prudentia, labore ac sacrificiis cuiusque generis aedificant; ac praeterea praebent Ecclesiae hostibus iniquissima arma quibus impie utuntur ad sapientes Ecclesiae leges labefactandas. Merito proinde ex praescripto huius canonis Ordinarius, non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio, illos qui talia patraverint adigere debet, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisque congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, in ipsos animadvertere.

Dicitur: « etiam ex officio »; etenim ex can. 1618 in delictis et in iis quae publicum ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio iudex procedere potest.

Usurpantes vel detinentes bona aut iura Eccl. Rom.

CAN. 2345. — Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur.

383. Hic canon conditus est in defensionem dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis. Hinc bona et iura heic accipimus temporalia; nec quaevis iura, sed principalia (3).

(1) D'ANNIBALE, l. c. n. 109.
(2) Vid. supr. n. 372, 4.
(3) D'ANNIBALE, l. c. n. 90.

Veteri iure excommunicationi latae sententiae speciali modo Rom. Pontifici reservatae obnoxii erant: « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes » (1).

Novo iure duae actiones coercentur excommunicatione: *usurpatio* et *detentio;* alia vero delicta quae patrata sunt, nec habent tractum successivum, idest invasio, destructio, perturbatio, omittuntur.

Puniuntur nominatim solum usurpantes vel detinentes, sed procul dubio ex praescripto canonis 2231 *comprehenduntur etiam cooperatores principales* ad normam can. 2209, §§ 1-3. Heic revocentur ea quae diximus supra num. 380.

384. Hisce adnotatis, nunc verba canonis rite declaranda sunt. Dicitur:

1°: « Usurpantes ». *Usurpare est, rem a domino occupare quasi ad se pertinentem.* Hinc tribus opus est, ut quis rem usurpare dici possit: 1° ut eam occupet; 2° ut a domino; 3° ut quasi ad se pertinentem (2). Eapropter *usurpantium nomine heic veniunt illi qui sibi adscribunt, tamquam propria, bona et iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia;* et quidem quovis modo usurpent, etsi non vi, ex. gr. per fraudem; quovis titulo vel praetextu, etsi non hostiliter (3).

2°: « detinentes » illi sunt qui eadem bona aut iura possident, servant, occupant; etsi non ipsi, sed alii occupaverint, veluti haeredes haeredumque haeredes.

Hinc ad excommunicationem ex capite detentionis incurrendam satis est ut quis detineat bona aut iura, licet non a se, sed ab aliis haec fuerint usurpata. « Frustra igitur (ita Pennacchi, t. 1, pag. 394) sibi blandirentur invadentium Regum successores ab excommunicatione se liberos esse, quod vel non ipsi invaserint, vel haereditate, loca invasa acceperint, vel aliqua Status ratione impediri quominus ea restituant; nam nisi vel

(1) Const. « Apostolicae Sedis », § 1, n. 12.
(2) D'Annibale, l. c. n. 91.
(3) Card. Lega, l. c. n. 451; D'Annibale, l. c. n. 100.

restituant vel alias condignam S. Sedi satisfactionem praestiterint, semper excommunicatione praesenti implicabuntur. Excipe semper nisi Romano Pontifici aliter decernere visum fuerit ».

Verum ex hoc capite, monet Reatin., soli viri Principes hanc excommunicationem incurrunt; non item Senatores et Deputati, quippe qui, non quasi *singuli*, sed quasi *Ordines* retinent etc. (Pennacchi, t. I, 397 [1]). Etenim excommunicatio singulares personas afficit: sed de nemine ex illis dici potest quod detineat.

3°: « per se vel per alios »; satis nempe est ad excommunicationem incurrendam, ut quis usurpet vel detineat bona aut iura de quibus in canone, per se vel etiam per alios; etenim: « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum » [2].

4°: « bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia ». Agitur, uti innuimus supra, de bonis temporalibus et de iuribus civilibus spectantibus ad civilem principatum Romani Pontificis, qui « iura etiam temporalia, praesertim de civili Romani Pontificis principatu, libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere et vindicare nunquam desistet » [3].

5° denique additur: « et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur ». Agitur de poenis vindicativis ferendae sententiae, quibus ex praescripto huius canonis plectendi sunt clerici, si criminibus de quibus supra, seipsos maculaverint. In huiusmodi poenis inflingendis iudex prae oculis habere debet, uti alias innuimus, can. 2223 et 2280.

[1] D'ANNIBALE, l. c. n. 100, not. 6; HILARIUS A SEXTEN, l. c. pag. 147.

[2] REG. 72, R. I., in VI.

[3] Cf. const. PII X, « *Vacante Sede* » cap. 2, not. 1, form. iurisiurandi. V. CAPPELLO, l. c, n. 98; CERATO, n. 99; PIGHI, l. c. n. 32; ibi: « Haec censura tueri intendit, non solum quae modo sunt bona et iura a Romana Ecclesia possessa, sed et ea quorum dominium legitimum conservat ac propugnat, licet ab aliis usurpata fuerint ac detineantur ».

CAN. 2346. — Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subiaceat, quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit; quod si eiusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam ure patronatus eo ipso privatus exsistat; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

Convertere in proprios usus et usurpare praesumentes bona eccles.

385. Hic canon, qui ad tuenda iura ac bona ecclesiastica conditus est, refert, nonnullis immutatis, ius vetus quod continebatur in const. « Apostolicae Sedis » et in Conc. Tridentino Sess. XXII, de ref., cap. II. In praefata constitutione, § 1, n. 11, ferebatur excommunicatio latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata contra: « Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes ». Concilium Trid. omnia bona vel iura complectebatur, quae quovis modo ecclesiastica dici possunt, et contra horum bonorum occupatores decreverat excommunicationem latae sententiae simpliciter Romano Pontifici reservatam (1). Nunc in canone supra transcripto una

(1) Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 11; ibi: « Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu

cademque censura omnia bona ecclesiastica insimul defenduntur. Dicitur:

1°: « Si quis »; quisquis nempe sit, cuiusque generis vel conditionis, sive laicus, sive clericus, sive etiam regularis, qui veteri iure non comprehendebatur (1).

2°: « bona ecclesiastica ». Quaenam sint bona ecclesiastica nos docet can. 1497 quo edicitur: « § 1. Bona temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad *aliam* in Ecclesia *personam moralem* pertineant, *sunt bona ecclesiastica*. § 2. Dicuntur *sacra*, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt; *pretiosa*, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa ».

Notentur verba § 1: « vel ad aliam in Ecclesia personam moralem »; etenim: « *in Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae morales*, publica auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales, ut ecclesiae, Seminaria, beneficia, etc. » (2). Bona igitur ecclesiastica, ad normam can. 1497, heic veniunt nedum illa quae spectant ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem, ad dioecesim, ad paroeciam, sed etiam illa quae spectant ad quamlibet personam moralem legitime constitutam, ex. gr. ad Seminaria, monasteria, congregationes religiosas, pias confraternitates etc. Item inter bona ecclesiastica recenseri debent *Piae Fundationes*, quarum nomine significantur: « bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasti-

---

consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur ».

(1) BUCCERONI, l. c. n. 73; CAPPELLO, l. c. n. 116; CERATO, l. c. n. 84.

(2) Can. 100, § 1: « Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum et caritativum ». Vid. etiam can. 102.

cas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi »; can. 1544 (1).

3°: « cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia ». *Cuiuslibet generis*, sive nempe bona ecclesiastica sint sacra sive profana, pretiosa vel non pretiosa; can. 1497; mobilia vel immobilia (2), corporalia, quae sensibus attingi possunt, veluti praedium, domus, pecunia etc., vel incorporalia, quae solo intellectu percipiuntur, ut puta actiones, credita omniaque iura.

4°: « per se vel per alios ». Haec verba intelliguntur ex dictis supra n. 383.

5°: « in proprios usus convertere *et* usurpare presumpserit ». Usurpare quis dicitur, uti vidimus supra n. 383, cum ab ipso domino rem occupat quasi suam; ut peregerunt Gubernia Civilia, quae bona ecclesiastica sibi vindicarunt quasi iure ad se pertinentia et iusserunt, huiusmodi bona esse in commercio perinde ac ecclesiastica non essent (3). Dicitur: « in proprios usus convertere *et usurpare* ». Proinde haud satis est ad hanc excommunicationem incurrendam, ut quis quoquo modo convertat haec bona in proprios usus, ex. gr. *ex furto;* sed requiritur ut quis convertat in proprios usus praedicta bona auctoritative, seu quasi iure proprio utens, ideoque bona convertit in proprios usus, quasi ad se pertinentia. Hinc hac censura non tenentur fures et latrones, qui bona in proprios usus convertunt, sed non quasi sua sint seu quasi iure suo ea vindicantes (4).

Certe hanc *excommunicationem contrahunt* qui id faciunt publica auctoritate. An et usurpantes *privata* auctoritate? Et

(1) Cf. Bucceroni, l. c. n. 73; ibi: « Intellige autem bona, quorum iam habetur dominium et possessio, ac ius in re, non etiam nondum possessorum, ut legata pia, etc.; vel quorum nonnisi *ius ad rem* habetur. Ea enim proprie et stricte sunt *Ecclesiae*, vel *Loci pii bona* »; Cappello, l. c. n. 116.

(2) Pighi, l. c. n. 55 recte advertit: « quoad mobilia, plures censebant intelligi ea quae sint pretiosa; modo locutio « cuiuscumque generis » latior esse videtur, at certe requiritur materia gravis ».

(3) Card. Lega, l. c. n. 450.

(4) S. C. Off., sub die 9 mart. 1870 declaravit hac censura non teneri fures, raptores, praedones. Card. Lega, l. c. n. 450.

affirmative respondendum videtur, quia et privata persona, ius proprium praetendens, potest alienum invadere sibique tribuere. Scribit ad rem D'Annibale: « Dein utrum teneat laicos usurpantes *auctoritate privata*... Aliqui negant: sed longe plures affirmant; quod verius puto; quia lex non distinguit » (1).

6°: « aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur ». Hic quaeritur: an ad incurrendam hanc excommunicationem sufficiat tantum impedire, quin quis usurpet et occupet. Cum haec verba desumpta fuerint ex cap. II Conc. Trid. supra transcripto, liceat nobis heic referre receptas apud probatos veteres auctores interpretationes. D'Annib. l. c. n. 96 scribit: « convertere autem et impedire etc., non utcumque, sed verius, iure usurpationis, et quasi ad se pertinentia... Nonnulli negant, rati excommunicationem Tridentinam quascumque occupationes, et a quibuscumque factas perstringere. Sed prior sententia videtur verior... ex ipso Conc. Trident. quod serius eadem excomm. fer. sent. coerceri iussit eos, qui decimas Ecclesiis obvenientes subtrahunt vel impediunt ». Et cl. Bucceroni l. c. n. 73 scribit: « *Convertere seu impedire*, non utcumque, sed verius, iure usurpationis, quasi ad se pertinentia, secus enim illud *usurpare* frustra positum fuisset; satis fuisset dicere tantum, et clarius, in proprios usus *convertere* vel impedire... Insuper quoad *impedire*, idem Conc. Trid. serius excommunicatione *ferendae sententiae* puniri iussit eos, qui decimas Ecclesiis obvenientes subtrahunt vel impediunt. Sess. 25, cap. 12 de Ref. Praecedenti ergo Decreto hi non comprehendebantur ». Concinit Hilarius a Sexten, l. c. pag. 214 et sq.

Haec interpretatio data a D'Annibale, Bucceroni etc. videtur retinenda etiam in novo iure. Secus fures tenerentur hac censura. Sed, uti supra adnotavimus, fures et latrones ex responso dato a S. C. S. Off. d. 9 mart. 1870, huic excommunicationi non sunt obnoxii.

Heic scribit cl. Cerato: « Non censuerim amplius excommunicationi huic obnoxios, qui bona olim usurpata nunc emerent

(1) D'ANNIBALE, l. c. n. 93. Idem A. l. c. not. 48 addit: « Contrarii ea cum primis ratione nituntur; quia usurpatio non intelligitur nisi publica auctoritate sit facta; quod a re alienum est ».

ab usurpatoribus; qui eadem bona acquirunt haereditate » (1). Sed revera nihil invenitur in canone quod faveat huic novae interpretationi; hinc censemus a veteri iure non esse recedendum; can. 6, n. 4. Quapropter *inter impedientes iure recensentur qui bona usurpata praesumunt emere vel tamquam accepta ex donatione quacumque retinere*, ut constat ex Responso S. C. S. Off. quo edicitur: « Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam. Etenim praescindendo a quaestione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Const. *Apostolicae Sedis*, art. 11, nulli dubium esse potest quin comprehendantur clarissima dispositione Cap. II de Reform. sess. 22, Conc. Tridentini ».

7°: « praesumpserit »; hinc excusant ab hac censura metus, ignorantia, etiam crassa et supina, et quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis; can. 2229, § 2.

8°: « excommunicationi *tandiu subiaceat quandiu bona* ipsa integre *restituerit*, praedictum *impedimentum removerit*, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit ». Ex norma generaliter constituta in can. 2248 § 2, absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3. Iuxta hunc canonem recessus a contumacia secumfert, praeter alia, ut reus satisfaciat parti laesae *aut saltem promittat* cum primum poterit se *satisfacturum* (3). Sed quando agitur de absolvenda excommunicatione huius can. 2346, *seria promissio non sufficit* ad impertiendam absolutionem; sed necessario requiritur ut bona usurpata restituantur, et quidem non ex parte tantum, sed integre restituenda sunt, et praedictum impedimentum efficaciter removeatur.

9° Denique statuitur: « quod si eiusque ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat; clericus vero etc. ». Idest si Ecclesiae patronus se ma-

(1) Cf. Cerato, l. c. n. 84, 9.

(2) S. C. S. Off. (Firman.) 8 iul. 1874. V. etiam Allocut. « *Quod praenunciavimus* » 25 iul. 1873.

(3) V. supr. n. 162.

culaverit crimine de quo in canone, praeter excommunicationem latae sententiae Rom. Pontifici reservatam, incurrit ipso facto poenam privationis iuris patronatus. Clericus vero hoc delictum *committens* vel *in eodem consentiens,* idest concurrens cum usurpatoribus in hoc delictum perpetrandum, aliis gravissimis poenis vindicativis mulctari debet per sententiam iudicis condemnatoriam. Legitur enim in fine huius can.: « **privetur praeterea** beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur ».

Poenae in bona eccles. alienantes aut in iis alienandis consensum praebentes contra can. 534, 1532.

CAN. 2347. — Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1. et can. 1532:

1° Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur;

2° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus iure patronatus; administrator munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum;

3° Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata.

Ius vetus.

386. Alienatio bonorum ecclesiasticorum ab ipso fere Apostolorum aevo vetita fuit (1). *Iure Decretalium,* pro alienatione horum bonorum, praeter iustam causam seu necessitatem aut Ecclesiae utilitatem, requirebatur consensus Episcopi et Capituli Cathedralis, necnon Rectoris beneficii vel conventus ad quos res alienanda pertinebat. Serius Paulus II Extravaganti *Ambitiosae,* quae legitur in cap. un., *de rebus Ecclesiae non alienandis,* III, 4, *in Extrav. com.*, bona ecclesiastica alienari prohibuit sine beneplacito Apost. Sedis sub poena excommunicationis, edicens: « Si quis autem contra huius prohibitionis seriem de bonis et

(1) Can. 12, C. XII, q. 2; cf. DE LUCA, Theatr. etc. De alienat., disc. 3, n. 2; D'ANNIBALE, l. c. n. 171, not. 5.

rebus eisdem *quicquam alienare praesumpserit,* alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi, nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat... ». Etiam post Const. « Ambitiosae » qua interdicebantur *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationes sine causa et Apostolico beneplacito sub poena excommunicationis,* alienari poterant, ex sola auctoritate Episcopi, praeter res mobiles non pretiosas, etiam res immobiles exigui valoris, dummodo non excederent pretium 40 aut 50 scutatorum romanorum; quia huiusmodi res ex communi DD. interpretatione et ex praxi recepta non comprehendebantur sub sanctione Const. « Ambitiosae », sed remanebant sub dispositione Can. « Terrulas » (1). Postea Constitutio « Ap. Sedis » confirmavit ius constitutum per laudatam Const. « Ambitiosae », statuitque excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere: « Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, de Reb. Eccl. non alienandis » (2).

387. *Hisce adnotatis quoad ius vetus,* nunc *ius noviter constitutum* declarabimus. Et in primis animadvertendum est, quod uti in praefata Const. « Ambitiosae », ita pariter in can. 2347 nullius valoris declaratur quaelibet alienatio bonorum ecclesiasticorum facta contra Ecclesiae leges, ac praeterea, quia quod nullum est, nullum producit effectum, decernitur, bona illegitime acquisita esse restituenda, ac damna forte illata resarcienda: Edicitur enim: « Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui etc. ». Ius novum.

Deinde contra illum « qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532 », diversae decernuntur poenae, pro diversa gravitate criminis patrati. Quo enim gravius damnum infertur Ecclesiae, gravior poena luenda est. Dicitur:

(1) Can. 53. C. XII, q. 2; ibi: « Terrulas, et vineolas exiguas, et Ecclesiae minus utiles, aut longe positas et parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem ».

(2) Const. « Apostolicae Sedis », § IV, n. 3.

1°: « Qui bona ecclesiastica »; heic recolenda sunt ea quae diximus supra, n. 385.

2°: « alienare ». Alienatio in iure canonico est quaelibet translatio vel imminutio dominii pleni vel utilis, veluti: venditio, donatio, locatio ad longum tempus (id est, ultra triennium), permutatio, oppignoratio, hypotheca, emphyteusis, impositio novi gravaminis, servitutes, census (1).

3°: « praesumpserit »; quia igitur lex exigit plenam cognitionem ac deliberationem, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit ab excommunicatione in hoc canone constituta, can. 2229, § 2.

4°: « aut in iis alienandis consensum praebere ». Agitur nempe de illis, quorum consensus ad normam iuris requiritur, uti videbimus infra.

5°: « contra praescripta can. 534, § 2, et can. 1532 », Iamvero in cit. can. 534, § 1, edicitur: « Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, *contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit;* secus, requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, Superioris ad normam constitutionum cum consensu sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato; sed si agatur de monialibus aut sororibus iuris dioecesani, accedat necesse est consensus, in scriptis praestitus, Ordinarii loci, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subiectum sit ».

Praeterea ex can. 1530 ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur, praeter alia, « licentia legitimi Superioris » qui, uti edicitur in can. cit. 1532, « est *Sedes Apostolica*, si agatur de rebus pretiosis, vel de rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum.

« Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, *est loci Ordinarius, audito* administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et *cum eorum consensu quorum interest.*

(1) SANTI, h. t. n. 1, cum communi DD.

« Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum *est loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus* tum Capituli Cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest ».

Quapropter qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra canones supra relatos, diversis poenis mulctatur, idest:

a) *Si bona non excedant pretium mille libellarum,* congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniendus est.

b) *Si* agatur de re cuius *pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum,* diversae poenae pro diversitate personarum decernuntur. Edicitur enim sub n. 2°: « *privetur* patronus iure patronatus; administrator munere administratoris; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, *solvant duplum* favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur : d tempus ab Ordinario definiendum ».

c) Denique *si agatur de rebus pretiosis* (can. 1497, § 2), *aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium libellarum* seu francorum, et beneplacitum apostolicum *fuerit scienter praetermissum* (can. 2229, § 2), tunc *omnes qui hoc crimine quovis modo se maculaverint,* sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, *subiacent* praeterea, idest praeter poenas de quibus sub n. 2°, etiam *excommunicationi* latae sententiae nemini reservatae.

Poenae in negligentes adimpletionem legati ad causas pias.

CAN. 2348. — Qui legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, obtinuerit et implere negligat, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur.

388. *Ordinarii omnium piarum voluntatum* tam mortis causa quam inter vivos *executores sunt;* ideoque vigilare tenentur ut piae voluntates impleantur; can. 1515. Ita inhaeret hoc ius muneri Ordinarii, ut clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tanquam non appositae haberi debeant; can. 1515, § 3. Hoc quod statuitur in praefato can. 1515, iam edixerat S. Pontifex Gregorius IX in cap. 17, X,

de testamentis et ultimis voluntatibus. Legitur enim in cit. capite: « Cum igitur in omnibus piis voluntatibus *sit per locorum Episcopos providendum, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici:* mandamus etc. » (1). Quamobrem si quis obtinuerit legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, et implere negligat, ab Ordinario cogi debet, etiam per censuras, ad voluntatem donantis vel testatoris adimplendam.

Dicitur: « Qui legatum vel donationem ad causas pias ».

Legatum est « delibatio haereditatis, qua testator, ex eo quod universum haeredis foret, alicui quid collatum velit »; seu est donatio quaedam a defuncto relicta, ab haerede praestanda (2).

Donatio vero est: liberalis rei datio, nullo iure cogente facta.

Ad causas pias. Nomine causae piae veniunt non solum Ecclesiae, sed etiam monasteria, hospitalia, confraternitates, pauperum sustentatio etc. Si his causis piis bona relinquantur per testamentum vel per legatum, habetur testamentum vel legatum ad causas pias (3).

Similia legatis sunt fideicommissa, quae locum habent, cum vel tota haereditas, vel portio haereditatis ad preces testatoris alicui restituenda sit ab haerede directe instituto (4).

Additur: « sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam obtinuerit et implere negligat ». *Donatio alia est inter vivos, alia mortis causa*. Inter vivos locum habet quando quis, sive sanus, sive infirmus, ea mente donat, ut rem statim velit fieri accipientis, nec ullo casu ad se reverti. *Mortis causa donatio* fit propter mortis suspicionem, et qui donat, in ea mente est, ut res fiat donatarii, quando eam donanti amplius possidere non licet; proinde haec donatio *suapte natura est revocabilis, et*

(1) C. 9 11, C. XIII, q. 2; C. 3, C. XVI, q. 2; cap. 3, 6, 19, X, *de testamentis et ultimis voluntatibus*, III, 26; Benedictus XIV, const. « *Ad militantis* », 30 mart. 1742, §§ 30, 31.

(2) Sebastianelli, l. c. n. 336.

(3) Can. 1516, § 3.

(4) Santi, tit. *de testamentis et ultimis voluntatibus*, III, 26, n. 60; Sebastianelli, l. c. n. 336.

confirmatur morte donantis. In dubio praesumitur donatio propria, i. e. *inter vivos* (1). Patet igitur ex dictis quod si agatur de donatione inter vivos facta causae piae, Ordinarius urgere potest exsecutionem huius donationis, quin expectetur mors donantis, secus vero si agatur de donatione mortis causa facta. Quod spectat vero ad legata pia, exsecutor seu haeres, dummodo tempus exsecutionis a testatore praefinitum non fuerit, quam primum exsecutioni demandare debet voluntatem defuncti.

Etiam per fiduciam. Quid sit fiducia, et quinam sit Ordinarius qui urgere debeat exsecutionem pii legati, quando agitur de clericis vel religiosis, patet ex can. 1516, quo edicitur: «§ 1. Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento *fiduciarie* accepit, *debet de sua fiducia* Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet. § 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam can. 1515. § 3. *Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis*, incolis aut piis causis iuvandis, *Ordinarius* de quo in §§ 1, 2, *est loci Ordinarius; secus, est Ordinarius* eiusdem *religiosi* proprius».

Poenae in recusantes praestationes.

CAN. 2349. — Recusantes praestationes legitime debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint.

389. Ne sacrorum ministri ob temporalia negotia distraherentur a divinis officiis, inductum fuit ut alerentur a populo; quod viguit in Lege Veteri (Numer. cap. XVIII) et in Lege Nova docuere Christus Dominus in Evangelio et Paulus Apostolus in suis epistolis. Sed quousque fideles sponte ministrorum sustentationi consulebant, superfluum videbatur condere legem qua fideles adstringerentur propriae obligationi satisfacere. Postea vero refrigescente populi caritate, necessarium fuit leges expressas edere, quibus praecipiebatur ut quisque fidelis solveret pro sus-

(1) Ita Sebastianelli, l. c. n. 382.

tentandis clericis decimam partem fructuum collectorum. Ita *inductae sunt decimae ecclesiasticae, quae dicuntur etiam sacramentales*, idest: decima pars omnium fructuum honeste collectorum solvenda sacris ministris ad eorumdem honestam sustentationem, ratione ecclesiastici ministerii (1). Nec pariter improbatae fuerunt legitimae consuetudines, quibus fere ubique receptum est, ut certae praestationes fierent occasione funeris, gratia parochorum, aliorumque Ecclesiae administrorum. Hae siquidem oblationes in locum cedunt alimentorum, quae sacris administris a fidelibus debentur (2).

Paucis abhinc mensibus S. C. Consistorialis Litt. datis ad Ordinarios Italiae, d. 29 Iun. 1919 scribebat: « Presso il popolo ebreo, come ognuno sa, provvide direttamente il Signore con la sua legge che i Leviti avessero di che onestamente vivere del loro ministero e non dovessero applicarsi ad altro, ma fossero del tutto dedicati al suo servizio. Non diversa è e deve essere la condizione del sacerdozio cristiano, come chiaro si rileva dal Vangelo e dalle lettere degli Apostoli. L'indigenza impedisce al sacerdote di lavorare nel campo che Dio gli ha assegnato, e l'obbliga a cercare altrove i mezzi del vivere con dispendio del sacro suo ufficio; senza dire che lo stato di penosa sofferenza del clero aliena le vocazioni o le soffoca nascenti. E senza vocazioni e senza sacerdoti non vi è culto, non vi sono sacramenti pel popolo cristiano e la religione più e più languisce (3) ».

Merito proinde in novo Codice statuitur: « Ius est parocho ad praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normam can. 1507 »; can. 463. Et in can. 1502 edicitur: « Ad *decimarum* et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta et laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur ».

Si igitur ius est parocho ad praestationes de quibus in can. 463, consequenter fideles tenentur eidem solvere dictas praestationes, ne careat necessariis vitae subsidiis. Hinc recte ex praescripto huius can. 2349 *recusantes* has praestationes, prudenti arbitrio

(1) SEBASTIANELLI, l. c. n. 285
(2) SEBASTIANELLI, l. c. n. 283.
(3) Acta Ap. Sedis, vol. XI, pag. 278.

Ordinarii puniendi sunt, donec satisfecerint. Dicitur: « recusantes »: illi nempe qui dictas praestationes solvere queunt; minime vero pauperes, de quibus in eodem can. 463, § 4 statuitur: « § 4. *Gratuitum ministerium* ne deneget parochus iis qui solvendo pares non sunt ».

Antiquitus fideles non solventes decimas caeteroquin debitas, *privandi erant sepultura ecclesiastica* (1). Et Concilium Trid. in cap. 12, sess. XXV, de ref. edixerat: « Qui vero eas (i. e. decimas) subtrahunt, aut impediunt, *excommunicentur*, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur ». Nunc totum negotium remittitur prudenti Ordinarii arbitrio, qui proinde pro maiore vel minore gravitate delicti, graviores vel leviores poenas infligere debet, ad normam can. 2218, § 1 (2).

Postquam dictum est de delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae, necnon contra religionem, et auctoritates, personas, res ecclesiasticas; nunc, iuxta ordinem superius declaratum, agendum est de delictis quibus principaliter hominum privatorum iura violantur. Quia vero inter haec bona primum locum tenent vita, libertas, bona fama ac boni mores, hinc merito de his omnibus bonis agitur in titulo sequenti. Sit itaque

TITULUS XIV.

De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores.

CAN. 2350. — § 1. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea deponantur.

§ 2. Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, n. 3; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur.

Poenae: *a*) in procurantes abortum: *b*) in seipsos manus inferentes.

390. Procurantes abortum in can. 20, C. 2, q. 5, dicuntur homicidae. Legitur enim in cit. can.: « quia si ille qui con-

(1) Cap. 19, X, *de decimis, primitiis, et oblationibus*, III, 30.

(2) Cf. cap. 42, X, *de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V, 3; ibi: « per Episcopum loci veritate cognita *compescantur*, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare ».

ceptum in utero, per abortum deleverit, *homicida est,* quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit ». Merito proinde Ecclesia procurantes abortum usque insecuta est gravissimis poenis. In Const. « Apostolicae Sedis » § 3, n. 2 excommunicatio latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservata ferebatur contra « procurantes abortum, effectu sequuto ». In novo iure confirmatur censura excommunicationis latae sententiae Ordinario reservata contra « procurantes abortum, *matre non excepta,* effectu secuto » ; ac praeterea contra clericos, qui hoc crimen patraverint, gravissima poena depositionis constituitur.

Dicitur 1°: « Procurantes abortum ». Abortus est *eiectio foetus immaturi.* Hinc procurare abortum nihil aliud est, quam *consulto* efficere, ut foetus ex utero matris eiiciatur, dum adhuc in tali statu versatur, ut extra uterum matris nullatenus vivere possit. Diximus « consulto » quia *procurare est, studiose et ex industria aliquid quaerere;* ac proinde *procurantes abortum illi intelliguntur qui directe, studiose seu de industria « per se aut per interpositas personas abortus,* seu *foetus immaturi eiectionem procuraverint* percussionibus, venenis, medicamentis etc., *ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit* » (1). Consequenter procurantes abortum dici nequeunt illi qui, sunt quidem causa abortus, sed ipsum non intendebant nec volebant, veluti si quis ex ira mulierem praegnantem percusserit. Hinc optime scribit D'Annibale l. c. n. 159 : « Procurare est, studiose et ex industria aliquid quaerere. Quamobrem excommunicatio *non contrahitur, nisi ex abortu voluntario, directe et in se...* Non contrahitur ex abortu voluntario indirecte et in causa, quamvis ex illicita actione prodierit; veluti si quis mulierem praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia, etc. ».

Abortus, uti diximus, est eiectio foetus immaturi.

Foetus, hinc conceptio seu existentia foetus debet esse certa. Consequenter si quis statim post copulam expellat semen, quia conceptio nondum est certa, huic excommunicationi non subiicitur. Sed e contra, *post secutam conceptionem, quocumque tem-*

(1) SIXTUS V. const. « Effraenatam », 29 oct. 1588.

pore eiiciatur, sive foetus sit animatus sive inanimatus, *censura contrahitur;* lex enim generaliter loquitur (1).

Notandum vero est quod si quis eiiciat foetum iam mortuum, quamvis ipse nesciverit, sed postea ex iudicio medicorum hoc certo concludi potest, hac censura non innodatur (2).

Immaturi. Post septimum gestationis mensem, *foetus,* iudicio medicorum, maturus censetur; hinc eius partus ab illo tempore licite anticipari potest. Placet heic referre responsa data a S. C. S. O. ad nonnulla dubia proposita circa accelerationem partus et liceitatem quarumdam operationum chirurgicarum *craniotomiae* adfinium. Quaesitum enim fuit: « 1. Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore? 2. Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare, aut caesaream suo tempore perficere operationem? 3. Estne licita laparatomia, quando agitur de praegnatione extra-uterina, seu de ectopicis conceptibus? ». Et sub die 4 Maii 1898 prodierunt responsa:

« Ad 1. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris ac foetus vitae consulatur.

Ad 2. *Quoad primam partem negative,* iuxta decretum fer. IV. 24 iulii 1895, de abortus illiceitate »; idest: « tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occisivam foetus; etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam » (3).

Ad secundam vero quod spectat: « Nihil obstare, quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur ».

Ad 3. « Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur ».

(1) D'Annibale, l. c. n. 160; Bucceroni, l. c. n. 81; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 218.

(2) Hilarius a Sexten, l. c.

(3) S. C. S. Off., 28 maii 1884; 14 aug. 1889.

Notandum vero est quod chirurgi craniotomiam seu embryotomiam aliasque similes operationes occisivas foetus exercentes, quamvis graviter peccent, excommunicationi huius canonis non sunt obnoxii [1].

Additur 2°: « matre non excepta ». His verbis dirimitur controversia quae ante novum Codicem inter DD. agitabatur. Alii enim contendebant matrem effugere hanc censuram, alii rectius affirmabant etiam matrem hac censura innodari. Scribit ad rem Card. Lega l. c.: « Attamen quaestio haec agitatur inter Comm., quia ante Const. *Ap. Sedis*, seu in antiquioribus Constitutionibus mater distinguebatur a - *procurantibus abortum* - et aliis poenis percellebatur. Proinde Pennacchi h. l. pag. 42 et Lehmkuhl h. l. opinantur, matrem non comprehendi inter *procurantes*, nec teneri censura. At haec sententia non placet, quia Const. *Apost. Sedis* intelligenda est iuxta genuinum sensum verborum etiam dum corrigit ius vetus; quare a textu sententiae nullimode videntur excludendae esse matres. Ita opinantur D'Annibale h. l. Génicot et alii; et haec sententia videtur adeo conformis verbis Bullae ut contrariam in praxi autumemus non sequendam » [2].

Cl. Cappello l. c. n. 132 scribit: « Verum si mater ex gravi metu sibi abortum procuret, *quamvis a gravissimo peccato haud excusetur*, censuram non contrahit ». Citat laudatus A. Génicot l. c., Wernz. l. c., et Pighi, qui l. c. n. 76 scribit: « At immunis est a censura, *non a gravissimo peccato*, femina illa, quae ad hoc crimen adacta fuerit metu vere gravi: hic enim a poenis latae sententiae eximit; c. 2229, § 3, 3° ».

Sed contra est; etenim *ad eritandam censuram* non sufficit causa, quae imputabilitatem solum minuat, sed *requiritur causa, quae excuset a gravitate culpae.* Legitur enim in can. 2218, § 2: « Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, *sed etiam* **quae a gravi,** *excusant pariter a qualibet poena* tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur ». Atqui in casu, uti fatentur ll. cc. laudati

[1] D'Annibale, l. c. 161; Bucceroni, l. c. n. 81; Hilarius a Sexten, .c. pag. 218; Cappello, l. c. n. 132; Cerato, l. c. n. 72; Pighi, l. c. n. 71.
[2] Card. Lega, l. c. n. 55.

Auctores, mater « a gravissimo peccato haud excusatur ». Ergo si non excusatur a gravi imputabilitate, neque a censura excusari potest. Praeterea in can. 2205, § 3, legitur: « Si vero actus sit intrinsece malus aut vergat in comtemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2 (idest: « *metus quoque gravis* » etc.), delicti imputabilitatem minuunt quidem, *sed non auferunt* ». Et declarantes hunc canonem, scripsimus: « Non auferunt delicti imputabilitatem, *quia a servandis praeceptis iuris naturalis nullus metus excusare potest, quia nullus metus excusare potest a peccato mortali:* « **cum pro nullo metu** (ita Innoc. III in c. 5, X, *de his quae vi metusve causa fiunt*, I, 40) **debeat quis mortale peccatum incurrere** ». Hinc metus gravis, necessitas et grave incommodum *attenuant culpam seu minuunt delicti imputabilitatem, sed non auferunt* »; ideoque « a poenis latae sententiae nullatenus eximunt »; can. 2229, § 3, 3°.

Dicitur 3°: « effectu secuto »; igitur *ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur ut abortus revera sequutus fuerit; nempe ex causa directe posita ad illum procurandum.* Hinc si ex aliis causis abortus sequatur, vel probabile sit illum accidisse ex alia causa, ut puta ex eo quod mulier, post sumptum abortivum, ex alto ceciderit, censura cessat (1).

Denique additur 4°: « et si sint clerici, praeterea deponantur ». Heic revocentur ea quae diximus de poena depositionis n. 289 et sqq.

391. Ex praescripto § 2 can. 2350, illi qui in seipsos manus intulerint, si mors sequatur, sepultura ecclesiastica privandi sunt ad normam can. 1240, § 1, 3°; idest dummodo constiterit se occidisse « deliberato consilio ». Praeterea ad normam eiusdem can. 1240, § 1, haec poena infligi nequit, si ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa. Si vero mors haud sequatur, laici arceri debent ab actibus legitimis ecclesiasticis, clerici vero suspendendi sunt ad tempus ab Ordinario definiendum « et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus » removeri debent.

(1) D'Annibale, l. c. n. 160; Bucceroni, l. c. n. 81; Card. Lega, l. c. n. 55.

Poenae in duellantes aliosque conreos.

CAN. 2351. — § 1. Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4, duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae.

§ 2. Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames.

392. Saevam ac nefariam duelli dementiam a superstitione aevi medii originem trahentem usque Ecclesia detestata est. Contra duellantes S. Concilium Trid. in cap. 5, sess. 25, de ref. edixerat: « Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur... Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura... ». Cumque postea exortum esset dubium, an duellum solemnitatibus destitutum, poenis a Conc. Trid. latis esset obnoxium, S. P. Gregorius XIII Const. « *Ad tollendum* », 5 dec. 1582, statuit, praedictas poenas incurri etiam ob duellum privatum, omni carens solemnitate. Postea Clemens VIII, Const. « *Illius vices* », 17 aug. 1592, § 1-7, poenas a Conc. Trid. statutas extendit ad provocantes et cooperantes etiam certamine non secuto; et Benedictus XIV, Const. « *Detestabilem* », 10 nov. 1752, § 1, 5, 8, quinque theses circa duellum proscripsit (1), et poenas auxit: edicens: 1) non gaudere iure asyli sacri decertantes in duello, si hominem interfecerint, etsi mortuus sit extra locum conflictus ex vulnere tamen accepto in duello; 2) taliter vero interfectum privari sepultura ecclesiastica, etsi dederit indubia poenitentiae signa, et absolutionem obtinuerit a peccatis et a censuris; 3) denique poenam privationis sepul-

(1) Hae theses conferri possunt apud LEHMKUHL, I, 852. Earum prima haec est: « Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus habetur, indeque officio, quo se suosque sustentabat privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum ».

turae ecclesiasticae incurri ante iudicis sententiam declaratoriam (1).

Denique prodiit Const. « Apostolicae Sedis », ex qua canon supra relatus fere iisdem verbis transcriptus fuit. Legitur enim in laudata Const. § 11: « Excommunicationi latae sententiae R. P. reservatae subiacere declaramus... n. 3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis ».

393. *Hisce adnotatis quoad ius vetus*, nunc canonem supra transcriptum declarandum assumimus. Dicitur:

1°: « Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4 ». Iamvero l. c. statuitur: « § 1. Ecclesiastica sepultura privantur, *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa:*... 4°. Mortui in duello aut ex vulnere inde relato ». *Hodierno igitur iure*, **etiam duellantes,** *si ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, ecclesiastica sepultura non privantur* » (2).

2°: « Duellum perpetrantes ». Duellum quod privata auctoritate suscipitur, prout excommunicatione aliisque poenis heic plectitur, definitur communiter a DD.: *Pugna duorum inter se, ex condictis loco, tempore et armis ad occidendum seu graviter vulnerandum aptis et paribus suscepta* (3). Hinc ad essentiam duelli requiritur, ut fiat inter duos, etsi « *convenerint ut non singuli, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent* » (4); idest unus adversus alterum, etsi ex uno et altero latere sint duo, tres vel plures singulare certamen instaurantes, vel etiam etsi plures successive cum eodem commiserint. Secundo necesse est ut duellum ex condicto susceptum fuerit, idest indictis pugnae loco, tempore et armis. Quapropter si duo in rixa, extemplo, irae aestu abrepti, in haec omnia convenerint et statim commiserint, non dicuntur patrare duellum, quia videntur potius ex impetu convenisse,

(1) Card. Lega, l. c. n. 52.

(2) Pighi, l. c. n. 57.

(3) D'Annibale, l. c. n. 114; Wernz, l. c. n. 377; Card. Lega, l. c. n. 51; Bucceroni, l. c. n. 44; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 163.

(4) Clemens VIII, const. *Illius vices*, 17 aug. 1597, § 5.

quam ex condicto. Tertio denique necesse est ut certetur lethalibus et paribus armis; hinc, uti advertit D'Annibale, si dimicetur pugnis, bacillis, aut ferro acie retusa, duellum non intelligitur, etsi mors per accidens sequuta fuerit (1). Si haec omnia serventur, poenae in hoc canone constitutae incurruntur; et parum refert an duellum fuerit *solemne,* idest adhibitis patrinis aliisque solemnitatibus, *vel privatum,* quod his omnibus caret; *lethale* vel *non lethale,* prout nempe convenerint dimicare usque ad necem alterius vel usque ad primum cruentum vulnus (2).

Ex hactenus dictis plane intelligitur responsum datum a S. C. C. an. 1890 quoad *mensuras academicas* seu quoad duella quae fieri solent inter ephebos scholarum et praesertim Universitatum Germanicarum (3). Quaesitum nempe fuit: « An et a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu ». Et sub die 9 aug. 1890 prodiit responsum: « *Affirmative,* a duellantibus eorumque patrinis, *ex infamia iuris* ». Sequitur proinde ex hac responsione, singularia certamina alumnorum Universitatis Germaniae esse duella et consequenter duellantes poenis in hoc canone constitutis esse obnoxios. Et merito quidem; licet enim non adsit periculum occisionis, nec proprie dictae mutilationis, ita tamen perficitur, ut grave vulnus (sensu morali) per se, non

(1) D'ANNIBALE, l. c. n. 114, not. 13; WERNZ, l. c. n. 379.

(2) CLEMENS VIII const. *Illius vices*, 17 aug. 1592, interdixit duella quoque cum pacto inita: « de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem fuderit ». Cf. HILAR. A SEXTEN, l. c. pag. 164; BUCCERONI. l. c. n. 44.

(3) Hae mensurae seu duella in eo consistunt, ut duellantes, armis specialibus, idest parvo quodam cultro utentes, et ceteris partibus corporis bene tectis, sibi in faciem, incisionem seu vulnus inferant, cuius tamen vestigia plerumque brevi tempore oblitescunt. Nullatenus igitur mors vel mutilatio intenditur, atque nonnisi per accidens, ex imprudentia seu ex alia causa a duello extrinseca, mors vel mutilatio accidunt. Nec semper proprie ex vindicta vel ad honorem reparandum duella haec committuntur, sed potissimum ludi, crudelis profecto, vel exercitationis causa. Generatim catholici ab huiusmodi duellis se abstinent, non tamen semper, quia uti scribit Archiepiscopus Wratislaviensis in supplici libello dato ad S. C. C. an. 1890, haec duella, ludus potius temerarius, vitaeque periculo carens, quam res magni momenti aestimantur. (*Acta S. Sedis*, vol. 23, pag. 242).

solum per accidens, infligi possit. Et praeterea effera sunt certamina quae rectae rationi et legibus Ecclesiae repugnant ex iis motivis, ac si cum periculo occisionis aut mutilationis instituerentur (1). Scribit ad rem cl. Wernz, l. c. n. 379: « neque (Ecclesia) ad notionem duelli poenis canonicis obnoxii requirit arma « *honorifica* » adeo lethalia, ut proximum et ordinarium periculum mortis inducatur, sed sufficit ut gravia pericula mutilationis vel vulnerum adsint, sicut accidit in duellis studiosorum in cit. caus. Wratisl. » (2).

Patet igitur ex dictis quod *duellum perpetrantes illi sunt qui duellum sensu iam explanato vere committunt*, sive illud solemne sit sive privatum, sive fatale sive non fatale (3).

3°: « aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes ». Hinc sive illi qui provocant ad duellum, sive illi qui ipsum acceptant, contrahunt excommunicationem, etsi duellum de facto non sequatur. Etenim dicitur, *simpliciter* ad illud provocantes vel ipsum acceptantes; *hinc censura adhaeret ipsi actui provocationis vel acceptationis, quibus positis, censura contrahitur; dummodo hi actus* (provocatio et acceptatio) *vere ex animo fiant, non simulate*, ex gr. ad ignaviae notam hic et nunc vitandam (4). Provocare autem, vel acceptare et is intelligitur, qui adversario edicit, ut eligat pugnae locum, tempus et arma (5).

4°: « vel quamlibet operam aut favorem praebentes »; idest omnes cooperatores sive *principales*, sine quorum opera duellum perpetratum non fuisset, sive *accessorii*, seu illi, quorum concursu duellum facilius et tutius committitur; c. 2209 et 2231. D'Annibale l. c. n. 115, declarans verba Constit. « Ap. S. » § 11, n. 3, « et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes », scribit: « *proximam* inquam (alias arbitraria et infinita aestimatio erit,) aut favorem praebentes, veluti patrini, testes; qui consilium dant in causa duelli, qui litteras provocatorias, vel alia id genus scripta, manifesta etc. dictant,

(1) Noldin, *De Praeceptis Decalogi*, libr. 5, quaest. 7, n. 191.

(2) Card. Lega, l. c. n. 52; Lehmkuhl, I, 852.

(3) D'Annibale, l. c. n. 114.

(4) D'Annibale, l. c. n. 115; Hilarius a Sexten, l. c. pag. 166; Cerato, l. c. n. 85.

(5) D'Annibale, l. c.; Bucceroni, l. c. n. 44.

scribunt, deferunt, evulgant, aut scribi, deferri etc. mandant, suadent; quique *in his se quomodolibet immiscent* » (1). Notetur vero quod isti omnes complices, ut docet D'Annibale cum communi DD., excommunicationem non incurrunt, nisi duello sequuto; imo nec sequuto, si duellantes aut ficte commiserint, aut non iure duelli; quamvis id ipsos lateat, quia *nihil mutat* existimatio delinquentis (2).

5°: « nec non de industria spectantes »; illi scilicet qui data opera ad duelli locum accedunt et duello assistunt. Et ratio est, quia isti sua praesentia videntur duellum approbare, ac duellantes incitare ad pugnam. Sed si quis obiter et casu per locum duelli transiens, aspiciat curiositate ductus, vel aspiciat a longe, vel in secreto seu e fenestris, censura non incurritur; etenim isti omnes non addunt animos ad pugnam. Item huic excommunicationi non subiicitur ille, qui locum duelli adit, ad illud impediendum (3). Sed e contra, uti edixit S. C. S. Off. die 28 Maii 1884, medici qui rogati a duellantibus duello assistunt cum intentione citius finem pugnae imponendi, aut simpliciter vulnera ligandi ac curandi, hac censura innodantur. Immo etsi medicus, quod et de confessario pariter dicendum est, duello non sit praesens, sed ex condicto sistat in domo vicina vel in loco propinquo, paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit, hanc excommunicationem non effugit.

6.° « illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes ». His verbis illi plectuntur excommunicatione qui cum duellum prohibere possint, tamen non prohibent, illi nempe qui *ex officio* prohibere debuissent, veluti Principes in suis territoriis, vel militum Duces qui suis duellum non prohibent (4).

7.° « cuiuscumque dignitatis sint ». Haec verba referuntur ad omnes delinquentes in canone recensitos, idest tum ad duellum perpetrantes, tum ad alios conreos.

(1) PENNACCHI, l. c. pag. 584 et D'ANNIBALE, l. c. n. 115, not. 19, tenent, *lanistas*, vulgo *maestri di scherma*, et vendentes arma, dummodo pro arte et munere suo eas vendere, locare omnibus soleant, non incurrere hanc censuram.

(2) Card. LEGA, l. c., n. 52.

(3) BUCCERONI, l. c., n. 44.

(4) D'ANNIBALE, l. c., n. 115; Card. LEGA, l. c., n. 52; BUCCERONI, l. c.

Ex § 2 huius can. 2351 duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames. De hac poena recolantur ea quae diximus supra, n. 272 et seqq.

Poenae in cogentes ad amplectendum statum clericalem vel religiosum.

CAN. 2352. — Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

394. Cordi semper Ecclesiae fuit ut nonnisi vocati a Deo sponte ac libera voluntate statum clericalem amplecterentur aut religionem ingrederentur. Hinc in can. 1 D. LXXIV annuae suspensioni subiiciebantur Episcopi invitum ordinare praesumentes (1). Hinc S. Pontifex Alexander IV in c. 2, *de Regularibus et transeuntibus ad religionem*, III. 14, in VI°, *Fratribus Praedicatoribus et Minoribus* in virtute obedientiae et sub poena excommunicationis districtius prohibuit, ne aliquem intra annum probationis constitutum ante emissam professionem impedire praesumerent ne rediret ad saeculum (2). Et S. Concilium Tridentinum *ad tuendam libertatem sive virorum sive mulierum in amplectendo statu religioso,* plura sapienter constituit, uti videre est in cap. 16 17 et 18 sess. XXV, *de Regularibus et Monialibus.*

In c. 16 irritas declaravit donationes, contractus et pactiones quaslibet factas a novitiis etiam cum iuramento vel in favorem cuiusque causae piae ante completum decimum novitiatus mensem, ac sub anathemate prohibuit parentibus, propinquis et curatoribus quidquam de bonis novitii, praeter victum et vestitum, dare monasterio; « *ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiae suae monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit.* » Et in cap. 17 *libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens*

(1) C. 7, D. LXXIV; c. 23, C. XXV, q. 2.

(2) « ... vobis (ita in cap. cit.) de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiae et sub poena excommunicationis auctoritate praesentium districtius inhibemus, *ne ante annum probationis elapsum...* quemquam ad professionem vestri ordinis seu renunciationem in saeculo faciendam recipere, *nec constitutum intra huiusmodi annum aliquatenus impedire, quo minus intra ipsum* ad aliam religionem, quam maluerit, transeat: vel... *omnino ad saeculum redeat,* sicut de sua voluntate processerit praesumatis ».

sancta Synodus, statuit atque decrevit: « ut si puella quae habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus... virginis voluntatem diligenter, *an coacta, an seducta sit*, an sciat quid agat, *et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit... libere ei profiteri liceat* ». Ac tandem in cap. 18 S. Synodus « *censuram excommunicationis tulit contra omnes et singulas personas,* etiam qualibet dignitate fulgentes, *si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam*, praeterquam in casibus in iure expressis, *ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem,* quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint ».

395. Haec omnia prae oculis habens Legislator, in canone 542, n. 1.° edixit: « *invalide ad novitiatum admitti* (illos) *qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit* ». Et in c. 572, 4° constituit: *religiosam professionem vi aut metu gravi aut dolo emissam esse invalidam.* Ad clericos quod spectat in can. 971 statuit: « *Nefas est quemquam*, quovis modo, ob quamlibet rationem, *ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere* ». Et in can. 2352 supra transcripto censuram excommunicationis latae sententiae nemini reservatae infligit contra omnes quomodolibet cogentes ad amplectendum statum clericalem vel statum religiosum.

Dicitur 1°: « omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes ». Hinc, exceptis S. R. E. Cardinalibus, c. 2227, § 2, omnes alii cuiuslibet dignitatis, sive ecclesiasticae sive laicalis, huic censurae subiiciuntur.

2°: « quoquo modo cogant »; idest sive directe sive indirecte; sive dolo ac fraude, vi aut metu gravi, sive etiam precibus importunis aliisque modis, quibus non extantibus, quis procul dubio statum clericalem non amplecteretur, seu religionem non ingrederetur, nec religiosam professionem emitteret.

3°: « sive virum ad statum clericalem amplectendum ». Quis dicitur amplecti statum clericalem, quando divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipatur; tunc enim fit clericus ex praescripto can. 108, § 1: « Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur ».

Quaeritur, an quis innodaretur hac censura, si cogeret ad recipiendos ordines maiores clericum, qui, post ordines minores sponte susceptos, ad statum laicalem redire vellet. Et affirmative respondendum videtur, quia habetur violatio can. 971 (1).

4°: « sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam » (2). In cap. 18 Concilii Tridentini supra citato: « tria membra distincte numerantur, scilicet coactio ad ingrediendum monasterium, ad suscipiendum habitum et ad professionem emittendam... Concilium bis haec tria enumerat tanquam omnino distincta. Et ideo in illo primo membro *non dicit ingredi religionem, sed monasterium*, quia nimirum per illud prohibet, ne cogantur foeminae ad habitandum ibi, *etiam proprio habitu* retento » Suarez. D. 23, S. 7, n. 6.

In novo Codice omissum fuit primum membrum, idest ingressus in monasterium, et fit mentio de emittenda professione et de ingressu in religionem, qui ingressus, ni fallimur, exprimitur a Conc. Tridentino per verba « *ad suscipiendum habitum cuiuscumque* religionis ». Consequenter postulantes, utpote qui nondum habitum susceperunt (c. 540), non censentur ingredi religionem; ideoque *quis censetur ingredi religionem*, non per admissionem ad postulatum, uti censent nonnulli DD (3), sed *per admissionem ad novitiatum.* Quid quod postulantes, uti verbum ipsum demonstrat, petunt seu postulant ingredi religionem? Ergo nondum ingressi sunt; sed tunc religionem ingrediuntur cum admittuntur ad novitiatum.

5°: « vel ad emittendam religiosam professionem etc. »; idest etsi quis non coegerit virum aut mulierem ad religionem

(1) Cerato, l. c. n. 66.

(2) Nomine religionis venit: « societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt »; can. 488, 1°.

(3) Cerato, l. c. n. 66.

ingrediendam, subiicitur tamen huic excommunicationi, si ipsum vel ipsam cogat ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

Notandum denique est, quod *excommunicatio non incurritur nisi effectu secuto, idest post ingressum in religionem vel post emissam professionem.*

Poenae in raptores mulierum intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa.

CAN. 2353. Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur.

396. Superfluum ducimus, in hoc canone interpretando, diu immorari in exponenda et evolvenda notione raptus, quatenus est impedimentum dirimens matrimonium, iam a Concilio Tridentino in cap. 6, Sess. XXIV, de ref. matrim. primitus constitutum, et nunc in novo Codice confirmatum in can. 1074, § 1. Nobis enim *heic agendum est de raptu prout est crimen*, deque iustissimis poenis quibus mulctatur.

Dicitur 1: « Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa ». Sive igitur quis rapiat mulierem causa ineundi coniugii, sive causa explendae libidinis, subiacet poenae latae sententiae remotionis ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae plecti debet per sententiam iudicis condemnatoriam.

Dicitur 2°: « rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo ». Requiritur nempe ut mulier violenter transferatur a loco tuto ad locum non tutum moraliter diversum in quo revera eadem constituatur sub raptoris potestate. Necesse pariter est ut abductio sit violenta, facta nempe sit per vim aut metum, aut etiam per dolum; dolus enim in casu vi aequiparatur (1). Denique ut habeatur raptus, mulier nolens esse debet. Si igitur ipsa blanditiis et illecebris fiat volens, poena, de qua in canone, non in-

(1) Card. GASPARRI, *De matrimonio*, vol. 1, (ed. 3ª) n. 619; ibi: « Animadvertimus *rapere* esse *vi abducere*, ex l. 3 ff. *De incendio, ruina:* « Aliud autem esse rapi, aliud amoveri palam est. Siquidem amoveri aliquid sine vi potest, rapi autem sine vi non potest ». Iamvero violenta abductio rei materialis alienae dicitur *rapina*, viri vel foeminae dicitur *raptus*. Unde *raptus proprie est violenta abductio de loco in locum viri vel foeminae* ».

curritur. Nihil refert, an mulier rapta fuerit virgo, aut deflorata, vel vidua, bonae vel malae famae; lex enim non distinguit. Dummodo igitur mulier nolens rapiatur vi aut dolo, crimen raptus habetur, ideoque poena incurritur.

Dicitur 3°: « vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis etc. ». Hinc si quis rapiat puellam minoris aetatis, quae nempe nondum expleverit aetatem duodecim annorum, consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, incurrit pariter poenam, de qua in canone, aliisque poenis plectendus est, ob iniuriam illatam parentibus vel tutoribus.

Additur 4°: « ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper etc. ». *S. Concilium Trid. l. c.*, praeter impedimentum dirimens matrimonium, statuerat etiam poenas in raptorem eique cooperantes his verbis: « Nihilominus (i. e. licet raptam in uxorem, servatis servandis, possit habere) raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare » (1).

Nunc vero in novo Codice decernitur contra raptores poena vindicativa latae sententiae remotionis ab actibus legitimis ecclesiasticis, ac praeterea praecipitur iudici ut alias poenas graviores vel mitiores infligat contra raptores, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; c. 2218. Nihil proinde impedit quominus iudex infligat contra raptores, si res ferat, gravissimas poenas a Conc. Trid. iam statutas, vel alias, dummodo aptae sint ad damna illata resarcienda (2) et ad scandalum reparandum.

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, *De ref. matr.*, c. 6.

(2) Card. Gasparri, l. c., n. 617; ibi: « sed damna illata raptor ex ipso naturae iure reparare debet ».

1) Poenae l. s. in *laicos* legitime damnatos ob delictum homicidii etc.
2) Poenae f. s. *in clericos* committentes crimina uti in § 1.

CAN. 2354. — § 1. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna.

§ 2. Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione; reus vero homicidii culpabilis degradetur.

397. Dicitur: 1°: « Laicus qui fuerit *legitime damnatus* ». Ut igitur incurrantur poenae vindicativae latae sententiae quae in hoc canone decernuntur, haud satis est ut laicus commiserit unum vel aliud ex delictis in eodem canone recensitis, sed *requiritur omnino ut quis fuerit damnatus, et quidem* necesse est ut damnatus fuerit *legitime*, idest servato ordine iudiciali. Eapropter etsi laicus *revera patraverit* aliquod delictum de quibus in hoc canone, sed tamen fuerit absolutus, tametsi iniuste, vel ex falsis testibus, vel malis suis artibus et tantum ab *instantia* absolutus fuerit (1), poenis latae sententiae huius can. non adstringitur.

Dicitur 2°: « ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus etc. ». Haud immorabimur in declarandis singulis delictis in hoc can. recensitis; alia enim explanavimus in canonibus praecedentibus, alia vero facile intelliguntur, nec ulla indigent declaratione, alia denique patebunt ex iis quae inferius tradenda sunt.

Dicitur 3°: « ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis etc. ». Quinam sint actus legitimi ecclesiastici a quibus exercendis laici ex praescripto huius can. excluduntur, iam scimus ex can. 2256 (2). Tantummodo igitur animadvertendum est quod, etsi agatur de poenis latae sententiae, quae tenent ipso facto delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, tamen

(1) Dicitur absolutus *ab instantia*, non is qui innocens apparuit, sed is cuius crimen semiplene tantum probatum fuit. V. D'ANNIB. *Summula Theol. Mor.* P. 1. n. 242, not. 58; v. supr. n. 10.

(2) V. supr. n. 203.

observantia harum poenarum, ad normam can. 2232, § 1, exigi nequit ante sententiam iudicis declaratoriam (1).

Dicitur 4°: « firmo onere reparandi damna ». Et merito quidem; quisque enim damnum alicui infert, tenetur ad damna reparanda seu ad praestandum id quod interest pro mensura iuris laesi. Hinc edicitur in can. 2210, *ex delicto,* praeter actionem poenalem, *oriri etiam actionem civilem* **ad reparanda damna,** si cui delictum damnum intulerit (2).

398. In § 2 additur: « Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur etc. ». Agitur de poenis *ferendae sententiae,* ideoque per sententiam iudicis condemnatoriam pro diversa reatus gravitate infligendae sunt. Iudex vero in huiusmodi poenis infligendis semper prae oculis habeat illa omnia quae supra adnotavimus sive quoad aequam proportionem servandam inter delictum et poenam, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; c. 2218, § 1; sive quoad facultatem suspendendi exsecutionem poenae inflictae per sententiam condemnatoriam, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit can. 2288, vel etiam abstinendi a poena infligenda, « si reus perfecte fuerit emendatus et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis »; c. 2223, § 3, n. 2 (3).

Poenae in irrogantes iniuriam verbalem vel laedentes famam.

CAN. 2355. — Si quis non re, sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione iniuriam cuiquam irrogaverit vel eius bonam famam laeserit, non solum potest ad normam can. 1618, 1938 cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio.

399. Dicitur 1°: « Si quis non re, sed verbis vel scriptis... iniuriam cuiquam irrogaverit ». Agitur proinde in hoc canone *de iniuria verbali*, quae apprime *distinguenda* est *ab iniuria reali*, quaeque fieri potest sive verbis, sive scriptis, sive publicis ephemeridibus, aut concionibus, libellis aliisque modis.

(1) V. supr. num. 126 et seqq.
(2) V. supr. num. 51 et seq.
(3) V. supr. num. 94 et 266.

Additur 2°: « vel eius bonam famam laeserit ». *Agitur de crimine diffamationis,* quod crimen, praeter debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, si de clericis agatur, et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio puniri potest. Ut igitur hae gravissimae poenae tunc tantum infligantur, cum crimen diffamationis revera commissum est, *praestat* omnino *ut recte intelligatur in quo consistat proprie huiusmodi crimen.*

400. *Diffamatio definiri potest: famae alienae laesio iniusta* (1). *Duplici modo fama laedi potest,* sive nempe *revelando crimen occultum, sive impingendo alicui crimen falsum vel nullimode probatum.* In primo casu habetur *detractio,* in secundo casu *calumnia.* Iamvero in detractione, iuridica imputabilitas consistit *in iniusta* revelatione; in calumnia vero consistit *in mendacio* seu in assertione criminis *falsi* vel *nullimode probati.* D'Annibale haec habet de detractione: « *Detractio in criminis revelatione tota consistit;* sed necesse est ut *illud sit occultum,* haec *iniusta* » (2). Praeterea, uti docet S. Thomas, quem sequitur Divus Alphonsus (11, 968), requiritur « *ut quis ad hoc de alio obloquatur, ut famam eius denigret, quia peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis diiudicanda* » (3). Hinc scribit S. Alphonsus l. c.: « Maxime hic est advertenda doctrina Divi Thomae ubi docet, *illum proprie detrahere qui male loquitur de altero intendens eius famam denigrare.* Secus autem, si hoc non intendat, sed aliquid aliud. Ratio est quia (ut addit idem S. Thomas) *hoc... non est detrahere per se et formaliter loquendo, sed solum materialiter et quasi per accidens.* Unde infert S. Doctor quod *si verba... per quae fama alterius imminuitur proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium,* debitis circumstantiis observatis, *non est peccatum nec potest dici detractio* ».

(1) LEHMKUHL l. c. I, n. 1175.

(2) « Ex primo igitur, detractio ne intelligi quidem potest penes eum quem crimen non latet; nec in crimine publico vel evulgato (sive iuste sive iniuste) in eo loco ubi crimen publicum est, penes eos quos latet.... Ex altero autem, cessat peccatum detractionis quoties crimen proditur ex iusta causa; ex. gr. ad vitandum damnum iniustum et grave sive publicum, sive tuum, sive alterius ». Ita D'ANNIBALE, *Summ. Th. Mor.* 11, n. 260.

(3) S. THOMAS, 2, 2, q. 73, a. 2.

Hisce omnibus prae oculis habitis, quisque facile videt, quod *tunc reus* poterit ad normam can. 1618, 1938 cogi *ad debitam satisfactionem* praestandam damnaque reparanda, ac poenis de quibus in canone, mulctari, *cum constiterit de iniusta criminis revelatione et insimul de animo diffamandi.* Et quia nemo praesumitur malus nisi probetur, hinc *non praesumitur animus diffamandi*, *sed* ab allegante omnino *probandus est* (1).

401. Notandum vero est *adesse in iure causas excusantes a secreto servando circa factum criminosum alterius*; ex. gr. excusat bonum commune, vel etiam inquisitio a Superiore facta et ita porro. Quamobrem si quis, extantibus huiusmodi causis, crimen alterius patefecerit, de crimine diffamationis argui non potest, et consequenter nec poenis, de quibus in canone, mulctari.

Quoad obligationem praestandi debitam satisfactionem et damna illata reparandi, animadvertendum est, quod haec obligatio sequitur et mensuratur ex violatae iustitiae legibus. Quocirca ad normam can. 2218, § 3, *cessat haec restitutionis obligatio* « quadam quasi compensatione iuris exigendae restitutionis, *si duo simul mutuo detraxerint* » (2). Hinc edicitur in cit. can. 2218: « *Mutua iniuria compensatur*, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena » (3).

402. Denique notetur quod: « in causa iniuriarum aut diffamationis, *ut actio criminalis instituatur*, *requiritur* praevia denuntiatio aut *querela partis lesae* (4). Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest etiam ex officio »; can. 1938. Ex praescripto can. 1703 actio iniuriarum uno anno perimitur.

(1) « Ad effectum arguendi fraudem vel culpam (eo magis dolum) non sufficiunt coniecturae et praesumptiones, sed requiritur factum positivum ». S. R. Rota, coram *Priolo*, dec. 20, n. 4.

(2) D'Annibale l. c. num. 266.

(3) V. supra, num. 74.

(4) Cf. Cod. p. ital. art. 400.

Poenae in simultanee bigamos.

CAN. 2356. - Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excomunicentur vel personali interdicto plectantur.

403. Hoc canone compescitur protervia illorum, quos haud pudet, obstante coniugali vinculo, aliud attentare matrimonium. Vinculum Sacramenti Matrimonii indissolubile est, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas, possit inter coniuges tori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas est (1). Hinc in Concilio Florentino in suo decreto pro Armenis S. Pontifex Eugenius IV edixit: « Assignatur autem triplex bonum matrimonii, primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; secundum est fides quam unus coniugum alteri servare debet; tertium est *indivisibilitas matrimonii* propter hoc quod significat coniunctionem Christi et Ecclesiae. *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit* ». Et haec omnia solemniter definivit S. Concilium Tridentinum, in can. VII, sess. XXIV, de Sacram. Matrim. his verbis: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta evangelium et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimoni vinculum non posse dissolvi, et *utrumque, vel etiam innocentem,* qui causam adulterio non dedit, **non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere**, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anathema sit ». Merito proinde Legislator bigamos de quibus in canone, ob gravissimam iniuriam ab ipsis illatam dignitati Sacramenti Matrimonii, inurit poena infamiae latae sententiae.

Hisce adnotatis, verba canonis breviter declaranda sunt.

Dicitur 1°: « Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo etc. ». Superfluum ducimus heic declarare quid sit bigamia et quomodo dividatur. Tantum animadvertimus quod *heic non consideratur bigamia prout est causa irregularitatis*, uti in can. 984, *sed potius quatenus est crimen.* Hinc in casu illi bigami sunt, uti declara-

(1) Cf. can. 1110, 1118, 1129, 1131.

tur in ipso canone, qui quamvis ligati vinculo prioris coniugii, tamen etiam per civilem tantum actum, aliud attentant matrimonium.

Igitur crimen bigamiae in casu perfectum haberi debet, ideoque et poena infamiae incursa, statim ac quis matrimonium attentaverit, etsi postea quacumque ex causa haud operam dederit consummationi huius secundi matrimonii. Si quis vero, constante matrimonio, alias mulieres cognoscat solutas vel copulatas, bigamus in sensu huius canonis non est; et quamvis, uti videbimus in canone 2357, aliis poenis plectendus sit, tamen poenam infamiae in hoc canone statutam non incurrit.

Additur: « et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant.... excommunicentur etc. ». Monendi igitur sunt ut ab illicito contubernio recedant; et si non obtemperent Ordinarii monitioni, pro diversa reatus gravitate, vel personali interdicto vel etiam excommunicatione mulctari debent.

Poenae in damnatos: *a*) ob stuprum, sodomiam etc. *b*) ob publicum adulterium vel concubinatum vel alia delicta contra sextum.

Can. 2357. - § 1. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit.

§ 2. Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint.

Can. 2358. - Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit.

Poenae in clericos minores ob delicta contra sextum.

Can. 2359. - § 1. Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181.

Poenae f. s. in clericos in sacris reos: *a*) concubinatus. *b*) adulterii, stupri etc. *c*) alius delicti contra sextum.

§ 2. Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur.

§ 3. Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

404. *In canonibus supra transcriptis compescuntur delicta commissa contra sextum decalogi praeceptum*, et aliae poenae

constituuntur contra laicos, aliae vero contra clericos in minoribus ordinibus constitutos, aliae demum contra clericos in sacris, sive saeculares sive religiosos. Expendamus igitur prae primis can. 2357, in quo agitur *de poenis statutis contra laicos.* In praedicto can. 2357 dicitur 1°. « Laici legitime damnati ob delicta etc. ». Haud igitur satis est ad incurrendam poenam infamiae, ut quis commiserit aliquod delictum de quibus in § 1° huius canonis, sed *necesse est*, uti innuimus supra n. 396, ut fuerit legitime damnatus. Delicta quae in hoc canone recensentur, sunt sequentia: 1) delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa; 2) stuprum, idest violenta oppressio virginis; 3) sodomia, idest coniunctio innaturalis, vel duarum personarum eiusdem sexus; 4) incestus seu coniunctio consanguineorum aut affinium in gradu prohibito; 5) lenocinium, seu cooperatio ad huiusmodi crimina patranda.

Additur 2°: « ipso facto infames sunt praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit »; idest si laici legitime fuerint damnati ob aliquod delictum ex recensitis in § 1 huius canonis, praeter poenam infamiae, quam ipso facto incurrunt, possunt quoque plecti aliis poenis quas Ordinarius infligendas iudicaverit. De infamia recolantur ea que diximus supra num. 272 et seqq.

405. *Ex* § 2 huius canonis *si laici legitime fuerint damnati ob alia delicta* contra sextum decalogi praeceptum, excludendi sunt per sententiam iudicis condemnatoriam ob actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint (1). *Itemque laici eadem poena plectendi sunt si: « publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant ».* Iam scimus ex can. 2197 quandonam delictum sit publicum necne; hinc satis est ut heic revocentur ea quae diximus supra num. 9.

406. Nunc *ad clericos minores* quod spectat, animadvertimus quod si et ipsi aliquod delictum commiserint de quibus in can. 2357, praeter poenas in eodem canone contra laicos constitutas, si his locus sit, pro diversa criminis gravitate mitius vel gravius *puniendi sunt, etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant.* Idest si Ordinarius, omnibus

(1) Vid. supr. num. 202 et seq.

perpensis, prudenter iudicaverit, clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri, can. 212 et can. 1363, nec puro corde ac mundo corpore inservire ecclesiasticis ministeriis quae sola continentia oportet impleri, ipsum e statu clericali dimittere debet (1).

407. Quod *si etiam clerici in sacris* sive saeculares sive religiosi sese temerare non erubuerint uno vel alio ex infandis criminibus recensitis in § 2 canonis 2359, quae sunt fere eadem ac illa quae habentur in can. 2357, plecti debent gravissimis poenis statutis in eadem § 2, ubi legitur: « suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur ». Agitur proinde *de poenis ferendae sententiae*, quae a iudice vel Superiore infligi debent; c. 2217 § 1, 2. Quamvis lex utatur verbis praeceptivis, ideoque huiusmodi poenae ordinarie infligendae sint, tamen multum committitur conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris, qui proinde ad normam can. 2223, § 3, pro rerum et personarum adiunctis, potest poenae applicationem differre, vel a poena infligenda abstinere, vel poenam determinatam temperare, aut loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere, aut aliquam poenitentiam iniungere. V. supr. n. 94.

408. *Si vero iidem clerici in sacris, aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint*, ex § 3 canonis 2359, congruis poenis secundum casus gravitatem puniri debent, non excepta, si casus ferat, officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

409. Denique ex praescripto can. 2359, § 1, *si iidem clerici in sacris sint concubinarii*, prae primis monendi sunt, et si tempore ab Ordinario praefinito non resipuerint, cogendi sunt ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, ad normam can. 2176-2181.

S. Concilium Trid. in cap. 6, sess. XXI, de ref. et in cap.

(1) Cap. 13, X, *de vita et honestate clericorum*, 111, 1; ibi: « Ne vero facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem poena cohibeat a peccato ».

14 sess. XXV, de ref., gravissimas poenas decreverat contra clericos concubinarios, ac statuerat methodum servandam in iisdem poenis infligendis. Sed haec exponenda sunt quando sermo erit de can. 2176-2181, quibus statuitur *modus procedendi contra clericos concubinarios.*

Postquam disseruimus de delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores, et de poenis quibus huiusmodi delicta plectuntur, nunc *praestat ut loquamur de crimine falsi,* quo vitae, libertati ac bonae famae gravissimum damnum inferri potest. Sit itaque

TITULUS XV.

De crimine falsi.

Poenae l. s. in falsarios litter. decr. vel rescriptorum S. Apostolicae.

CAN. 2360. - § 1. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

Aliae poenae ferendae in clericos vel religiosos reos criminis de quo in § 1.

§ 2. Clerici delictum de quo in § 1 committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.

Poenae in crimen obreptionis vel subreptionis rescriptorum.

Can. 2361. - Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054.

Falsarii quorumlibet actorum ecclesiasticorum.

Can. 2362. - Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can. 2406, § 1.

410. *Crimen falsi* communiter definitur: *Dolosa veritatis immutatio vel suppressio in damnum alterius vel sui commodum facta* (1). Ut igitur aliquis incidat in crimen falsi requiritur: 1° ut veritatem immutaverit, vel suppresserit; 2° ut dolo malo id fecerit; etenim sine fraude et dolo illud committi haud posse tradit *lex 20 Cod. ad leg. Cornel. de falsis*; 3° ut hoc alteri

(1) D'ANNIBALE, l. c., n. 78; WERNZ, l. c., n. 423; CARD. LEGA, op. cit. vol. 3, n. 446.

graviter nocere vel sibi prodesse possit, licet per accidens neutrum sequatur, atque ideo necesse est ut falsitas ea sit, quae alterum decipere possit (1). Si unum ex istis tribus elementis desit, crimen falsi sensu stricto non habetur, et consequenter poena falsi locum non habet (2). Quamobrem si falsas litteras confeceris, aut veras corruperis mox laceraturus, nemini nocens, verius est excommunicationem cessare (3). Qui falsum admittit dicitur *falsarius*, licet falsum admiserit semel tantum (4).

411. Tradunt communiter DD. *crimen falsi committi, dicto*, scripto, *facto et usu.*

Dicto crimen falsi committunt testes qui aut mendacium proferunt aut veritatem occultant. Itemque uti falsarius punitur iudex qui, pecunia corruptus, iniustam profert sententiam; c. 1, X, *de sent. et re iud.*, II, 27.

Facto falsarii sunt, praesertim illi qui nummos seu monetas publicas ex materia falsa vel cudunt auctoritate sua, vel fingunt prorsus, aut studiose expendunt.

Usu seu melius *abusu* falsarii sunt, qui, falsitate ab aliis posita scienter utuntur seu potius fraudulenter abutuntur, veluti in colligenda et expendenda falsa moneta, vel in usu falsarum litterarum Apost. Sedis.

Denique *scripto* crimen falsi in foro ecclesiastico committunt praesertim falsificatores litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, de quibus agitur in can. 2360 (5). Iuxta c. 5, X, *de crimine falsi*, V, 20, falsum *scripto* admittitur pluribus modis, qui reducuntur ad sequentes: Nimirum « vel prorsus falsae confinguntur litterae vel genuinae corrumpuntur, cum aliquid inducitur aut deletur in parte substantiali sive sigillum adimendo vel novum addendo, vel falsam rescribendo subscriptio-

(1) Ex l. 47, § *Dolus malus*, *De pactis*. Scilicet falsum sine dolo, *dolus sine evidenti calliditate non fit*. Etenim dolus malus definitur: « Quaevis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, laedendum alterum adhibita »; l. 1 § 2, ff. De dolo malo.

(2) Wernz, l. c.; D'Annibale, l. c.; Santi, h. t. n. 1, De Angelis, h.t. n. 1.

(3) D'Annibale, l. c., n. 81; Bucceroni, l. c. n. 24.

(4) Pirhin., h. tit., num. 25; Schmalzgr., eod. tit., n. 35; D'Annibale, l. c., n. 78.

(5) Wernz, l. c., n. 425 et sqq.; Santi, l. c., n. 2 et sqq.; Card. Lega, l. c., n. 446.

nem, sive obrupto filo nova folia inserendo » (1). Glossa in c. 6, h. t., ad verbum « falsitatis » ita summat indicia corruptarum et falsarum litterarum Apostolicarum: « *forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Haec sex falsata dant scripta valere pusillum* ».

412. Hisce praemissis, nunc animadvertendum est quod in *Const.* « *Apost Sedis* », § 1, n. 9, statuta erat excommunicatio latae sententiae speciali modo R. P. reservata contra falsarios litterarum Apostolicarum, necnon contra falso publicantes vel falso signantes easdem litteras (2); et § 3, n. 3, ferebatur excommunicatio latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservata contra: « Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes ».

Hodierno iure in can. 2360 eadem censura coercentur sive fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, sive illi qui iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utuntur. Edicitur enim in praedicto can. 2360: « Omnes fabricatores seu falsarii ». *Fabricatores illi sunt qui ex novo* seu *ex integro* confingunt litteras, decreta seu rescripta Sedis Apostolicae. *Falsarii vero sunt illi qui veras litteras vel decreta aut rescripta* Sedis Ap. *adulterant,* addendo, detrahendo vel immutando aliquid, ita ut alterum decipere queant; quod vero, non materialiter, sed formaliter aestimari debet, iuxta nempe sensum a Sede Apostolica principaliter intentum.

Haec distinctio inter fabricatores et falsarios quae iam adhibita fuerat in B. Coenae, postea omissa fuerat in Const. « Apost. Sedis ». Sed cum commentatores huius Constitutionis arguerent, fabricatores litterarum Apostolicarum proprie non esse falsarios, ideoque effugere excommunicationem in falsarios con-

(1) CARD. LEGA, l. c., n. 446.

(2) Const. *Apost. Sedis,* § 1, n. 9; ibi: « Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum »; c. 7, X, de crimine falsi, V, 20; B. C. § 6.

stitutam, hinc ad eliminandam hanc interpretationem, iterum in novo Codice adhibita fuit distinctio inter fabricatores et falsarios (1).

Dicitur: « omnes »; hinc, exceptis S. R. E. Cardinalibus (c. 2227, § 2), omnes alii qui concurrunt ad fabricandas vel falsandas litteras etc. de quibus in hoc canone, ad normam can. 2209, §§ 1-3, hac censura innodantur.

Dicitur: « litterarum, decretorum vel rescriptorum *Sedis Apostolicae* ».

Litterarum, idest quacumque forma huiusmodi litterae exaratae fuerint.

Decretorum. Quid sint decreta, innuimus supra num. 356, 1°.

Rescriptorum. Rescripta sunt responsa Summi Pontificis in scriptis data, quibus ius dicitur ad supplicationem vel consultationem alicuius (2). Heic comprehenduntur omnia rescripta sive *gratiae* sint, sive *iustitiae;* sive concessa fuerint in *forma gratiosa,* sive in *forma commissoria* (3).

Sedis Apostolicae. Ad normam can. 7, nomine Sedis Apostolicae veniunt « non solum Romanus Pontifex, sed etiam... Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet ». *Hinc novo iure latius patet obiectum huius excommunicationis.* Etenim in Const. « Ap. Sedis » ferebatur excommunicatio contra falsarios *litterarum Apostolicarum,* idest litterarum « quae nomine R. P. expediuntur... in forma Bullae sive in forma Brevis » (4), *ac supplicationum* gratiam vel iustitiam concernentium. Exinde arguebant DD: « Huc igitur non veniunt signaturae (5), vel litterae cuiusvis alius, et nedum quae prodeunt ab Episcopis, a S. R. E. Cardinalibus, etc., sed nec illae quae ab his prodeunt, qui R. P. aucto-

(1) Bucceroni, l. c., n. 24 scribit: « Minime vero *falsarii* sunt qui *falsas* litteras integras fabricant. Hi enim non *falsarii* sunt, nam *veritatem* re ipsa non immutant, sed *falsas* litteras *fabricantes* sunt, ut in B. Coenae habebatur, ubi *falsarii* et *falso fabricantes* distinguebantur ».

(2) Sebastianelli, op. cit., num. 66; Wernz, op. cit., I, n. 149.

(3) Sebastianelli, l. c., n. 75.

(4) D'Annibale, l. c., n. 40, not. 34.

(5) Signaturae sunt supplices libelli quos Summus Pontifex admittit ad expeditionem, signando - Fiat. - Card. Lega, loc. cit., num. 446, et vol. II, pag. 258.

ritate et mandato negocia expediunt; ut ecce a SS. Urbis Congregationibus, a S. Poenitentiaria, a Nunciis Pontificis, a Legatis Apostolicis etiam a latere » (1).

Additur: « vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes ». *Utentes sunt qui litteras,* decreta vel rescripta immutata vel ex integro conficta *exhibent ut effectum habere possint. Scienter;* hinc utentes excusat ab hac censura incurrenda ignorantia etiam crassa vel supina, et quidquid imminuit imputabilitatem sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis; can. 2229, § 2.

Animadvertendum vero est fabricatores vel falsarios *hanc excommunicationem incurrere statim ac falsitas perfecta fuerit;* tametsi falsificatis litteris, decretis vel rescriptis, facti poenitentes, minime utantur (2). *Utentes* vero innodari hac censura *postquam scienter litteras vel decreta seu rescripta exhibuerint, ut effectum habere possint,* licet de facto non habeant, puta quia falsitas deprehenditur (3).

413. Quia delictum augetur pro maiore dignitate personae quae delictum committit; can. 2207; hinc merito Legislator praecipit in § 2 huius can. 2360, ut *clerici et religiosi committentes delictum de quo in* § 1, *aliis quoque poenis coerceantur,* ita ut, si gravitas delicti hoc requirat, possint clerici plecti etiam poena privationis beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae, religiosi vero etiam poena privationis omnium officiorum quae in religione habent et vocis activae ac passivae, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.

414. Hisce omnibus adnotatis quoad can. 2360, *superfluum ducimus immorari in declarando can. 2362,* quo edicitur, committentes crimen falsi in litteris vel actis ecclesiasticis tam publicis quam privatis, pro gravitate delicti esse coercendos, habita nempe ratione imputabilitatis, scandali et damni, can. 2218, § 1; firmo praescripto can. 2406, § 1, quem nos inferius declarabimus.

(1) D'ANNIBALE, l. c., n. 79.
(2) BUCCERONI, l. c., n. 24.
(3) D'ANNIBALE, l. c., n. 81; BUCCERONI, l. c., n. 24.

415. *Restat igitur ut loquamur de can. 2361,* quo statuitur, fraude vel dolo verum reticentes aut falsum exponentes in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum, posse ab Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054. Et merito quidem; uti enim legitur in cap. 15, X, *de rescriptis, l. 3;* « Sedes Apostolica consuevit exhibere se petentibus liberalem, sed *quidam eius gratia nequiter abutuntur* ». Maxime proinde interest, ut huiusmodi abusus, quoad eius fieri potest, minuantur; hinc expedit ut illi qui in supplici libello ad rescriptum impetrandum fraude vel dolo verum reticeant aut falsum exponant, pro culpae gravitate congruis poenis plectantur.

Dicitur: « salvo praescripto can. 45, 1054 ». In can. 45 statuitur: « Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula: *Motu proprio,* valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, *non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur,* salvo praescripto can. 1054 » quo edicitur: « Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, *etsi unica causa finalis* in precibus exposita *falsa fuerit* ».

Poenae in falso denuntiantes confessarium de crimine sollicitationis.

Can. 2363. - Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894.

416. *Quam detestabile sit facinus illorum qui falso denuntiant apud Superiores confessarium de sollicitationis crimine,* nemo est qui non videat. In Const. « *Sacramentum Poenitentiae* », scribit ad rem Benedictus XIV: « quoniam improbi quidem homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud iudices falso sollicitationis insimulant; ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, *quaecumque persona,* quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit *vel per se ipsam*

innocentes confessarios impie calumniando, vel *sceleste procurando,* ut *id ab aliis...* ». etc. Merito proinde in can. 894 constituitur: « **Unicum peccatum ratione sui reservatum** *Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos* ». Hinc quamvis *iure veteri* hoc peccatum nulla censura latae sententiae puniretur, sed fuisset tantummodo reservatum specialissimo modo Sedi Apostolicae, nunc *hodierno iure* recte omnino coercetur excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Dicitur in can. 2363:

1°: « Si quis per seipsum vel per alios ». Et planum est; « qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum » (1).

2°: « confessarium de sollicitationis crimine ». In quo consistit huiusmodi crimen videbimus inferius, quando declarabimus can. 2368. *Confessarium;* si quis igitur falso accuset sacerdotem de sollicitatione ad turpia, quae tamen sollicitatio dicitur facta extra confessionem et sine ulla relatione ad confessionem, huic censurae non fit locus. Hoc etiam patet ex can. 904, ubi legitur: « debet poenitens sacerdotem, *reum delicti sollicitationis in confessione,* intra mensem denuntiare » etc.

3°: « apud Superiores »; idest apud Superiores, quibus ex iure facienda est denuntiatio; nempe apud loci Ordinarium vel apud S. Congregationem S. Officii; can. 904.

4°: « falso denuntiaverit »; idest: « vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commotus quamvis sciat confessarium esse innocentem, ipsum tamen falso sollicitationis insimulat. *Denuntiaverit; idest iudicialiter,* seu iuxta normas a iure statutas, confessarium accusat de crimine sollicitationis (2). Crimen censetur consummatum post expletam denuntiationem; hinc censura incurritur, etsi confessarius denuntiatus nulla poena mulctatus fuerit.

(1) Reg. 72, R. I., in VI°.

(2) S. C. S. Off., instr. 20 febr. 1866 n. 6; ibi: « *Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habeant;* denuntiationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve Delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis; *nec sufficit si fiat per apochas, vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris* »; cf. instructionem S. C. S. Off. d. 20 iul. 1890 circa examen in causis contra sollicitantes.

3°: « a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem *formaliter* retractaverit » etc. Ex praescripto can. 2248, § 2: « absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3 ». Iamvero « contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit, et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit *aut saltem serio promiserit* »; can. 2242, § 3 (1). *Sed* e contra *reus flagitii de quo in can. 2363, non potest absolvi ab incursa excommunicatione, etsi serio promittat* se satisfacturum praescripto huius canonis. Antequam igitur absolvatur, *regulariter* necesse est ut falsam denuntiationem retractet, et quidem *formaliter*, idest coram Superiore, eiusve delegato, servatis servandis. Praeterea necesse est ut damna, si qua inde secuta sint, *pro viribus reparet.* Dicitur, *pro viribus reparet;* quia revera gravissima damna moralia, quae sequuntur, puta ex inflicta suspensione a celebratione Missae vel ab audiendis sacramentalibus confessionibus, nunquam poterunt profecto plene reparari. Insuper *imponi debet gravis ac diuturna poenitentia;* talis nempe poenitentia quae suo pondere ita premat delinquentem, ut sentiat et agnoscat per ipsam sui delicti gravitatem; ex. gr. si ad sex menses imponatur ieiunium semel in hebdomada, vel audire Missam aut rosarium recitare ter in hebdomada (2).

Diximus *regulariter;* nam si agatur *de periculo mortis,* satis erit ut retractatio fiat eo modo quo fieri potest, verbis nempe aut scriptis. Verbis, idest coram duobus testibus, qui postea coram Superiore testari valeant de facta retractatione. *Scriptis,* idest per scripturam, etiam a confessario exaratam, et ab infirmo subscriptam (3).

In casibus vero urgentioribus, in quibus absolutio sine periculo gravis scandali vel infamiae differri nequeat, satis erit, salvo praescripto can. 2254, si delinquens scriptam retractationem, clausam et obsignatam, tradat confessario, ut eam quam citius tradat Superiori, idest Ordinario vel S. Congregationi S. Officii, prout nempe uni vel alteri falsa denuntiatio facta fuerit.

(1) V. supr. num. 162.
(2) Cf. Cerato, l. c., n. 61; Cappello, l. c., n. 103.
(3) Can. 882; vid. supr. n. 171; Cerato, l. c., n. 61.

Tandem additur in can.: « firmo praescripto can. 894 »; idest, etsi censura, quacumque ex causa non fuerit incursa, tamen *peccatum ratione sui est reservatum Sedi Apostolicae.* Heic recolantur ea quae diximus supra n. 174.

TITULUS XVI.

De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum.

417. In administratione Sacramentorum non pauca delicta committi possunt. Sic delinquere potest sacerdos Sacramenta indignis vel simoniace administrando (c. 2364, 2371); sacramentum confirmationis sine debita facultate conferendo (c. 2365); sacramentales confessiones audiendo vel a peccatis reservatis absolvendo sine necessaria iurisdictione (c. 2366); complicem in peccato turpi absolvendo (c. 2367), vel poenitentem ad turpia sollicitando (c. 2368), aut sigillum sacramentale directe vel indirecte violando (c. 2369). Itemque in administratione vel susceptione ordinum delinqui potest, ordines per simoniam vel contra praescripta can. 955, 993, 994, 974 etc. conferendo (c. 2371; 2373); eosque recipiendo simoniace, vel a censura innodatis, aut a notorie apostatis, haereticis, schismaticis (c. 2371, 2372); vel etiam ad ordines malitiose accedendo ante canonicam aetatem, vel per saltum etc. (c. 2374). Praestat igitur ut haec omnia, quae in hoc titulo XVI exponuntur, breviter declaremus.

Poenae in administrantes Sacramenta indignis.

CAN. 2364. — Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis (1).

418. Excommunicati, uti vidimus supra, excluduntur a communione fidelium (c. 2257); ideoque nedum carent iure assistendi divinis officiis (c. 2259), sed nequeunt praeterea Sacra-

(1) Can. 731 § 1: « *Cum omnia Sacramenta* Novae Legis, a Christo Domino nostro instituta, *sint praecipua sanctificationis et salutis media,* **summa in iis** opportune riteque **administrandis** ac suscipiendis **diligentia et reverentia adhibenda est** ».

menta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia (c. 2260). Itemque ex praescripto can. 731: « vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus, eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint »; et ex can. 855, § 1: « arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint » (1).

Ministri igitur qui contra praescripta horum canonum deliquerint, illi nempe qui ausi fuerint Sacramenta administrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, merito congruis poenis plectendi sunt. Ipsi enim *non dispensatores, sed dissipatores mysteriorum Dei dici possunt,* et qua tales merito suspendi debent ex praescripto huius can. 2364 ab administrandis Sacramentis. Edicitur enim: « suspendantur ab administrandis Sacramentis per tempus etc. ». Agitur, uti quisque videt, de poena vindicativa potius quam de censura c. 2241, § 1; cumque lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie infligenda est; can. 2223, § 3.

Additur: « aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur »; idest si concurrant circumstantiae aggravantes, ex. gr. si agatur de recidivo, c. 2208, tunc Ordinarius praeter poenam in ipso canone taxative statutam, etiam alias poenas ferre potest in delinquentem.

Denique dicitur: « firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis »; hinc ex. gr. communicantes in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, sunt suspecti de haeresi, c. 2316, ideoque subiiciuntur etiam poenis de quibus in can. 2315. Itemque « clerici scienter et sponte in divinis cum eodem (scil. cum vitando) communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam »; c. 2338, § 2.

(1) Can. 855 § 2: « Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat ».

Presbyter sine debita facultate Confirmationem administrans.

CAN. 2365. — Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat.

419. Etsi ordinarius sacramenti confirmationis minister sit solus Episcopus (1); solet tamen quandoque iustis de causis Sedes Apostolica simplici sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi (2). Hinc statuitur in can. 782: « § 1. Ordinarius confirmationis minister est solus Episcopus. § 2. Extraordinarius minister est presbyter, cui vel *iure communi vel peculiari* Sedis Apostolicae *indulto* ea facultas concessa sit. § 3. *Hac facultate ipso iure gaudent,* praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, *Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus,* qui tamen ea valide uti nequeunt, *nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.* § 4. Presbyter latini ritus cui, *vi indulti,* haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in dato indulto aliud expresse cautum fuerit ».

Hisce adnotatis, facile intelligitur dispositio huius can. 2365 quo coercentur tum presbyteri qui, nullimode habentes facultatem, sacramentum confirmationis ministrare praesumpserint; tum illi qui limites facultatis sibi factae, sive a iure sive ex peculiari R. P. indulto, praetergredi ausi fuerint. Et *contra illos* decernitur *infligenda suspensio generalis,* idest tum ab officio tum a beneficio, can. 2278, *hos vero ipsa lex privat facultate, cuius limites praetergredi praesumpserunt.*

Contra usurpantes exercitium ordinis ad Episcopum regulariter pertinentis, merito *statuitur suspensio generalis ferendae sententiae,* quia semper in Ecclesia exercitium ordinis non suscepti grave fuit delictum. Hinc « presbyteri (ita cl. Wernz) si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverunt exsequendum, continuo presbyterii dignitate et sacra communione privati sunt, ut praeeunte Concilio Sardicensi (a. 343-344) c. 19 (cfr. Hefele l. c. t. 1 p. 601 sq.) etiam statuerat Gelasius I. an. 494 (3).

(1) Conc. Trident., sess. VI, *de Confirm.* can. 3.
(2) EUGENIUS IV in Decret pro Armenis.
(3) WERNZ, l. c., n. 459.

Abutentes facultate sibi concessa merito puniuntur privatione eiusdem facultatis; etenim decernitur in can. 78: « Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur ». Et in cap. 24, X, *de privilegiis et excessibus privilegiatorum*, V, 33, Innocentius III iam edixerat: « *privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate* » (1).

Confessiones audientes vel a reservatis absolventes sine iurisdictione.

CAN. 2366. — Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.

420. Uti in can. praecedenti compescitur protervia illorum presbyterorum, qui nec a iure nec ex R. P. concessione habentes facultatem, praesumunt sacramentum confirmationis ministrare, ita pariter *in hoc canone coercentur sacerdotes, qui, sine necessaria iurisdictione, sacramentales confessiones audire vel a peccatis reservatis absolvere praesumunt.* Uti enim edicitur in can. 872: « Praeter potestatem ordinis, *ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis,* sive ordinaria sive delegata, *in poenitentem* ». Et in can. 879 additur: « § 1. *Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa* ».

Hinc Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione sacramentales confessiones audire praesumit, graviter delinquit, ideoque merito *plectitur censura suspensionis a divinis l. sent.*, quae vetat « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet »; can. 2279, § 2, n. 2 (2).

Dicitur: « sacramentales confessiones *audire* ». Confessio dicitur sacramentalis ex parte poenitentis, qui sua peccata confitetur, ut obtineat sacramentalem absolutionem (3). Dicitur « audire »; hinc censura suspensionis incurritur, etsi sacerdos non absolverit, vel finxerit absolvere; aut etiam si, extante errore communi, valide absolverit; can. 209.

(1) Cf. Instr. S. C. de Prop. Fide, 4 maii 1744, pro presbytero Confirmationem ex S. Sedis delegatione administrante. V. S. C. de Prop. Fide, decr. 6 oct. 1863, C. a.

(2) Vid. can. 882.

(3) Vid. supr. num. 339.

421. Praeterea *praesumentes absolvere a peccatis reservatis incurrunt ipso facto suspensionem ab audiendis confessionibus.* Uti enim vidimus supra num. 170, reservatio vi et natura sua coercet iurisdictionem inferiorum, qui proinde nihil possunt in reservatis, excepto mortis articulo, in quo omnis reservatio cessat; can. 882. Quapropter *sacerdos, etsi polleat facultate audiendi confessiones, caret, quoad peccata reservata, necessaria iurisdictione, ideoque absolvens a peccatis reservatis, graviter delinquit.* Quia igitur poena debet esse crimini proportionata, et quoad eius fieri potest, delicto ob quod infligitur analoga; per quae enim, ait Sapientia increata, quis peccaverit, per haec et punietur; hinc merito Sacerdos absolvens a peccatis reservatis sine necessaria iurisdictione, plectitur ipso facto suspensione ab audiendis confessionibus.

Dicitur: « praesumpserit »; hinc ad incurrendam suspensionem *a divinis vel ab audiendis confessionibus*, requiritur ut Sacerdos cognoscat, se non habere necessariam iurisdictionem. Igitur excusat a censura ignorantia sive facti, ex. gr. si nesciat peccata esse reservata; sive iuris, idest si ignoret Ecclesiae prohibitionem; sive etiam censurae; et excusat etiam ignorantia crassa vel supina, minime vero affectata; can. 2229, §§ 1-2 (1).

Dicitur: « absolvere »; dum igitur pro incurrenda suspensione a divinis satis est audire tantum sacramentales confessiones, e contra pro incurrenda hac suspensione ab audiendis confessionibus requiritur pronuntiatio formae absolutionis.

Absolventes complicem in peccato turpi.

Can. 2367. — § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

§ 2. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est.

422. In hoc canone ius vetus quoad absolventes complicem in peccato turpi omnino confirmatur, et clarius determinatur ac evolvitur (2).

(1) Vid. can. 2245 § 4.

(2) Const. *Apostolicae Sedis*, § 1, n. 10; ibi: « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non

Dicitur 1°: « Absolvens vel fingens absolvere ». Igitur ad hanc excommunicationem incurrendam haud satis est ut quis audierit tantum confessionem, sed requiritur ut absolverit vel finxerit absolvere, idest dictis vel factis ita se gesserit, ut poenitens existimet se absolutionem recepisse. Illud non quaeritur, an quis ad confessiones approbatus fuerit vel minus; dummodo absolverit vel finxerit absolvere (1). In Const. « Apostolicae Sedis » dicebatur tantummodo: « absolventes »; sed quia commentatores Const. « Ap. Sedis » docebant, illum confessarium excommunicationi non subiici, qui complicem in peccato turpi simulaverat absolvisse; hinc S. Poenitentiaria proposito dubio reposuit d. 1 Mart. 1878: « Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi non effugere excommunicationem reservatam in C. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* » (2). Ideo nunc in canone addita sunt illa verba: « vel fingens absolvere ».

Praeterea notetur quod in cit. Const. Benedicti XIV ferebatur excommunicatio contra *audentes, praesumentes absolvere, ausu temerario absolventes;* nunc vero, uti pariter in Const. « Apost. Sedis » fertur censura simpliciter *contra absolventem vel fingentem absolvere.* Consequenter ignorantia crassa vel supina non excusat (3). *Quando igitur* (ita Card. Lega) *confessarius absolvendo complicem graviter peccat,* **a censura eum non excusat ignorantia si fuerit crassa vel supina** (4).

Dicitur 2°: « complicem in peccato turpi ». Complices heic intelligimus *omnes* qui communi delinquendi consilio ad normam can. 2209, concurrunt in delictum. Omnes diximus, sive nempe sint feminae sive etiam viri; nec excipiuntur impuberes; nec excluduntur personae cum quibus Confessarius iam ante susceptum sacerdotium turpiter peccavit, uti probatur ex Resp. edito a S. Poenitentiaria d. 22 Jan. 1879; neque denique ex-

approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem ». V. Const. Bened. XIV, *Sacramentum Poenitentiae,* § 4, 1 iun. 1741; Const. *Etsi pastoralis,* 27 maii 1742, § 9, n. 5; Const. *Apostolici muneris,* 8 febr. 1745, § 2.

(1) V. Const. *Sacramentum poenitentiae,* § 4.

(2) S. C. S. Off., 5 dec. 1883.

(3) S. C. S. Off., 13 ian. 1892.

(4) Card. Lega, vol. IV, n. 5; D'Annibale, l. c., n. 86.

cluduntur complices accessorii, illi nempe qui delinquentibus opem v. gr. lenocinium praestant (1).

« Sed ut aliquis criminis socius dici possit, necesse est (advertit D'Annibale l. c.) ut eius particeps sit adeoque ut peccatum adsit ultro citroque, ac ultro citroque sit grave in ipso quoque opere externo (2). Verum haud opus est, ut actus turpis adfuerit ultro citroque, sed satis alterum alteri ita consensisse, ut a letali excusari non possit » (3).

« In peccato turpi ». Peccatum turpe est *peccatum inhonestum contra sextum decalogi praeceptum* (4); proindeque nedum turpia facta heic veniunt, sed etiam turpia verba, turpes aspectus. Siquidem proposito dubio ab Episcopo Aurelianiensi: « An prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus, an vero comprehendat omnia peccata gravia contra castitatem, exterius commissa, etiam illa quae in meris adspectibus consisterent »; S. C. S. Off. d. 28 Maii 1873 respondit: « comprehendi nedum tactus, verum etiam peccata gravia exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus qui complicitatem important » (5).

Dicitur 3°: « idque etiam in mortis articulo si alius sacerdos, licet non approbatus etc. ». Haec verba apertissima sunt. Siquidem nec in periculo mortis (6) potest sacerdos suum complicem in peccato turpi absolvere, si adest alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, qui, sine infamia sacerdotis et fidelium scandalo, potest morientis confessionem excipere. Igitur in *articulo mortis excusat gravis exoritura infamia et scandalum, quae haberentur si alius vocaretur sacerdos vel non approbatus ad confessiones.* Quando enim alius sacerdos vocari nequit ad

(1) Card. Lega, l. c., in nota; Bucceroni, l. c. n., 25; D'Annibale, l. c., n. 83.

(2) Hinc si quis abuteretur altera parte per somnum, vel ebrietatem perfectam, sui non compote; peccatum complicitatis ne intelligi quidem potest. Itemque, quia versamur in odiosis, quae sunt restringenda, si complex, licet interius consentiret, exterius tamen resisteret.

(3) Ut puta si mulier non invita deosculari se, vel contrectari turpiter passa est. Si turpiter loquenti aures praebuit non invita. D'Annibale, l. c., n. 84, not. 8.

(4) Bened. XIV, cit. Const. *Sacramentum Poenitentiae,* § 4.

(5) Hilarius a Sexten, l. c., pag. 140; D'Annibale, l. c., n. 83, not. 4.

(6) Vid. supr. n. 187.

excipiendam confessionem sine infamia vel scandalo, tunc iste perinde haberi debet ac si revera abesset (1).

« Sciat autem complex eiusmodi sacerdos (ita Bened. XIV in cit. Const. Sacr. Poenit.) et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt, imo intelligat teneri se graviter huiusmodi pericula quantum in se erit antevertere vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque illius infamia vel scandalo audiendae ».

Notandum vero est *quod si complex sacerdos complicem absolvat in periculo mortis,* non adhibito vel requisito alio sacerdote, scilicet *nulla necessaria causa cogente, illicite, sed valide absolvit, et incurrit censuram.* Legitur enim in cit. Const. Benedicti XIV: « Quamvis huiusmodi absolutio valida futura sit.... non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem auferre, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat; nihilo minus legis poenas nequaquam effugiet* ». Et in can. 884 constitutum est: « *Absolutio complicis* in peccato turpi *invalida est, praeterquam in mortis periculo;* et *etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita* ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae,* 1 Iun. 1741 ».

Tandem animadvertimus quod licet in canone excipiatur unicus casus extremae necessitatis in mortis periculo, tamen non videtur improbanda sententia quorumdam DD. contendentium, absolvi posse mulierem complicem, si adsit urgentissima causa, praeter articulum mortis, scilicet, si alium non habeat sacerdotem, neque ob loci circumstantias, uti in locis missionum, spes ulla sit quod eum sit unquam habitura (2).

(1) PENNACCHI, op. cit., pag. 332.

(2) PENNACCHI, l. c., pag. 332: « Benedictus XIV facultatem confessario complici fecit in mortis articulo complicem absolvendi, si secus infamia et scandalum vitari non possit; periculum igitur infamiae fuit potissima et unica ratio, quae sapientissimum Pontificem induxit ad temperandum legis

Additur 4°: « excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri ». Et planum est; quando enim moribundus ab alio refugit, inimico forte aut consanguineo, eique nullimode vult confiteri, iste perinde haberi debet ac si revera abesset.

423. *In § 2 huius canonis 2367* statuitur: « Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui etc. ». Quapropter *si poenitens peccatum complicitatis omiserit*, non quia inductus a confessario *directe vel indirecte* (1), sed *vel ex oblivione, vel ex alia causa, excommunicatio non incurritur, siquidem requiritur, ut crimen in iudicium fuerit deductum, et iudex super eo sententiam dixerit* (2). Et ita hac § 2, sancitum fuit responsum datum a S. Poenitentiaria, quae d. 19 Febr. 1896, approbante S. P., declaravit: « excommunicationem reservatam in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit, sive directe, sive indirecte ».

Notentur illa verba: « a quo nondum est absolutus »; etenim *confessarius excommunicationem non incurrit, absolvens complicem, qui a peccato complicitatis absolutus iam fuit per alium confessarium.* Legitur enim in responso dato a S. Poenitentiaria d. 16 Maii 1877: « Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum pec-

---

rigorem... Benedictus igitur fidelium scandalum et sacerdotis infamiam vult omnino eliminare; ergo si aliquo in casu eiusmodi ratio evidentissime habeatur, arbitror non agere contra legem sacerdotem, qui complicem suum absolvat ». V. BUCCER. l. cit. n. 25.

(1) « *Directe* autem confessarius inducit poenitentem, quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud iam novit et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conatur poenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit, ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet ». Cf. responsum datum a S. Poenitentiaria d. 19 Febr. 1896.

(2) D'ANNIBALE, l. c., n. 86.

catum turpe, in quo idem confessarius complex fuit ». Hinc « prouti in S. O. d. 29 Mai 1867 decretum fuit (ita cl. Bucceroni n. 26), liberum est confessario absolvere personam complicem, quae a peccato complicitatis inhonesto absoluta iam fuit per alium confessarium: *dandum tamen semper esse consilium confessario*, de quo agitur, *ut*, nisi cogat necessitas, *se abstineat ab excipiendis personae complicis*, licet iam a peccato complicitatis *absolutae*, *sacris confessionibus* ».

Poenae in:
a) sollicitantes ad turpia in confessione;
b) in sollicitantem non denuntiantes.

CAN. 2368. — § 1. Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur.

§ 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.

424. *Hoc canone coercentur tum illi qui commiserint infandum sollicitationis crimen*, de quo in can. 904; *tum* etiam *illi qui scienter omiserint eum, a quo sollicitati fuerint, intra mensem denuntiare* contra praescriptum can. 904. Ut rite intelligatur quandonam poenae statutae in § 1 contra sollicitantes infligi debeant, quando vero incursa censeri debeat excommunicatio statuta in § 2 contra omittentes denuntiationem, duo breviter declaranda sunt, videndum nempe est:

1° in quo consistit crimen sollicitationis de quo in can. 904;

2° quandonam obligatio denuntiandi tenet fideles, ita ut si ultra mensem denuntiationem distulerint, incidant in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam.

In can. 904 edicitur: « *Ad normam* constitutionum apostolicarum et *nominatim constitutionis Benedicti XIV Sacramentum poenitentiae*, 1 Iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ».

Iamvero ad normam praefatae const. « Sacramentum poenitentiae » *sunt rei delicti sollicitationis* illi « sacerdotes, tam

saeculares quam regulares... cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit (1), vel in actu sacramentalis confessionis vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis (2), vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia (3) sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint ».

Illi igitur sacerdotes qui in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles reperiuntur, pro criminum qualitate et circumstantiis, poenis de quibus in can. 2368, § 1, plectendi sunt. Quomodo intelligi debeant singula verba praefatae const. « Sacramentum poenitentiae » supra transcripta, quisque videre potest apud Moralistas, in tractatu *de Sacramento Poenitentiae*. Nobis igitur, ad rem nostram quod spectat, adnotare satis est, *tunc tantum poenas* in hoc canone statutas *esse infligendas, cum « perspecta evaserit patrati criminis veritas »* (4). Hinc adamussim servandae sunt normae processuales quas statuit S. Congregatio S. Officii in Instr. d. 20 Febr. 1866, quasque locorum Ordinarii servare tenentur in processu iudiciali instituendo contra denuntiatum reum criminis sollicitationis.

Scribit ad rem Card. Lega: « S. Congr. S. Officii in exsecutionem Const. « Sacramentum poenitentiae » Bened. XIV, specialem adhibuit sollicitudinem *ut animadversio in sacerdotes sollicitantes ad turpia fieret observato ordine iudiciali*. In hunc scopum edidit Instructionem a. 1866 d. 20 Febr., infra referendam et alias adiecit practicas normas aeque mox exhibendas. Sacerdos enim qui in administrando sacramento poenitentiae, suae

(1) S. C. S. Off. instr. 20 febr. 1867, § 1 « *Sive mares sive feminae* ».

(2) GREGOR. XV, const. « Universi » 30 aug. 1622: « *etiam confessione non secuta* ».

(3) GREGOR. XV, l. c. « Sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda »; BENED. XIV, const. « Sacr. Poenit. », § 2; « Aut sollicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit ».

(4) S. C. S. Off., instr. 20 febr. 1866, n. 12.

rationis agendi non alium habet testem nisi ipsum poenitentem, eumdemque facile nancisci potest accusatorem, Sacerdos ius habet ut huic testi *singulari* eidemque *accusatori* non credatur, nisi res prudentissime antea discussa fuerit in foro iudiciali » (1). *Nec unquam possunt Ordinarii uti contra sollicitantes facultate qua pollent procedendi* **ex informata conscientia** (2).

Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione, gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad S. Congr. S. Officii, quae peculiares instructiones, singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet (3).

Confecto itaque processu ad normam praefatae instructionis S. Officii (4), si perspecta evaserit patrati criminis veritas, poenae in can. 2368, § 1 statutae, pro diversa delicti gravitate infligendae sunt. De huiusmodi poenis *etiam nunc valet* quod monet S. Congr. S. Officii in praedicta instr. n. 12, ubi legitur: « Notandum est, *poenas huiusmodi omnes*, et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV die 5 augusti an. 1745 praescriptam, *esse tantum ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XIV statutum fuit: ceterum ad *terrorem* potius impositum haberi debet quam ut exsecutioni mandetur ».

Notetur vero quod si reus criminis sollicitationis, ante denunciationem, sponte se sistat Ordinario loci eiusve delegato, et confiteatur suum crimen, *poenitentiis dumtaxat salutaribus subiicitur*, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineat; nec coeteris poenis de quibus in praedicto can. 2368, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficitur. Hoc decernitur in laudata instr. n. 13, ubi additur: « Qui vero iudiciaria forma iam prae-

(1) Card. Lega, l. c., n. 538.

(2) Card. Lega, l. c., n. 539.

(3) S. C. S. Off., instr. 20 febr. 1866, n. 16.

(4) *De processu iudiciali instituendo in sollicitantes* agit Card. Lega, vol. IV, n. 538 et seqq.

venti, *sed nondum citati*, sua sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram, sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia *mitius puniantur* ».

Denique notetur responsum datum a S. C. S. Off. d. 15 Sep. 1859, idest: « Cum sollicitatio, dummodo fuerit simplex, nullo iure S. Sedi reservetur, nihil obstat, quominus sacerdos sollicitans, a quovis confessario absolvi possit ».

425. *Hisce adnotatis quoad sollicitantes, nunc explananda est* § 2 huius can. qua ius vetus confirmatur (1), ut videamus *quandonam obligatio denuntiandi teneat fideles*, ita ut incurrant in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, si huic obligationi non satisfecerint. Dicitur enim in can. 2368, § 2:

1°: « Fideles »; idest omnes et singuli, sive mares sive feminae, quicumque illi sint, ad turpia sollicitati in confessione vel occasione aut praetextu confessionis quemadmodum enucleate in praedicta Const. « Sacr. Poenit. » praecipitur (2).

2°: « qui scienter omiserit »; hinc excusant ab hac censura incurrenda ignorantia etiam crassa vel supina, omnesque causae minuentes imputabilitatem ad normam can. 2229, § 2.

3°: « eum, a quo sollicitatus fuerit »; igitur tantum fidelis sollicitatus tenetur denuntiare sub poena excommunicationis latae sententiae eum a quo sollicitatus fuerit; alii vero fideles, qui noverint crimen sollicitationis, tenentur et ipsi denuntiare reum (3), sed nulla innodantur censura, si huic obligationi non satisfaciant (4). Cumque sollicitationis crimen ex solo reo, idest ex solo confessario sollicitante, metiri debeat; hinc nihil refert cuius ae-

(1) Const. « Apost. Sedis », § IV, n. 4; ibi: « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessore nostro Gregorio XV. Const. " Universi ,, 20 aug. 1622 et Benedicto XIV. Const. " Sacramentum Poenitentiae ,, 1 iun. 1741 ».

(2) S. C. S. Off., instr. 20 febr. 1866, n. 1; vid. supr. num. 424.

(3) Dummodo resciverint a personis fide dignis (S. Off. 11 febr. 1661 ad 14), nec revelatum eis fuerit consilii petendi causa. (S. ALPH., VI, 680). V. D'ANNIB. l. c. n. 182, not. 20.

(4) D'ANNIBALE, l. c., n. 182; CERATO, l. c., n. 67, e; CAPPELLO, l. c., n. 141.

tatis aut sexus sit poenitens, et utrum sollicitationem ipse animadverterit, vel intellexerit tunc, an serius; dummodo animadverti et intelligi revera potuisset. Nec poenitens liberatur a denunciatione eo quia sollicitatio fuerit occulta; lex enim non distinguit, et alias vix denunciationi locus foret; nec excusatur eo quia sollicitatio probari nequeat, vel quia multum post eam tempus effluxerit, vel quia confessarius sponte comparuerit (1). In laudata instr. S. Off. 20 Febr. 1866, n. 2 legitur: « Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem, et non praebentem absolutionem poenitenti ». Et sub n. 3 additur: « Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa letali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat ».

4°: « intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit etc. »; idest si poenitens sollicitatus denunciationem distulerit ultra mensem a cognita obligatione denunciandi et a cognita censura secus incurrenda, incidit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, a qua absolvi non potest, nisi prius denunciationem ad effectum perduxerit, aut serio promiserit se obligationi satisfacturum. Diximus, a cognita obligatione etc., quia si poenitens bona fide existimet, adhuc posse differri denunciationem, neque post mensem iam elapsum incurrit excommunicationem (2). In praefata instr. n. 5 legitur: « Poenitentes admoniti, et omnino renuentes, nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittant, possunt absolvi ».

Quibus ex verbis iam patet; posse quandoque differri denunciationem ob iustam causam. Sed ulterius dicimus quod etiam « cessat obligatio denunciandi, si fieri nequeat absque incommodo admodum gravi (3), et quamdiu sollicitatio certa non fuerit

(1) D'Annibale, l. c., n. 182.

(2) D'Annibale, l. c., n. 183.

(3) « Et profluit (ita D'Annib. l. c. not. 29) ex doctrina S. Alph., VI, 699 in fin., qui loquens de muliere, quae multum repugnat adire Inquisi-

et manifesta » (1). Placet heic referre ea quae cit. instr. sapienter advertit sub n. 7; ibi: « Denunciationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. *Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem,* expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit acceptura. *Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii.* Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, *laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit,* et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine ».

Et haec, quae breviter adnotavimus, satis esse possunt ad can. 2368 rite intelligendum; cetera vero quae ad hanc rem pertinent, quisque videre potest apud Moralistas in tractatu de Sacramento Poenitentiae.

Poenae in violantes sigillum sacramentale.

CAN. 2369. — § 1. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1.

§ 2. Quicunque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio.

426. *In hoc canone gravissimae decernuntur poenae tum contra confessarios qui directe vel indirecte sigillum sacramentale violare praesumpserint, tum etiam contra omnes alios qui praescriptum can. 889, § 2 temere violaverint.* Edicitur enim in cit. canone: « § 1. *Sacramentale sigillum inviolabile est;* quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et *quavis de causa* prodat aliquatenus peccatorem.

---

tores, docet posse eam expectare Confessarium qui pro ipsa denunciationem deferat, *quia praecepta positiva non obligant ad rem nimis arduam* (cit. n. 699 in fin.). Et quando agitur de virgine, aut nobili, aut verecunda, quae denunciare renuat, consulatur Episcopus, qui si habet difficultatem, consulat S. C. (Albit. 35, 70 ex decr. S. U. I. 13 sept. 1623) ».

(1) D'ANNIBALE, l. c., n. 182.

§ 2. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpretes aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit » (1).

Profecto haud nostrum est heic exponere illa omnia quae ab auctoribus Theologiae Moralis traduntur de sigillo sacramentali in tractatu de Sacramento poenitentiae. Ad nos spectat illa tantummodo adnotare, quae necessario requiruntur ad canonem supra transcriptum rite intelligendum.

Dicitur 1°: « Confessarium ». Tum in can. 2369 cum in can. 889 apprime distinguntur confessarii ab omnibus aliis ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit. Omnes quidem tenentur obligatione servandi sacramentale sigillum, sed non omnes iisdem poenis obnoxii sunt. Iamvero excommunicationi de qua in can. 2369, § 1 tantummodo confessarii subiiciuntur. Sacerdotes vero, nondum approbati ad confessiones, vel etiam excommunicati, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, hanc excommunicationem non effugiunt, dummodo tamquam veri confessarii fuerint a poenitentibus existimati (2).

Dicitur 2°: « qui sigillum sacramentale ». Iamvero sigillum sacramentale est religiosa obligatio iure divino naturali et positivo imposita ac lege ecclesiastica confirmata servandi *silentium* circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt (3).

Additur 3°: « directe violare praesumpserit, etc. ». Violatio directa sigilli sacramentalis, uti docet cl. Wernz l. c. n. 463, consistit: « in *expressa* revelatione materiae sub solo sigillo confessionis sacramentalis cognitae cum manifestatione personae poenitentis ». Violatio vero *indirecta* habetur « si quis vi cognitionis ex sola confessione sacramentali haustae, aliquid dicit vel facit aut non dicit vel non facit, ex quo periculum oriatur, ne peccatum poenitentis ex sola confessione sacramentali cognitum aliis innotescat aut saltem poenitenti vel ipsius complicibus gravamen

(1) Can. 903; ibi: « Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, si velint, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescripto can. 889, § 2 ».

(2) Cappello, l. c., n. 55.

(3) Suarez, De Poen. disp. XXXIII, sect. I, n. 1; Lugo, De Poen. disp. XXIII, n. 1 sqq.; Ojetti, *Synopsis rerum moralium* etc. (ed. 3ª) n. 3721; Wernz, l. c., n. 463.

procuretur » (1). Utraque violatio sigilli sacramentalis, tam directa quam indirecta, est maxime iniuriosa Sacramento poenitentiae et gravissimum damnum infert fidelibus. Dum enim Ecclesia omnia sapienter disponit (2), ut facile ac leve reddatur poenitentibus hoc Sacramentum, ut ita ad eius sacrosanctum tribunal ipsi alliciantur potius, quam retrahantur; e contra praesumentes violare sigillum sacramentale, etiam indirecte tantum, reddunt odiosum ac onerosum Sacramentum poenitentiae et ab ipso cum maximo Ecclesiae moerore arcent poenitentes. Merito proinde ex praescripto huius canonis *confessarii praesumentes violare* **directe** *sigillum sacramentale incurrunt in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; si* vero **indirecte** *tantum, plectendi sunt, pro diversa criminis gravitate, poenis ferendae sententiae, de quibus in can. 2368,* § **1.**

Dicitur: « praesumpserit »; hinc ad incurrendam excommunicationem, sigillum violari debet ex plena cognitione intellectus ac plena voluntatis determinatione. Consequenter quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis, eximit ab hac censura, can. 2229, § 2.

427. Hisce adnotatis quoad poenas statutas in confessarios violantes sigillum sacramentale, facile intelligitur id quod constitutum est in § 2 contra omnes alios ad quos notitia confes-

(1) WERNZ, l. c.; OJETTI, l. c., n. 3731.

(2) Praeter can. 889 supra relatum, vide can. 890; quo edicitur: « § 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo. § 2. Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem *nullo modo* uti possunt ». In can. 1757, § 3 *repelluntur a testimonio ferendo « uti incapaces... Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt* ». Vid. etiam can. 2027, § 2; necnon decretum ed. a S. C. de Prop. Fide 13 apr. 1807, n. XVII; et c. 12, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V, 38; ibi: « Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem... quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum *praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus,* verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam *in arctum monasterium detrudendum* ».

sionis quoquo modo pervenerit. Ipsi quoque *temere violantes strictissimam obligationem qua adstringuntur ex can. 889, § 2 servandi sacramentale sigillum, debent mulctari pro reatus gravitate salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio;* et planum est.

CAN. 2370. - Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.

Poenae ob consecrationem episcopalem sine apostolico mandato.

428. Hic canon fere nulla indiget declaratione. Compertum enim est consecrationem episcopalem ex can. 953 reservari Romano Pontifici, ita ut nulli Episcopo liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato (1). Illi igitur qui violant praescriptum cit. canonis 953, idest tum Episcopus consecrans, sive residentialis sive titularis, non autem Cardinalis (can. 2227, § 2); tum Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, can. 954; tum etiam ille qui consecrationem recipit, merito plectuntur *poena suspensionis latae sententiae.* Legitur enim in can.: « ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit ». Agitur proinde de suspensione generaliter lata, quae, uti vidimus supra n. 250 et seq.,

(1) Episcopus electus civitatis Assumptionis nuncupatae provinciae Paraquariensis in Indiis occidentalibus receperat consecrationem ab Episcopo Tucumanensi « non praesentatis Litteris Apostolicis provisionis et praefectionis suae in Episcopum eiusdem Ecclesiae, *quae tamen revera concessae prius et expeditae fuerant,* deque ipsa concessione et expeditione, praeviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat... ». Proposito dubio: « An praenarrata consecratio, ut supra peracta, fuerit valida; S. C. Concilii 15 dec. 1657 respondit: « supradictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad sacramentum et impressionem characteris, *fuisse* validam; quantum vero spectat ad licitam exsecutionem Ordinis fuisse irritam et inanem et Episcopum ita consecratum, ac respective consecrantem indigere absolutione et dispensatione ». Vid. litt. apost. « *Alias* » editas ab Alexandro VII, d. 27 febr. 1660; responsum ed. a S. C. de Prop. Fide (C. P. pro Sin.) 30 dec. 1781; Pontificale Rom., tit. *De consecratione electi in episcopum;* ibi: « Nemo consecrari debet, *nisi prius constet* consecratori de commissione consecrandi, sive per Litteras Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo, a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis ».

vetat omnem actum potestatis ordinis et iurisdictionis, privat fructibus beneficii omnesque effectus comprehendit qui enumerantur in can. 2279-2285.

Diximus, *poena, non censura* suspensionis. Agitur enim de suspensione, quae fertur *in vindictam criminis* seu uti *poena vindicativa*. Hoc facile intelligitur ex iis quae diximus supra n. 178, idest: « suspensio quae fertur in perpetuum, vel in diem, vel *ad beneplacitum irrogantis* etc. *tenet uti poena,* quae, ut omnes aliae poenae vindicativae, vel *dispensatione auferri potest,* vel ipso iure cessat, lapso tempore constituto ab illo qui poenas inflixit ». Et ideo dicitur in can.: « donec Sedes Apostolica eos *dispensaverit* ». Iamvero nonnisi poenae vindicativae auferuntur per dispensationem, quia censura tollitur tantum legitima absolutione; can. 2248, § *1* et 2236, § 1. Heic recolantur ea quae diximus supra num. 141 et seq. quoad discrimen inter absolutionem a censuris et dispensationem a poenis vindicativis.

Poenae in simoniace conferentes et recipientes ordines aliaque Sacramenta.

Can. 2371. - Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam.

429. Hoc canone *compescitur crimen simoniae, quod semper Ecclesia detestata est* (1), quodque definitur « *studiosa voluntas emendi aut vendendi,* pretio temporali, *aliquid spirituale vel spirituali adnexum* » (2). De simonia iterum redibit sermo quando explanabimus can. 2392; hinc paucis canonem supra transcriptum absolvemus.

Dicitur: « Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam etc. ». Igitur, *exceptis* tantummodo S. R. E. *Cardinalibus* (can. 2227, § 2), *ceteri omnes,* quicumque ii sint, qui se maculaverint detestabili scelere simoniacae pravitatis, sive ad ordines promovendo vel alia Sacramenta administrando, sive ordines, etiam primam tonsuram (can. 950) vel alia Sacramenta per simoniam recipiendo, *suspecti sunt de haeresi.* Et iure me-

(1) *Act. Apost.*, VIII, 18, 19; C. 9, 20, 22, 39, X, *de simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V. 3; c. 2, *de simonia*, V, 1, *in Extravag. com.*; *Conc. Trid.*, sess. XXI, de ref. c. 1; *S. Congr. de Prop. Fide*, Decr. 13 apr. 1807, n. VIII.

(2) S. THOM., 2, 2, q. 100, art. 1; D'ANNIB., l. c., n. 130.

ritoque; isti enim omnes nedum graviter contemnunt praescripta canonum quibus praecipitur, in Sacramentis administrandis summam reverentiam esse adhibendam, nec unquam licere Sacramentorum ministris quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte quidquam exigere aut petere pro administratione Sacramentorum, exceptis oblationibus de quibus in can. 1507 (can. 731, § 1, 737); sed praeterea dantes vel recipientes pretium temporale pro re spirituali, *censentur vilipendere dignitatem rei spiritualis, idest res sanctas, quasi profanas, venales habent vel habere videntur* (1) *ideoque suspicionem haeresis inducunt.* Hinc merito ex ipsa iuris dispositione censentur suspecti de haeresi et qua tales subiiciuntur praescripto canonis 2315 quem nos iam declaravimus.

Additur: « clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam ». Agitur de censura suspensionis generaliter lata, quae proinde omnes comprehendit effectus qui in can. 2279-2285 enumerantur.

Denique notetur quod ille tantummodo est suspectus de haeresi, et, si clericus, huic censurae subiicitur, qui sciens volens patraverit crimen simoniae de quo in canone. Uti enim patet ex verbo « scienter » lex requirit plenam cognitionem ac deliberationem; hinc quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis de quibus in canone (2).

Poenae in recipientes ordines ab excomm. suspenso, etc.

Can. 2372. - Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur.

430. Ad rite intelligendum hunc canonem, qui transcriptus est, nonnullis immutatis, ex Constitutione « Apostolicae Se-

(1) D'Annibale, Summ. Th. Mor,, III, § 87.

(2) C. 22, X, *de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V, 3; ibi: « De simoniace ordinatis certum tibi non possumus dare responsum, nisi plenius cognoscamus, qualiter fuerint ordinati: cum quidem, *licet* secundum quandam speciem simoniae, *utpote ipsis ignorantibus, simoniace ordinentur: possunt* (*quia simoniaci non sunt*) in suis ordinibus remanere ».

dis » (1), *satis erit nonnulla breviter adnotare quoad ordinantes et quoad ordinatos.*

Ad ordinantes vero quod spectat, animadvertimus quod poenae huius canonis constitutae sunt contra recipientes ordines, sive maiores sive minores (can. 950), ab excommunicatis, suspensis vel interdictis, contra quos lata est sententia declaratoria vel condemnatoria, vel ab apostatis, haereticis, schismaticis notoriis, minime vero occultis.

Quinam sint huiusmodi apostatae, haeretici, schismatici notorii, quinam excommunicati etc. contra quos lata est sententia declaratoria vel condemnatoria, iam scimus ex alias dictis. Igitur ne acta iterum agamus, recolantur ea quae diximus num. 313 et sqq. aliisque in locis.

Quoad ordinatos vero *interest videre, utrum ordines susceperint mala fide* seu ex plena cognitione ac deliberatione, *vel bona fine. Si primum*, idest *si praesumpserint, incurrunt suspensionem a divinis*, manent nempe suspensi ab omni exercitio potestatis ordinis sive receptae per ordinationem sive receptae per privilegium seu commissionem; can. 2279, § 1, n. 2 (2).

Hinc *novo iure graviori censura plectuntur* praesumentes recipere ordines a notoriis haereticis etc.; etenim *ex Const. « Ap. Sedis » incurrebant tantummodo « suspensionem ab ordine suscepto ».*

Sin alterum, idest si bona fide ordines susceperint a praedictis, *carent exercitio ordinis sic recepti.* Heic agitur non de censura, nec de poena proprie dicta, quia sine culpa, poena ne intelligi quidem potest, can. 2218 § 2; sed de mera privatione (3). Additur in fine « donec dispensetur ». Cl. Bucceroni declarans haec verba « donec dispensetur » scribit l. c. n. 110: « dispen-

(1) Const. « Ap. Sedis », § V, n. 6; ibi: « Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti donec dispensetur, declaramus ».

(2) CARD. GASPARRI, *De Sacra Ordinatione,* vol. I, n. 149; vid. supr. num. 253.

(3) Reg. 23, R. I. in VI; vid. supra n. 73, 89, 91.

satio haec, uti ex iure constat, reservata non est S. Pontifici; neque vero hic reservatur, cum indefinite ponatur; unde intelligenda est cum clausula, *prout de iure. Donec dispensetur* a suo episcopo, secus vero verba haec *donec dispensetur*, supervacanea forent. Ante dispensationem peccat ministrando in susceptis » (1).

Can. 2373. - In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:

1.° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint:

2.° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994;

3.° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7;

4.° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966.

Poenae in ordinantes: 1) alienum subditum sine dimissoriis; 2) subditum proprium sine litt. testimon.; 3) vel sine titulo canonico; 4) vel religiosum contra can. 966.

431. In hoc canone *infligitur suspensio per annum ab ordinum collatione* Sedi Apostolicae reservata ipso facto incurrenda *contra ordinantes:* 1) *vel alienum subditum sine dimissoriis* contra c. 955; 2) *vel subditum proprium sine litteris testimonialibus* contra c. 993, n. 4, 994; 3) *vel sine titulo canonico*, contra can. 974, § 1, n. 7; 4) *vel religiosum contra* can. 966.

Haec omnia, fere ex integro, nonnullis immutatis, desumpta fuere ex Const. « Apostolicae Sedis », § V, n. 2-4 (2). Pauca quoad singula adnotanda sunt.

(1) D'Annibale, l. c., n. 206, not. 8.

(2) Const. « Apostolicae Sedis », § V, n. 2-4; ibi n. 2: « Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta ». N. 3: « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus ». N. 4: « Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo ».

Sub n. 1° edicitur: « Qui contra praescriptum can. 955 *alienum subditum* etc. ».

Iamvero in cit. can. 955 statutum est: « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut *cum legitimis* eiusdem litteris *dimissoriis* ». Litterae dimissoriae eae sunt quae scripto continent expressum consensum et licentiam proprii Episcopi, ut subditus possit ab alieno Episcopo ordinari. Dicuntur *dimissoriae* (ita cl. Sebastianelli) quia per illas subditi ordinandi *dimittuntur* a potestate Episcopi proprii et subiiciuntur alieno Episcopo quoad ordinum collationem (1). Quinam possint concedere huiusmodi litteras pro clericis saecularibus, edicitur in can. 958; pro religiosis vero in can. 964.

432. Sub n. 2° legitur: « Qui *subditum proprium* qui alibi, *tanto tempore moratus sit* ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit ». *Tempus* quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere *est*, regulariter, *pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem;* can. 994. Tempus trium mensium pro militibus antea iam praescripserat *pro religiosis S. Congr. super disciplina regulari* die 27 Nov. 1892; postea vero eamdem dispositionem observandam esse edixerat S. Congr. Concilii *in Firmana* 9 Septembr. 1893 et *in Urgellen.* 26 Ian. 1895, *etiam quoad clericos saeculares qui militare servitium egerant* (2).

Dicitur: « canonicum impedimentum »; idest censuras vel irregularitates.

Additur: « ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994 ». Ex can. 993, n. 4 promovendi ad ordines afferre debent: « testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit ». Et « si post obtentas litteras testimoniales et ante peractam ordinationem, promovendus praedicto temporis

(1) SEBASTIANELLI, vol. I, n. 181.

(2) S. C. C., *Urgellen.*, 16 ian. 1895; ibi: « Pro clericis ordinandis, iam militiae addictis, sub poena a Const. *Apostolicae Sedis* comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius dioecesi *per trimestre* commorati fuerint, et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per iuramentum suppletorium ».

spatio (scil. trimestris vel semestris § 1) in eodem territorio rursus moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt »; c. 994, § 3.

433. Sub n. 3° statuitur: « *Qui* aliquem *ad ordines maiores sine titulo can. promoverint* contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7 ». Legitur in cit. can. 974, § 1, n. 7: « Ut quis licite ordinari possit, requiruntur... 7.° *Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus* ». Quid sit huiusmodi titulus canonicus, edicitur in can. 979, ubi legitur: « § 1. Pro clericis saecularibus titulus canonicus est *titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis.* § 2. Hic titulus debet esse *vere securus pro tota ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem,* secundum normas ab Ordinariis pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas ». Et merito quidem; etenim *necesse est ut clerici habeant id quod necessario requiritur ad honestam ipsorum sustentationem, ne in dedecus status clericalis mendicare et negotia saecularia exercere cogantur.* Hinc, aliis omissis, Patres Concilii Tridentini, sess. XXI, de ref., c. 2, edixerant: « *ne quis* deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, *ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere...* Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum ».

In Const. « *Ap. Sedis* » § V, n. 2, *infligebatur suspensio latae sententiae per triennium a collatione ordinum contra ordinantes aliquem* « *absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta* ».

Ratio vero curnam in can. 2373, n. 3° *haec verba:* « *cum pacto etc.* » *omissa fuerint,* plane *dignoscitur ex can. 980,* quo statuitur: « § 2. Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, debent ipsi eorumque successores eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit. § 3. Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico *cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta,* **hoc pactum omni vi caret** ».

434. Tandem id quod statuitur sub n. 4° plane intelligitur ex cit. can. 966, ubi legitur: « § 1. Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat. § 2. Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio » (1).

Malitiose accedentes ad ordines non servatis iis quae a iure requiruntur.

CAN. 2374. - Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur.

435. In can. precedenti coercentur **conferentes ordines** contra praescripta can. 955, 993, 4, 994, 974, § 1, n. 7. 966; nunc vero contra **malitiose accedentes ad ordines,** non servatis iis quae in can. 955, 974, 977 constituta sunt, decernitur suspensio a recepto ordine ipso facto incurrenda. Requiritur enim ex praescripto horum canonum: 1°) ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut *cum legitimis eiusdem litteris dimissioriis*, c. 955; 2°) ut habeat aetatem canonicam, c. 974, § 1, n. 3; et 3°) ut non ordinetur per saltum, idest non recipiat ordinem superiorem, ex. gr. diaconatum, quin prius receperit ordinem inferiorem, nempe subdiaconatum, can. 977. Ille igitur qui contra praescripta horum canonum malitiose accedit ad ordines, graviter delinquit, ac proinde merito plectitur suspensione latae sententiae a recepto ordine (2).

Dicitur: « ad ordines malitiose accesserit », idest sciens

(1) BENEDICTUS XIV, Const. « Impositi Nobis » 27, febr. 1747; ibi: « quod si Episcopus dioecesanus fuerit absens, vel non habuerit ordinationem, non potest religiosus ab alio ordinari, nisi ostendat attestationem Vicarii Generalis, Cancellarii, aut Secretarii eiusdem Episcopi; alias tam ordinans quam sic ordinatus incurrunt censuras et poenas, quas incurrunt qui ab aliquo Episcopo ordinantur sine dimissoriis ».

(2) C. 1-3, X, *de eo, qui furtive ordinem suscepit*, V, 30; Conc. Trid., sess. VI, de ref., c. 5; sess. VII, de ref., c. 10; sess. XIV, de ref., c. 2, 3; sess. XXIII, de ref., c. 8, 14.

volens, in fraudem legis et contemptum ad ordines accedit. Consequenter si desit dolus, suspensio de qua in canone non incurritur (1).

Additur: « qui autem sine litteris testimonialibus vel etc. », idest qui accesserit ad ordines sine litteris testimonialibus Ordinarii loci in quo ipse tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, can. 993, n. 4, 994; vel detentus aliqua censura, irregularitate, can. 983, 2255; aliove impedimento, 987, congruis poenis plectendus est pro diversa criminis gravitate.

CAN. 2375. - Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint.

Praesumentes inire matrimonium mixtum sine Eccl. dispensatione.

436. *Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta;* quod *si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur;* can. 1060. *Nec conceditur dispensatio super impedimento mixtae religionis,* nisi: « 1° Urgeant iustae ac graves causae; 2° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda »; can. 1061, § 1. Patet igitur ex dictis quam graviter delinquunt illi catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum (2), sine Ecclesiae dispensatione inire praesumunt. Quapropter merito *ex praescripto huius can. ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint.*

Quid sint actus legitimi ecclesiastici, quid vero Sacramentalia, iam scimus ex can. 2256, n. 2 et 1144. Hinc tantummodo animadvertendum est quod, ut patet ex verbis: « ausi fuerint » excusant ab huiusmodi poenis incurrendis nedum metus et ignorantia, etiam crassa vel supina, sed etiam quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis; can. 2229, § 2.

(1) C. un. D. LII; cap. un., X, *de clerico per saltum promoto*, V. 29.

(2) S. C. de Prop. Fide, (C. P. pro Sin.-Siam), 9 dec. 1822; ibi: « ... etsi Sancta Mater Ecclesia detestabiles huius generis nuptias damnaverit semper, necnon omnimodis absterrere ab iisdem catholicos sategerit, *non tamen invalidas eas esse S. C. censet, sed tantum vehementer illicitas* ».

Denique dicitur: « donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint ». Ut concedatur haec dispensatio, necesse est ut illi qui admiserunt gravissimum scelus de quo in canone, congruam praebeant satisfactionem, et *in primis necesse est ut promittant se curaturos totis viribus tam conversionem partis haereticae, quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae* (1).

TITULUS XVII.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

437. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.* Cum enim a rebus saeculi in al-

(1) S. C. S. Officii proposito dubio: « Utrum in contractis matrimoniis (cum haereticis) pastores animarum partem poenitentem, dummodo seclusum sit scandalum, tuta conscientia ad receptionem sacramentorum admittere valeant »; die 23 aug. 1877 reposuit: « **Quoad matrimonia valida,** ad sacramenta percipienda posse admitti sine praevia renovatione consensus, sed ab iisdem percipiendis arcendos, donec vera dederint resipiscentiae signa, et promiserint se curaturos totis viribus tam conversionem partis haereticae, quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae, et tandem donec obtinuerint absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus, casu quo contraxerint coram ministro haeretico. **Quoad vero matrimonia invalida,** cum sit nullum eorum matrimonium vitio clandestinitatis, non esse admittendos ad receptionem sacramentorum nisi promiserint post impetratam dispensationem super impedimento mixtae religionis, se fideliter exsequuturos eas omnes conditiones, quae exiguntur in praefata dispensatione, et dein nisi consensum renovaverint coram catholico parocho et duobus testibus, et tandem nisi obtinuerint prius absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus, casu quo matrimonium attentaverint coram ministro acatholico ».

Quaesitum pariter fuit ab eadem S. C., an catholicus facti poenitens, coniuge schismatico conditiones in matrimoniis mixtis requisitas servare renuente, admitti ad sacramenta possit. Et d. 10 febr. 1892 responsum prodiit: « Ad 2 Affirmative, si pars catholica facti vere poenitens sit, praevia absolutione a censuris, impositisque salutaribus poenitentiis, dummodo sincere promittat se summo studio curaturam universae prolis utriusque sexus educationem in catholica religione, et partis schismaticae conversionem »; cfr. S. C. S. Off. (ad Ep. Osnabrugen.), 17 febr. 1864; S. C. de Prop. Fide, (C. P. pro Sin.-Siam), 9 dec. 1822; vide supra n. 330.

tiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant (1). Haec omnia quae a Conc. Tridentino dicta sunt, brevioribus enunciantur verbis in can. 124 novi Codicis ubi legitur: « Clerici debent sanctiorem prae aliis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere ». Ut igitur clerici in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei, merito in hoc titulo XVII gravissimae decernuntur poenae contra illos qui suae dignitatis et officiorum quibus adstringuntur immemores, graviter delinquunt contra obligationes proprias status clericalis. Cumque « obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142, etiam religiosi omnes teneantur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet »; can. 592; *recte in hoc eodem titulo recensentur etiam delicta quae admitti possunt contra obligationes proprias status religiosi.* Videamus igitur quibus poenis coerceantur delicta admissa contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

CAN. 2376. - Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen de quo in can. 130 facere renuerint, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur.

Sacerdotes renuentes: *a*) subire examen de quo in can. 130;

CAN. 2377. - Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat.

b) interesse conferentiis de quibus in can. 131.

438. Scriptum est: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius » (2). Hinc *summopere satagendum est ut scientia clericorum et praesertim studium doctrinae moralis maxime foveatur ac promoveatur.* Ideo conditus est canon 130 quo edicitur: « Expleto studiorum curriculo, *sacerdotes omnes,* etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iuxtam causam fuerint exempti, *examen*

(1) Conc. Trid., sess. XXII, de ref., c. 1.
(2) Malach., 2, 7.

singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, *subeant* secundum modum ab eodem Ordinario determinandum » (1). Itemque in can. 131 statutum fuit ut: « In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis *saepius in anno, diebus* arbitrio Ordinarii loci, *praestituendis, conventus habeantur,* quos *collationes* seu *conferentias* vocant, *de re morali et liturgica;* quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.

Conventui interesse... debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, *tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi* licet exempti *curam animarum habentes et etiam,* si collatio in eorum domibus non habeatur, *alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt* ».

Hisce adnotatis, facile intelliguntur can. 2376 et 2377 quibus praecipitur, ut sacerdotes, si illegitime renuerint subire examen de quo in can. 130, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogi debeant, si vero contumaces fuerint contra praescriptum can. 131, puniendi sint ab Ordinario pro suo prudenti arbitrio (2).

Dicitur in can. 2377: « Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 *contumaces* ». Igitur antequam Ordinarius in praedictos sacerdotes poenis animadvertat, requiritur ut sint contumaces, idest, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2, detrectent interesse collationibus ad normam cit. can. 131 (3).

Additur: « eos (i. e. religiosos confessarios) *ab audiendis saecularium confessionibus suspendat* ». Agitur de religiosis exemptis quibus « ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, iurisdictionem

(1) Vide Can. 877, § 2; ibi: « Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent (i. e. Ordinarii vel Superiores religiosi) num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, **eum ad novum doctrinae periculum adigant,** *etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario* ».

(2) Vid. can. 2333, § 1; cfr. num. 353.

(3) Vid. can. 2242, § 2.

delegatam *confert quoque proprius eorumdem Superior;* can. 875, § 1. Ideo dicitur, ab audiendis *saecularium* confessionibus suspendat (1); et planum est.

CAN. 2378. - Clerici maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate.

Clerici maiores ritus et caeremonias Eccl. negligentes.

439. *In sacrorum administratione, maxime in sacrosancto Missae Sacrificio ritus et caeremoniae ab Ecclesia praescriptae diligentissime debent observari.* Ritus enim et caeremoniae ab Ecclesia sapienter inductae sunt ut debita cum veneratione externus cultus erga Deum exerceatur, ut sacra quae peraguntur mysteria, augustiora fiant, et sint ea in magnam christifidelium aedificationem, eorum in Deum pietatem excitando et devotionis affectum (2).

Hinc Patres S. Concilii Trident. in sess. XXII, *de Sacrificio Missae,* cap. 5, edixerunt: « Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronunciarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur ».

Tanta igitur est vis et auctoritas sacrorum rituum, ut laudati Patres Concilii Tridentini decernere non dubitaverint: « Si quis dixerit, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit » (3).

Quae cum ita sint, nemo est qui non videat quam sapienter Legislator hunc canonem condiderit ad coercendos clericos maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia

(1) Vid. can. 874.
(2) S. C. de Prop. Fide, instr. (ad Vic. Ap. Cocincin.) 30 iun. 1830.
(3) Conc. Trid., sess. VII, de Sacram. in gen., can. 13.

praescriptas graviter negligunt (1). Isti omnes ex praescripto huius canonis *prius* ab Ordinario *monendi sunt; et si monitioni non obtemperaverint*, idest sese non emendaverint, *graviori vel leviori suspensione plectendi sunt pro diversa reatus gravitate*, habita nempe ratione imputabilitatis, scandali et damni; can. 2218.

Clerici habitum eccl. et tonsuram non gestantes.

CAN. 2379. — Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur; transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet, servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3; clerici autem maiores, salvo praescripto can. 188, n. 7, ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur.

440. Ecclesia usque sollicita de exteriori habitus cultu a clericis tenendo, quamvis semper optaverit ut clerici etiam in exteriori habitu singularem modestiam praeseferrent « *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant* » (2), tamen quoad modum et formam clericalis vestitus, ut plurimum, dioeceseos usus et Antistitum decreta voluit esse attendenda (3). Hinc sapienter constitutum est in can. 136,

(1) Illi igitur qui in sacrorum administratione, maxime in tremendo Missae sacrificio, unum tantum prae oculis habere videntur, scilicet, quod faciunt, facere citius; *ne impleatur in eis illud Prophetae dictum: « Sacerdotes Dei contaminant sancta »*, habeant prae oculis hunc canonem, audiantque S. Alphonsum in libr. VI, n. 400 scribentem: « *difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret*, etiamsi haec sit ex brevioribus ». Missa enim, iuxta Benedictum XIV (De Sacrific. Missae, sect. II) ex unanimi DD. sententia, ad *tertiam horae partem saltem* debet pertingere; breviori namque spatio, ut notat idem S. Alphonsus, non possunt omnia necessario decore peragi. V. ZUALDI, *Caeremoniale Missae Privatae, Praefatio.*

(2) *Conc. Trident.*, sess. XIV, c. 6 de ref.

(3) Vid. declarat. datam d. 31 mart. 1916, a *S. C. Consist. circa clericalis vestis usum in regione Canadensi*; ibi: « *Proprium itaque et nativum Ordinarii ius est* intra limites a sacra Tridentina Synodo statutos, *constabilire modum et formam clericalis vestitus* pro sua cuiusque dioecesi... Aliud vero Concilii praescriptum circa alterutrius vestis usum, hoc est, *morem servandum esse qui actu in loco viget*, ceu facile quisque intelligit, non est nec esse potest absolutum et perpetuum, sed natura sua conditionatum et transitorium. Mores scilicet, temporum decursu novisque supervenientibus adiunctis, mutationibus obnoxii evadere possunt. Quo eveniente, expedit ut etiam vestis, quaecumque demum sit, novis aptetur moribus et conformetur, dummodo semper ecclesiastica ».

§ 1 : « Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, *secundum legitimas locorum consuetudines* et *Ordinarii loci praescripta*, deferant ». Praeterea ex praescripto eiusdem canonis omnes clerici deferre debent « tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populi mores aliter ferant ».

Hisce adnotatis, facile intelliguntur poenae, quae in can. 2379 constitutae sunt contra violantes praescriptum canonis 136.

Dicitur : « Clerici, contra praescriptum can. 136... *graviter moneantur* » : hinc *praemittendae sunt monitiones de quibus in can. 2233*, § 2 ubi legitur : « Licet id legitime constet (i. e. delictum commissum fuisse...) *si agatur de infligenda censura, reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat...* ».

Dicitur : « transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet etc. ». Idest *si clerici minores « sese intra mensem non emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt »*; can. 136, § 3. *Si* vero *agatur de clericis maioribus, nedum quaelibet officia*, si qua ipsi habeant, *vacant ipso facto et sine ulla declaratione* ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam, can. 188, n. 7 ; *sed praeterea ab ordinibus receptis debent suspendi.*

Additur : « et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint etc. ». Si nempe praedicti clerici maiores nedum habitum ecclesiasticum non reassumpserint, sed laicalem conditionem et conversationem notorie praeseferant, idest ea notorie peragant quae ex praescripto can. 139, utpote a clericali statu aliena, vitare tenentur ; ex. gr. si assumpserint « officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt ».

Denique dicitur : « nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur ». Idest praedicti clerici qui ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, *iterum monendi sunt,* ut a contumacia recedant ad normam can. 2242, § 3 ; et si huic secundae monitioni non obtemperaverint, post tres menses ab hac ultima monitione debent deponi. Recolantur ea quae diximus supra num. 289 et sqq. de depositione (1).

(1) Vide decretum editum a S. C. Conc. die 10 ian. 1920, « *Wratislavien. et aliarum* » *Licentiae gestandi barbam.* Affirmabant nonnulli auctores, can. 136, qui capillorum simplicem cultum permittit et de abradenda barba omnino *tacet*, libertatem gestandi barbam modestae formae omnibus saecula-

Clerici vel religiosi mercaturam exercentes.

CAN. 2380. — Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur.

441. « Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (II Tim., 11, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. « Cum enim a saeculi rebus in altiorem sublati locum conspiciantur », ut habet SS. Tridentinum Concilium, sess. XXII, cap. 1, de ref., oportet ut diligentissime servent inter alia quae « *de saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt* » (1).

Merito proinde in novo Codice constitutum est : « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ; can. 142 (2) ; et clericos vel religiosos praescriptum huius canonis transgredientes, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario esse coercendos ; can. 2380.

Ad rectam intelligentiam huius canonis, *nonnulla obiter ad-*

---

ribus clericis concessisse. Hinc Episcopus Wratislaviensis petiit a laudata S. Congr. « *An Codice Iuris Canonici data sit quibuscumque clericis saecularibus libertas gestandi barbam, et. respective, an Episcopis competat prohibitionem hucusque vigentem in suo robore sustinere* pro dioecesibus suis ». Et sub die 10 ian. 1920 prodiit responsum : « *Negative ad primam partem ; affirmative ad alteram* ».

(1) S. C. Consistor., decr. *de vetita clericis temporali administratione ;* d. 18 nov. 1910.

(2) CLEMENS XIII, ep. encycl. « Cum primum » 17 sept. 1759, exponens rationes huius prohibitionis, scribit : « quoniam avaritia, habendique cupiditas malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si clericos... in atrociora crimina non abripiat... propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat... mundanis addicat curis et occupationibus quibus abrenunciare se publice addixerunt.... Hinc etiam litigiosi necessario fiunt... Hinc se ad abiecta quaelibet officia et ministeria... demittere non erubescunt. Quo fit ut laicorum plerique, non ipsos dumtaxat..., sed saepe etiam universum Ecclesiasticorum coetum contemnant ; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum... contentiones... sustinere coacti sunt, vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media, per quae sustentationi consulere potuissent ».

notanda sunt circa notionem negotiationis. Iamvero negotiari est: « *aliquid emere, ut immutatum carius vendas* » (1).

Dicitur 1) *emere;* hinc cessat negotiatio, si vendas quod percipis ex re tua, quamvis empta (vel permutata) maturis iam fructibus; ut puta ex vinea uvas, ex grege foetus.

Dicitur 2) *ut vendas.* Si igitur emeris res, eas non venditurus, sed quia tuis usibus sunt necessariae, si eas postea vendas, forte quia superfluas, cessat negotiatio seu rectius, uti docent doctores, habetur *negotiatio domestica seu oeconomica,* quae clericis vel religiosis haud vetita est (2).

Additur 3) *carius vendas.* Hinc si res emeris venditurus, sed non carius, ex. gr. amicis, pauperibus, neque tunc habetur negotiatio vel mercatura in sensu iuris.

Denique dicitur 4) *ut immutatum;* tunc enim habetur negotiatio *lucrativa* stricte dicta seu *quaestuosa,* quando res emuntur ea intentione ut carius sine ulla immutatione vendantur (3). Hinc pariter cessat negotiatio si rem emeris, ut carius quidem, sed mutatam tua opera et industria, dein venderes.

Diximus, *tua opera et industria;* nam si res immutentur non propria opera, sed opera famulorum pretio conductorum, tunc habetur *negotiatio lucrativa artificialis* proprie dicta, quae clericis ac religiosis vetita est (4).

Patet igitur ex dictis, *ad negotiationem proprie dictam, quae* ex praescripto can. 2380 *congruis poenis ab Ordinario coercanda est, requiri:* 1) ut res ematur et vendatur; 2) vendatur immutata; 3) vendatur carius; 4) et empta sit, ut carius immutata venderetur (5).

(1) S. ALPH., 111, 836; FAGNANUS, in c. 1, n. 3, *Ne Clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant,* 111, 50.

(2) MAROTO, l. c. n. 572; BLAT, *Commentarium textus Codicis iuris canonici,* De Personis, pag. 82 et sq.

(3) MAROTO, l. c.

(4) BLAT, l. c. scribit: « Negotiatio proprie dicta invenitur quoad rem etiam in artificio vel industria, quandocumque res emptae immutantur opera famulorum seu operariorum mercedè conductorum. In hoc enim casu, res atque immutatio ipsa sunt emptae, atque sine alia immutatione per ipsum emptorem facta, venduntur lucri causa. Nihil ergo deest substantiae negotiationis vetitae, unde est quaedam negotiatio palliata ». Vide MAROTO, l. c.

(5) OJETTI, op. cit. v. Negotiatio; D'ANNIB., 11, n. 155.

Hisce omnibus adnotatis, facile intelliguntur illa verba canonis: « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142 ». Notentur verba, *per se aut per alios*. Etenim « qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum » (1). Hinc neque per alios, vel cum socio potest clericus negotiationem exercere, tametsi socius solus negotietur, clericus vero negotiationi aut parum incumbat, aut nullo modo (2).

Dicitur: « congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur ». *De poenis quibus coercebatur ante novum Codicem crimen negotiationis,* haec habet cl. Ojetti l. c.: « Negotiatio clericis prohibita est sub poena excommunicationis (c. 6 tit. cit. X, 111, 50), suspensionis (c. 2 dist. 88), et degradationis (c. 4 dist. 91); quae poenae sunt ferendae sententiae. Hae omnes poenae a Tridentino confirmatae sunt sess. XXII, c. 1, de ref. ». Sed nunc *ex iure noviter* constituto poenae determinandae sunt ex prudenti arbitrio Ordinarii, qui proinde, omnibus perpensis adiunctis minuentibus vel aggravantibus imputabilitatem delinquentis, levioribus vel gravioribus poenis in ipsum animadvertere debet.

Non servantes legem residentiae.

CAN. 2381. — Qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit:

1° Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat;

2° Officio, beneficio, dignitate privetur, ad normam can. 2168-2175.

(1) R. 72, R. I. in VI°.

(2) Iuxta antiquos canonistas, negotiatio per alios, uti scribit cl. OJETTI l. c., non erat prohibita; at BENEDICTUS XIV (Const. « Apostolicae » 25 febr. 1741) etiam ab hoc negotiationis modo clericos prohibuit; imo statuit, ut, si negotium a laicis incoeptum ad clericos deferretur quovis titulo, puta haereditatis, dimitteretur statim, si fieri posset, si autem sine detrimento dimitti non possit, ut interim illud citra peccatum obire possit, expetenda est licentia a S. C. Conc. intra Italiam, extra ab Episcopo dari potest. Verum, advertit D'ANNIBALE, 11, § 156, n. 11, ex receptis moribus, si clericus in negotiis huiusmodi patri successerit una cum fratribus, ea per alios exercere permittitur (Alasias et Scavin., l. § 426). CLEMENS XIII, ep. encycl. « *Cum primum* », 17 sept. 1759, confirmavit prohibitionem Benedicti XIV, ac etiam prohibuit, ne clerici per alios etiam exercerent cambium activum, seu partes campsoris agerent. — OJETTI, l. c.; D'ANNIB., l. c., § 157; MAROTO, l. c.

CAN. 2382. — Si parochus graviter neglexerit Sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum, ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185.

Parochi negligentes in adimplendis offic. paroecialibus.

442. *Clerici non servantes legem residentiae* qua ipsi adstringuntur ratione officii, beneficii vel dignitatis, *coercentur* ex praescripto can. 2381, *vel privatione omnium fructuum* sui beneficii vel officii *pro rata illegitimae absentiae; vel etiam privatione ipsius officii, beneficii vel dignitatis « ad normam can. 2168-2175 »*.

Parochi vero graviter negligentes in adimplendis officiis paroecialibus, coercendi sunt ab Ordinario « ad normam can. 2182-2185 ».

Uti quisque videt, in utroque canone revocantur ea quae sapienter constituta sunt in appositis titulis, idest in *tit. XXX et XXXII, Libri IV, De Processibus*, in quibus nedum statuitur specialis procedura servanda « contra clericos non residentes » et « contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem »; sed etiam clare et perspicue determinantur poenae quae pro diversa criminis gravitate infligendae sunt.

Ne igitur heic repetamus ea quae in praedictis titulis explanandis tradenda sunt, quando sermo erit *De Processibus*, satis nunc esse censemus ut heic recolantur ea quae in citatis cann. 2168-2175, et 2182-2185 constituta sunt.

CAN. 2383. — Parochus qui paroeciales libros diligenter, ad normam iuris, non conscripserit aut servaverit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur.

Parochi negligentes in libris paroec. scribendis aut servandis.

443. *Quinam sint libri paroeciales, quanta cura ac diligentia* hi libri *conficiendi et asservandi sint, nos docet canon 470* ubi legitur: « § 1. Habeat parochus *libros paroeciales, idest librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum* (1),

(1) De libris paroecialibus, idest de libro *matrimoniorum* et de libro *baptizatorum* fit mentio in Conc. Trident., sess. V, de ref. c. 1 et 2. Legitur enim in c. 1: « *Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat* ». Et in c. 2 legitur: « Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tan

defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curet; et omnes hos libros, secundum usum ab Ecclesia probatum vel a proprio Ordinario praescriptum, *conscribat ac diligenter asservet.* § 4. Paroeciali utatur sigillo *habeatque tabularium, seu archivum, in quo memorati libri custodiantur* una cum Episcoporum epistolis, aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa servandis; *quae omnia,* ab Ordinario vel eius delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, *religiose caveat ne ad extraneorum manus perveniant* ».

Libri paroeciales *inter praecipua documenta publica ecclesiastica recensentur,* can. 1813, n. 4; *ac fidem faciunt* de iis quae directe et principaliter in iisdem affirmantur, can. 1816. Merito proinde maxima diligentia servanda est in iisdem libris conscribendis et custodiendis, ita ut *si parochus memoratos libros diligenter* ad normam iuris *non conscripserit aut servaverit, debeat a proprio Ordinario congruis poenis* pro gravitate culpae *mulctari* (1).

De poenis statutis contra illos qui libros paroeciales falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserint, sermo erit inferius, quando explanabimus can. 2406.

Canonici theol. et poenit. in suis muneribus obeundis negligentes.

CAN. 2384. — Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant; et perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet.

444. Concilium Lateranense IV iam decreverat ut in qualibet metropolitana Ecclesia instituerentur magistri theologi. Po-

---

tum ad illum suscipiendum admittat, *et in libro eorum nomina describat...* ». Postea libris baptizatorum et matrimonio copulatorum, ex praescripto ritualis romani (tit. X, c. 2) accesserunt liber *confirmatorum,* liber *status animarum* et liber *defunctorum.* V. OJETTI, l. c. v. *Libri parochiales*; S. C. C., decr. « *Ne temere* » 2 aug. 1907, art. IX, X; S. C. de Sacramentis, *Romana et aliarum,* 13 mart. 1910, ad VI, c.; instr. 6 mart. 1911, n. 11, IV.

(1) S. C. C., decr. « *Ne temere* », 2 aug. 1907, art. X; S. C. de Sacramentis, instr. 6 mart. 1911, n. IV; ibi: « Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis ».

stea Concilium Trid. sess. V, de ref., c. 1: « ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat », statuit et decrevit ut non solum in metropolitanis, sed et in cathedralibus « ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit » adesset magister theologus, cuius officium esset lectiones publicas habendi S. Scripturae. Itemque Patres Tridentini in sess. XXIV, de ref., c. 8, decreverunt ut in cathedralibus Ecclesiis institueretur canonicus poenitentiarius, cuius munus esset recipiendi fidelium confessiones.

In novo Codice iuris canonici, can. 400, munus canonici theologi ita determinatur: « § 1. Canonici theologi est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis (1), publice in ecclesia explanare sacram Scripturam; sed Episcopus, si id utilius iudicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere (2). § 2. Canonicus theologus munus expleat suum ipse per se (3), vel, si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum. § 3. Episcopus gravi de causa potest canonico theologo committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat ».

De officio canonici poenitentiarii edicitur in can. 401, § 2: « Debet in sede excipiendis confessionibus sibi in capitulari ecclesia destinata residere tempore ad fidelium commoditatem, iudicio Episcopi opportuniore et praesto esse iis qui ad confitenda

(1) S. C. C. in *Urbinaten.*, 10 mart. 1663, censuit, tempus, horam et materiam S. Scripturae, super qua legendum sit, remitti arbitrio Ordinarii. Vide etiam resp. eiusdem S. C. *in Amerina*, 11 iun. 1710.

(2) S. C. C. *in Pacen.* ad dubium: « Au canonicus theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi, etiam per mulctas, loco S. Scripturae legere casus conscientiae seu theologiam moralem in casu? »; die 28 sept. 1765 reposuit: « *Affirmative* ».

(3) Canonicum, qui praebendam theologalem obtinet, etsi eius praedecessores nunquam legerint, *teneri tamen* et ab Episcopo posse cogi, id munus per se ipsum explere; S. C. C. resp. in *Bellunen.* 27 apr. 1630; *Liparen.*, 10 maii 1631; *Casalen.*, 12 nov. 1661 et 8 ian. 1662; *Caven.*, 20 aug. 1661.

sua peccata accedunt *ipso quoque divinorum officiorum tempore* » (1).

Hisce adnotatis, facile intelligitur dispositio huius canonis.

Dicitur: « Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes Episcopus gradatim compellat etc. ». Episcopus nempe curet ad officium ipsos revocare prius monitionibus, postea comminatione poenarum, ac dein etiam subtractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant (2). Si vero haec omnia incassum cesserint, transacto inutiliter anno post monitionem (can. 2283, § 2), a beneficio ipsos suspendere debet (can. 2280); ac tandem negligentia perdurante per aliud semestre ab inflicta suspensione, etiam beneficio ipsos privare debet (can. 2299).

Religiosi apostatae a religione.

CAN. 2385. — Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.

445. In hoc canone *compescitur crimen apostasiae a religione* (3).

Dicitur 1°: « Firmo praescripto can. 646 ». Idest si agatur de religioso « qui fugam arripuerit cum muliere », ipso facto habendus est tanquam legitime dimissus. Et tunc « sufficit ut Superior maior cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti »; c. 646.

Dicitur 2°: « religiosus apostata a religione ». Iamvero ille

(1) Canonicum poenitentiarium pro excipiendis loco Episcopi confessionibus paratum semper esse debere horis, loco, sede arbitrio Episcopi opportunis, rescr. S. C. C. in *Abulen.*, 21 apr. 1587.

(2) S. C. C. in *Bellunen.*, 27 apr. 1630, edixit, canonicum theologum, in suo munere obeundo negligentem, fructuum et distributionum subtractione mulctari, et in casu gravioris contumaciae alium theologum sacerdotem sive saecularem sive regularem, qui illius vices suppleat atque interim fructibus et distributionibus potiatur, ab Ordinario deputari posse.

(3) Vid. can. 490; ibi: « Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet ».

proprie dicitur a religione apostata, qui absque Superioris licentia sine animo redeundi vel aliam religionem ingrediendi, deserit religionem approbatam cui addictus erat saltem per nuncupata vota simplicia (1). Hinc legitur in can. 644, § 1: « Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat. § 2. Malitiosus animus, de quo in § 1, iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit ».

Additur 3°: « ipso iure incurrit in excommunicationem etc. ». Hae poenae quibus compescitur crimen apostasiae a religione, sunt latae sententiae. Hinc ipso iure, patrato crimine apostata a religione, innodatur censura excommunicationis, est exclusus ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis (can. 2256, n. 2, et 2291, n. 8) et privilegiis omnibus suae religionis manet privatus (2). Consequenter *apostata subest plenissime iurisdictioni Ordinariorum dioecesum* (3).

Quoad excommunicationem edicitur, hanc esse reservatam « *proprio Superiori maiori* vel, *si religio sit laicalis aut non exempta*, Ordinario loci in quo commoratur ». Nomine *Superiorum maiorum* veniunt: « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ». *Nomine* vero *religionis clericalis*, venit: « religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur;

(1) Card. LEGA, op. cit., vol. III, n. 326; OIETTI, l. c., v. *De apostasia ab ordine religioso.*

(2) *Conc. Trident.*, sess. XXV, *de regularibus*, c. 19; ibi: « Quod si antea habitum sponte dimiserit... tamquam apostata puniatur: *interim vero nullo privilegio suae religionis iuvetur* ».

(3) Card. LEGA, l. c., num. 326; OIETTI, l. c. scribit: « Apostatae tenentur observare omnes ordinis constitutiones et vota omnia (Reiffenstuel *in tit. 31, lib. III. Decret. n. 251*); praeterea *quamdiu manent extra monasterium,* privantur privilegiis ordinis (Conc. Trid. *sess. XXV, de reg. c. 19*); et subiiciuntur iurisdictioni ordinarii loci; De Angelis in tit. 31, lib. III, Decr. n. 16 ».

secus est laicalis». *Denique nomine religionis exemptae intelligitur:* «*religio* sive votorum sollemnium sive simplicium, *a iurisdictione Ordinarii loci subducta*»; can. 488, n. 8, 2, 4.

Denique dicitur: «et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea etc.». Heic obiter animadvertendum est quod Superiores *tenentur* apostatas conquirere et revocare (1). Legitur enim in can. 645, § 2: «*Superiores debent eos* (i. e. apostatas et fugitivos) *sollicite requirere, et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere*». Quamvis religiosus apostata qui vera poenitentia ductus redeat, ex benignitate Ecclesiae debeat admitti in religionem, tamen ex praescripto huius canonis *perpetuo caret voce activa et passiva*, idest neque ipse eligi, neque alios ipse ad officia eligere potest, (can. 2291, n. 11); ac praeterea aliis poenis pro diversa criminis gravitate a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.

Religiosi fugitivi.

CAN. 2386. — Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat (2).

446. Postquam exposuimus in can. praecedenti poenas constitutas contra religiosum apostatam, nunc breviter declarandae sunt poenae quibus plectitur *religiosus fugitivus*, ille nempe «qui sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi»; can. 644, § 3.

(1) Card. LEGA, l. c. n. 326 scribit: «S. C. Conc. in decreto a. 1624, hac de re edito, confirmato ab Urbano VIII die 25 sept. praeterea iussit, *Superiores regulares quotannis apostatas exquirere debere* ut revertantur. (Cf. GIRALDI, op. cit. II, Sect. 536)». Cl. OIETTI, l. c. scribit: «attamen non amplius viget antiqua obligatio idipsum quotannis faciendi». SANTI, tit. 31, libr. III, Decr. n. 46.

(2) Pontificia Commissio ad Cod. canones auth. interpretandos, proposito sibi dubio: «An societatibus clericalibus sine votis applicentur can. 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413»; diebus 2-3 iunii 1918 reposuit: «Affirmative quoad cann. 2386, 2387, 2389, quatenus sodales vitam communem degant; quoad can. 2410 quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis; quoad primam partem can. 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus; et quoad can. 2413». Hoc responsum prae oculis haberi debet in canonibus indicatis, infra exponendis. Cfr. ephemer. cui titulus: «*Commentarium pro Religiosis*», pag. 105 et sqq.

Dicitur: « ipso facto incurrit in privationem officii, etc. ». Tum poena privationis officii, tum censura suspensionis, sunt latae sententiae, ideoque ipso facto, patrato crimine, incurruntur. *Crimen vero debet esse perfectum et consummatum* (can. 2242, § 1); *requiritur nempe* ad has poenas incurrendas *ut quis revera domum religiosam deserat*. Eapropter si religiosus tentaverit domum deserere, sed quavis de causa de facto non deseruerit, poenae de quibus in canone non incurruntur (1).

Dicitur: « in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam ». Agitur nempe de suspensione generaliter lata, quae comprehendit omnes effectus qui in can. 2278-2285 enumerantur. Quinam vero sit Superior maior, iam scimus ex dictis supra num. 445.

Additur: « cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, etc. ». Idest si fugitivus redierit, plecti debet poenis in constitutionibus statutis; si vero constitutiones nihil de hoc caveant, mulctandus est iis poenis quas Superior maior, suo prudenti arbitro, pro diversa criminis gravitate, infligendas duxerit.

Religiosi clerici quorum professio ob eorum dolum nulla declaratur.

CAN. 2387. — Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit (2).

447. Dicitur: « Religiosus clericus »; idest cuiuslibet religionis, sive exemptae sive non exemptae, sive iuris pontificii sive iuris dioecesani (3).

Dicitur: « cuius professio »; idest sive simplex haec sit sive sollemnis, sive temporaria sive perpetua. Lex enim non distinguit, et proinde nec nos distinguere debemus (4).

Additur: « ob admissum ab ipso dolum *nulla fuerit declarata* ». Ex can. 572: « § 1 Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut: 1.° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573; 2.° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones; 3.° Novi-

(1) CAPPELLO, l. c., n. 176.

(2) Vid. supra (pag. 386 nota 2) responsum ed. a Pont. Commiss. ad Codicis can. auth. interpretandos.

(3) CAPPELLO, l. c., n. 173.

(4) CERATO, l. c., n. 133; CAPPELLO, l. c.

tiatus validus ad normam can. 555 praecesserit; 4.° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur; 5. Sit expressa; 6.° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. § 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574 ».

Patet proinde ex hoc canone, professionem religiosam pluribus ex capitibus posse nullam declarari. Sed *ut religiosus clericus, subiiciatur poenis huius can. 2387, necesse est ut ipsemet fuerit causa nullitatis,* requiritur nempe *ut professio nulla fuerit declarata* praecise ob dolum admissum ab ipso religioso. Si igitur ob vim illatam vel metum gravem incussum vel ob dolum ab aliis admissum, professio nulla fuerit declarata, poenae de quibus in can. non incurruntur.

Deniqne dicitur: « si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur, si etc. ». Idest, postquam professio nulla fuerit declarata ob dolum admissum ab ipso religioso, si ipse in minoribus ordinibus tantum sit constitutus, ad statum laicalem redigi debet; nempe per decretum latum ab Ordinario; can. 211, § 2; si etiam in maioribus, ipso facto plectitur poena vindicativa suspensionis, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit; (can. 2255, § 2).

Clerici maiores vel sollemniter professi matrim. attentantes aliique cum ipsis contrahentes.

CAN. 2388. — § 1. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5.

§ 2. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata.

448. Dicitur 1°: « Clerici in sacris constituti vel regulares etc. ». Quinam sint clerici in sacris seu in maioribus ordinibus constituti, quinam vero regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, iam scimus ex alias dictis (can. 949, 488, n. 7).

Dicitur 2°: « itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis ». Olim censura excommunicationis constituta erat dum-

taxat contra regulares utriusque sexus et clericos in sacris constitutos (1); sed postea per Const. « Apostolicae Sedis » excommunicatio extensa fuit etiam ad « omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes » (2). Et hoc ius in praefata Constitutione statutum, etiam in novo Codice sancitum fuit.

Dicitur 3°: « matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes ». *Matrimonium contrahere praesumentes;* idest etsi contrahentes sciant adesse impedimentum dirimens voti sollemnis (can. 1073), vel suscepti Ordinis sacri (can. 1072), nihilominus externam speciem matrimonii vere intendant atque in sua actione exhibeant. Quia igitur lex plenam cognitionem ac deliberationem exigit, ignorantia seu facti seu iuris, etiam crassa vel supina, necnon metus gravis (3) et quidquid minuit imputabilitatem sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis excusat ab hac censura; can. 2229, § 2; etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseverent « quia iam tunc non *contrahunt,* sed antea iam contraxerunt » (4).

Delictum censetur consummatum, atque ideo censura incursa, statim ac matrimonium initum fuerit; quamvis nullum sit, nedum ratione ordinis sacri aut voti sollemnis, sed etiam, uti rescripsit S. C. S. Off. d. 13 Ian. 1892, propter alia impedimenta, ex. gr. consanguinitatis, affinitatis.

Quaeritur: *utrum contrahentes subiiciantur censurae* huius canonis, *si contrahant ficte seu simulate.* Veteres Doctores negant, nonnulli ex recentioribus affirmant. Card. D'Annibale l. c. n. 157 scribit: « Tribus autem opus est ad hanc excomm. subeundam: I. ut professio vel Ordinatio revera valida fuerit,

(1) C. un., *de consanguinitate et affinitate,* IV, in Clem.; D'Annibale, l. c., n. 156; Hilar. a Sexten., l. c. pag. 216.

(2) Const. « *Apostolicae Sedis* », § III, n. 1; ibi: « Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales, post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes ».

(3) Minime vero levis, ut nonnulli auctores docent; vid. Cappello, l. c., n. 121.

(4) Bucceroni, l. c., n. 78; D'Annib., qui l. c., n. 157, not. 7, scribit: « Scilicet lex contractum, non cohabitationem coercet ».

II. ut contrahentes *verum praestent consensum,* III. ut temere contrahant. Quocirca excomm. non incurritur si aut 1° invalida fuerit ordinatio vel professio, aut 2° consensus legitimus defuit, sive ex utraque parte, sive ex alterutra, ut puta si alter *simulate* contraxerit, vel errore substantiali inductus... ». Et cl. Bucceroni l. c. advertit: « At necesse est, ut matrimonium alias valere posset; *secus enim non verificatur*, quod *matrimonium contrahere praesumant. Hinc censura non incurritur,* si desit legitimus consensus ex utraque parte, aut ex alterutra, puta *si simulate contrahant* » (1).

E contra cl. Cerato l. c. n. 86, contendit contrahentes incurrere excommunicationem « etiam si nullum esset (scil. matrimonium) *ex simulato consensu* ».

Sed huic sententiae haud adhaerere possumus. Et ratio est, quia qui simulate ponit actum, videtur actum ponere, sed revera non ponit; et vis simulationis ea est, ut si valor actus positi, ex. gr. matrimonii, *tantum ab ipsius voluntate penderet,* validum matrimonium non contraheret (2). Quia igitur censura fertur in illos qui *praesumunt*, *audent*, *attentant* inire matrimonium, et *contrahentes simulate tales non sunt,* ipsos censemus hanc censuram effugere. Nec nos movent rationes quae ab ipso A. afferuntur ad suam sententiam comprobandam. Praecipua ratio est: « quia lex evidenter non exigit ad consummationem delicti, ut matrimonium ineatur per se validum ». Ita sane, quia lex non actum, sed factum (ausum) coercet; verum ut *factum* dici possit, necesse est, ut nihil *natura sua* essentiale ei desit; idest *ut alias constare posset, saltem naturali iure.* Ita D'Annibale (Summ. I. 298), qui in nota 30 addit: « Itaque si monialis, ex. gr. nubat amenti, *aut verbo tenus*, *poenam effugiet.* (Sanch. M., VII, 48, 9); Bonac. T. 3, Disp. II. Quae. II. Pun. VII, n. II ». Nec aliquid probat altera ratio allata a cl. A. idest: « *b*) quia " internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis ,,

(1) HILARIUS a SEXTEN., l. c.

(2) Can. 1081; ibi: « *Matrimonium facit partium consensus* inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate supp pleri valet ».

c. 1086, § 1; unde etiam censura semper praesumenda est ». Ex hac ratione sequitur tantummodo, non sufficere in foro externo asserere simulationem, sed congruis probationibus esse demonstrandam. Sed postquam simulatio probata fuerit, praesumptio cedere debet veritati, et debet declarari censuram non esse incursam.

« *Etiam civiliter tantum* ». *Haec verba in Const.* « *Ap. Sedis* » *non habebantur.* Hinc dubium exortum est an censura incurreretur etiam pro matrimonio mere civili. Et S. C. S. Off. d. 22 Dec. 1880, proposito sibi dubio reposuit: « Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post emissum solemne castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium sic dictum *civile* in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam ».

Dicitur 4°: « incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Ap. simpliciter reservatam ». *Iure veteri* ex Const. «Ap. Sedis» haec censura erat reservata Episcopis seu Ordinariis.

Dicitur 5°: « clerici *praeterea*, si moniti,... non resipuerint, degradentur ». Idest clerici nedum incurrunt excommunicationem de qua supra, sed praeterea monendi sunt ut a contumacia recedant ad normam can. 2242, § 3, dato congruo ad resipiscentiam tempore. Si vero, lapso tempore ab Ordinario praefinito, non resipuerint, debent degradari. Vide ea quae diximus de hac poena degradationis num. 289 et sqq.

Tandem dicitur 6°: « firmo praescripto can. 188, n. 5 »; idest quaelibet officia, si qua ipsi habeant, vacant ipso facto et sine ulla declaratione « ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam ».

449. Hisce omnibus declaratis quoad § 1, nunc ad rite intelligenda ea quae in § 2 constituta sunt, satis est habere prae oculis *discrimen inter Ordinem,* seu religionem in qua vota sollemnia nuncupantur, *et Congregationem religiosam,* seu religionem in qua vota dumtaxat simplicia, sive perpetua sive temporaria emittuntur. Vota nuncupantes in Ordine, *regulares* nuncupantur, religiosi vero qui vota seu perpetua seu temporaria emiserunt in Congregatione religiosa, dicuntur *religiosi votorum simplicium;* can. 488, n. 2, et 7.

Postquam igitur in § 1 dictum est *de regularibus*, nunc in § 2 statuitur, quod si sint *professi* votorum simplicium perpetuorum (huc igitur non spectant religiosi nuncupantes vota temporaria) tam in Ordinibus (1) quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata.

Religiosi legem vitae communis violantes.

CAN. 2389. — Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii (2).

450. *In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servari debet,* etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent; c. 594. Hinc « omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere »; can. 593. Merito proinde ex praescripto can. 2389, *religiosi legem vitae communis* constitutionibus praescriptae *in re notabili violantes,* graviter monendi sunt ut ad bonam frugem redeant. Si vero monitioni non obtemperaverint, congruis poenis plectendi sunt, ac, si casus id ferat, etiam privatione vocis activae et passivae, et, si Superiores sint, etiam officii, ut ita ceteri religiosi, salubri in eos animadversionis exemplo, a violatione legis vitae communis constitutionibus praescriptae deterreantur (3).

(1) *Nomine monialium veniunt:* « religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, *sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia* » can. 488, n. 7.

(2) V. supra (pag. 386 not. 2) resp. ed. a Pontif. Comm. ad Codicis canones auth. interpretandos.

(3) Conc. Trident., sess. XIII, de ref., c. 1.

TITULUS XVIII.

De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum.

451. Postquam disseruimus de delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi, nunc praestat ut loquamur de delictis quae admitti possunt in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum. Siquidem, uno excepto Romano Pontifice, ceteri omnes officiorum ac beneficiorum ecclesiasticorum collatores, debent observare in beneficiis conferendis regulas a sacris canonibus praestitutas, secus nedum electio inde secuta invalida est (can. 165, 166, 168, 169, 729 etc.). sed praeterea electores statutis poenis subiiciuntur. Itemque in susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum religiose debent observari ea omnia quae in appositis canonibus constituta sunt. Merito proinde in hoc titulo gravissimae decernuntur poenae, sive medicinales sive vindicativae, contra illos qui huiusmodi canones violaverint, sive post obtentum aliud beneficium cum priore incompatibile, prius quoque retinere praesumendo (can. 2396), sive munus ab Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia deserendo (can- 2399) aut in manus laicorum resignando (can. 2400); sive fidei professionem contra canonem 1406 non emittendo (can. 2403) aut uno verbo alia canonum praescripta transgrediendo. De singulis canonibus pauca adnotanda sunt.

Delinquentes contra libertatem electionum ecclesiasticarum.

CAN. 2390. — § 1. Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur.

§ 2. Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis.

452. Dicitur: « Libertatem electionum ecclesiasticarum ». *Heic non agitur de electione Romani Pontificis,* quae unice re-

gitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec 1904; *sed de aliis electionibus ecclesiasticis;* can. 160 et 2330.

Dicitur: « quovis modo per se vel per alios impedientes ». Haec verba, uti quisque videt, latissime patent; ea enim est voluntas Legislatoris ut in electionibus ecclesiasticis adamussim *serventur praescripta canonum 160-178* « et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime constituta »; can. 160. Quisque igitur, sive laicus, sive clericus, sive religiosus, lex enim non distinguit, libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo impedierit, idest sive metu, sive dolo et fraudibus, sive precibus vel promissionibus, sive qualibet alia ratione, debet pro diversa criminis gravitate congruis poenis mulctari. Nec refert an quis per se vel per alios impedierit; etenim « qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum » (1).

Additur: « vel electores vel electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes pro modo culpae puniantur ». Haec verba optime declarantur in cap. 12, *de electione et electi potestate*, 1, 6, in VI°. Legitur enim in cit. cap.: « Sciant cuncti, qui Clericos vel quaslibet alias personas ecclesiasticas (ad quos in aliquibus Ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis spectat electio) pro eo, quod rogati, seu alias inducti, eum pro quo rogabantur sive inducebantur, eligere noluerint, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, monasteria, seu loca caetera, beneficiis sive aliis bonis suis, *per se vel per alios* spoliando, seu alias iniuste persequendo, *gravare praesumpserint:* se ipso facto excommunicationis sententia innodatos » (2).

453. Ea vero quae in § 2 decernuntur, clara et perspicua sunt; idest si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, *electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi.* Dicitur: « sponte admiserint »; si igitur reclamaverint contra illegitimam immixtionem laicorum vel saecularis potestatis, et tantummodo ad maiora mala vitanda eam admiserint, poena de qua in canone

(1) Reg. 72, R. I. in VI; vid. can. 2209, § 3.

(2) C. 1, D. LXIII; c. 43, *de electione et electi potestate*, 1, 6, in VI.

non incurritur, sed electio nulla est ex can. 166 quo edicitur: « Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est ».

Denique dicitur: « qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis ». Satis proinde est ad hanc poenam incurrendam ut quis tantum suae electioni taliter factae *scienter consenserit*. Etsi nempe quis neque sollicitaverit, neque sponte admiserit illegitimum interventum laicorum vel saecularis potestatis, tamen poenae de qua in can. subiicitur, quia tandem aliquando suae electioni taliter factae scienter consentiendo, praedictam immixtionem laicorum ratam habere censetur (1).

Heic recolantur ea quae diximus de poena inhabilitatis num. 280.

Indignum eligentes vel praesentantes aut formam electionis non servantes.

CAN. 2391. — § 1. Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi.

§ 2. Singuli vero electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri.

§ 3. Clerici vel laici qui indignum scienter praesentaverint, vel nominaverint, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent.

454. Postquam declaravimus can. 2390, qui ad tuendam libertatem electionum ecclesiasticarum conditus est, nunc nonnulla adnotabimus quoad poenas quibus in can. supra transcripto animadvertitur tum 1°) in collegium scienter eligens indignum; tum 2°) in singulos electores substantialem electionis formam non servantes; tum 3°) in scienter praesentantes vel nominantes indignum.

Ex praescripto § 1 collegium, veluti ex. gr. capitulum, quod indignum scienter elegerit, *ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi. Indignus* in re de qua agitur *ille est qui caret qualitatibus a iure requisitis* (2). Statuitur in can. 153, § 1: « Ad vacans officium promovendus debet esse clericus, iis qualitatibus praeditus, quae a iure communi vel

(1) C. 43, X, *de electione et electi potestate*, 1, 6; ibi: « Quisquis electioni de se factae per saecularis potestatis abusum consentire praesumpserit, contra canonicam libertatem, *et electionis commodo careat, et ineligibilis fiat*, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem ».

(2) Maroto, l. c., n. 661.

particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur ». Hinc, uti quisque facile animadvertit, collegium, indignum eligens, et quidem non ex ignorantia vel errore, sed sciens volens, contemnit sacros canones quibus appositae qualitates in eligendis ad officia ecclesiastica requiruntur, et consequenter merito *privatur ipso facto pro ea vice iure ad novam electionem procedendi.* Tunc, *postquam constiterit collegium scienter indignum elegisse, « libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit* », can. 178 (1).

455. Praeterea ex § 2 *singuli electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint,* possunt pro gravitate culpae congruis poenis ab Ordinario multari. Ut rite intelligatur an electores servaverint necne substantialem electionis formam, animadvertendum est quod « forma actus intelligitur communiter esse complexus illarum solemnitatum quae concurrunt ad celebrationem ipsius actus, quaeque si ad validitatem erunt servandae, determinant *substantialem formam* » (2). Heic advertit cl. Maroto l. c. n. 660: « Fatendum sane est ut nunc definire solemnitates ad formam substantialem pertinentes sit difficilius quam olim dum in c. *quia propter* illae accurate proponebantur. Sed potest assumi duplex criterium ad substantiales solemnitates in forma electionis determinandas: *a*) ea solemnitas quae munita est clausula irritante habenda est sine dubitatione

(1) C. 29, X, *de praebendis et dignitatibus,* III, 5; (Conc. Lat. IV); ibi: « Grave nimis est et absurdum, quod quidam Ecclesiarum Praelati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, *assumere non verentur indignos,* quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis; unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, praecipimus, ut praetermissis indignis idoneos assumant, qui Deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim ita, ut qui post primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, *a beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur,* instituta in eodem concilio persona provida et honesta, quae suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. **Et hoc ipsum circa capitula, quae in his deliquerint, observetur** ». Cf. c. 3, X. *de clericis non residentibus,* III, 4; c. 14, *de electione et electi potestate, 1, 6, in VI*; Conc. Trident., sess. VII, de ref. c. 3.

(2) MAROTO, l. c. n. 660.

ulla ut substantialis; *b*) illae pariter solemnitates sunt censendae substantiales sine quibus scrutinium ipsum aut respective compromissum nequiret subsistere ».

456. Denique ex § 3 clerici vel laici indignum scienter praesentantes vel nominantes, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent. Ratio huius poenae facile intelligitur ex dictis. Uti enim persona electa, ita pariter et praesentata vel nominata, praedita esse debet iis omnibus qualitatibus, quae iure seu communi seu particulari vel lege fundationis requiruntur; can. 1463. Hinc uti collegium scienter eligens indignum privatur ex § 1 iure ad novam electionem procedendi, *ita pariter praesentantes vel nominantes scienter indignum, privantur ob eamdem rationem ipso facto pro ea vice iure praesentandi vel nominandi;* et planum est (1).

Delictum simoniae in officiis, benef. aut dignitatibus eccl- per petran. tes.

CAN. 2392. — Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis:

1° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam;

2° Ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;

3° Si clerici sint, praeterea suspendantur.

457. In Const. « Apostolicae Sedis » statuta erat excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservata contra « reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque et eorum complices »; necnon contra « reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis » (2). Sed *novo iure,* nulla facta distinctione inter simoniam realem vel confidentialem, gravissimae poenae decernuntur contra: « delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis ».

Dicitur 1°: « Firmo praescripto can. 729 »; idest: « Firmis poenis in simoniacos iure statutis, contractus ipse simoniacus et, si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona

(1) C. 7, 44, X, *de electione et electi potestate*, I, 6; Conc. Trident., sess. VII, de ref., c. 3; Paulus IV, const. « Postquam », 20 iulii 1558, § 4; S. Pius V, const. « In conferendis », 18 mart. 1567 § 3; Benedictus XIII, const. « Pastoralis officii », 19 maii 1725, § 2, 5.

(2) Const. « Apostolicae Sedis », § 11, n. 8, 9.

commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare: 1°. Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et acceptata, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti; 2°. Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eosdem bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare ».

Dicitur 2°: « delictum perpetrantes simoniae ». Simonia communiter definitur: « studiosa voluntas (1), emendi vel vendendi, pretio temporali (2) aliquid spirituale vel spirituali adnexum (3) » (4).

(1) Idest *deliberata* voluntas, quae *studet* comparare temporale quasi pretium cum spirituali quasi merce. CARD. LEGA, l. c. n. 17. Et pravitas simoniae in eo consistit, quod res sanctas, quasi profanas, venales habeat vel habere videatur. D'ANNIBALE, III, § 87.

(2) Uti docet S. GREGORIUS M. in can. 114, caus. 1, q. 1, in iure canonico triplex distinguitur pretium. Legitur enim l. c.: « aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lingua favor ».

(3) Aliquid tripliciter potest esse adnexum spirituali; antecedenter, consequenter, concomitanter. *Est adnexum spirituali antecedenter* quod existit antequam elementum spirituale addatur; v. gr. iuspatronatus fundo inhaerens, calix consecratus. *Est adnexum spirituali consequenter* quod dependet ex elemento spirituali iam existente, ex. gr. ius ad reditus beneficii, quod habetur propter officium spirituale. *Concomitanter vero aliquid adnectitur spirituali intrinsece vel extrinsece*, prout ita ligatur elemento spirituali ut non possit separari ab illo, secus adnexum extrinsece dicitur. Sic celebratio Missae est labor intrinsece adnexus rei spirituali, sed dilatio ad meridiem, cantus, ad laborem extrinsece adnexum pertinent. Hinc tradita definitio complectitur tantum adnexum spirituali consequenter et concomitanter intrinsece, minime vero adnexum antecedenter et concomitanter extrinsece. Etenim per se licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali antecedenter (ut argentum calicis) et concomitanter extrinsece, modo pretium ratione spiritualis adnexi non augeatur; (can. 1539, § 1). Sed non licet dare pro pretio adnexum spirituali concomitanter intrinsece seu inseparabiliter, quia sic res ipsa sacra vendi censeretur; itemque non licet dare pro pretio adnexum spirituali consequenter, quia quod est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit, et se habet velut ipsius accessorium, ideoque spirituale censetur. CARD. LEGA, l. c., n. 18; BUCCERONI, Institutiones Theol. Mor., vol. 1, n. 508.

(4) S. THOM., 2, 2, q. 100, a. 1.

Ratione iuris *quo simonia prohibetur, alia est iuris divini, alia iuris ecclesiastici. Illa mala est natura, haec lege, scilicet haec non est intrinsece mala, sed mala quia ab Ecclesia prohibita* (1). Haec omnia melius intelliguntur ex can. 727 quo edicitur: « § 1. Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione, *est simonia iuris divini*. § 2. Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, *est simonia iuris ecclesiastici* ».

Praeterea **ratione pacti,** *simonia dividitur in mentalem, conventionalem et realem.* Scribit D'Annibale: « In mentalem, conventionalem et realem diducitur. Scilicet factum huiusmodi aut nuda rei vel pretii datio seu acceptio est, cum occulta intentione simoniaca; aut pactum dandi aliquid temporale pro spirituali, seu spirituali adnexo, vel contra. Si primum tantum intercesserit, mentalis; sin alterum tantum, conventionalis; sin utrumque (pactum et datio) simonia realis nuncupatur » (2). *Habetur etiam simonia, quae confidentialis dicta est*, quae nonnisi in beneficiis locum habet, et perpetratur quoties aliquis beneficium ecclesiasticum alicui procurat quovis actu ad hoc ex iure necessario, ut puta conferendo, praesentando, resignando, cum certa tamen confidentia, hoc est eo pacto tacito vel expresso, ut is qui beneficium adeptus fuerit, postmodum idem beneficium ipsi procuranti vel alteri cedat, vel ut ex eodem beneficio fructus, vel eorum partem alteri praestet (3).

Haud immorabimur in singulis speciebus simoniae declarandis, ea praesertim de causa, quia **hodierno iure,** nulla prorsus

(1) Bucceroni, l. c., n. 510; D'Annibale, III, § 89; Card. Lega, l. c., n. 19.

(2) D'Annibale, l. c., § 88, et Commentar. in Const. Ap. Sedis, n. 130.

(3) D'Annibale, l. c., n. 132; Bucceroni, Commentar. De Censur., n. 58; Hilarius a Sexten, l. c., pag. 199.

facta distinctione inter unam vel aliam speciem simoniae, *poenae infliguntur indiscriminatim contra omnes « delictum perpetrantes simoniae »*. Quisquis igitur in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis, delictum simoniae perpetraverit, subiicitur poenis in can. 2392 constitutis.

Quod *si dubium aliquod exoriatur,* an adsit in casu delictum simoniae, et an consummatum fuerit necne, et consequenter an poenae incursae fuerint vel minus; *ad auferendas omnes dubietates, prae oculis haberi debent praescripta can. 730 et 728.* In can. 730 statuitur: « *Non habetur simonia,* cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito; item cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem ».

Et in can. 728 edicitur: « *Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio*, etc., **late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita,** in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur ».

Dicitur 3°: « in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis ». **Veteri iure** tantummodo rei simoniae realis vel confidentialis *in beneficiis* ecclesiasticis *stricte sumptis* censura coercebantur. Hinc scribit D'Annibale: « Verum in hoc utraque simonia (scil. realis et confidentialis) convenit, quod, *nisi in beneficiis ecclesiasticis stricte sumptis admittatur*, excommunicatio non incurritur; adeoque hanc non subeunt, licet gravi non vacent, qui emunt, vendunt Capellanias laicales, Vicarias non perpetuas, pensiones, Coadiutorias, et id genus cetera. *At si agatur de beneficiis stricte sumptis, in omnibus prorsus, maioribus quoque,* uti *apices dignitatum,* excomm. incurri, mihi verius videtur: *quibuscumque - quibuslibet* - ait Constitutio; haec autem verba *omnia ecclesiastica beneficia comprehendunt* » (1).

Ius novum comprehendit etiam simoniam *in officiis et dignitatibus;* et quidem, ut patet ex verbo « quibuslibet » in officiis ecclesiasticis *etiam lato sensu acceptis.*

(1) D'ANNIBALE, l. c., n. 133.

Quid sit officium ecclesiasticum lato vel stricto sensu, *traditur in can. 145* ubi legitur: « Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis ».

Notio vero beneficii traditur in can. 1409, quo edicitur: « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos ». « *Dignitates*, scribit cl. *Ojetti* l. c., per se sunt tituli beneficiales habentes adnexam praecedentiam cum aliqua iurisdictione... Hodie generatim dignitates non habent iurisdictionem, quare de facto sunt meri personatus; in praxi tamen habentur tamquam verae dignitates ii tituli, quibus prius adnexa erat iurisdictio, tum alii quoque ex statuto et consuetudine » (1).

Dicitur 4°: « incurrunt in excommunicationem latae sententiae, etc. »; idest perpetrantes delictum simoniae, praeter excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, ipso facto privantur in perpetuum iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant; ac praeterea si clerici sint, suspensione ab officio et beneficio per sententiam condemnatoriam plectendi sunt; can. 2278 (2).

Poenae in electores, patronos etc. negligentes auctoritatem Superioris in provisione offic. etc.

CAN. 2393. — Omnes qui iure eligendi, praesentandi, vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent.

458. *Officium vel beneficium ecclesiasticum nequit sine provisione canonica valide obtineri* (3). Nomine vero canonicae

(1) OJETTI, op. cit. v. Dignitates; BARBOSA, de Can. c. 4, n. 14 sqq.; BOUIX, de Capitulis, P. 1, s. 2, c. 5; WERNZ, op. cit. II, 776 (58); CAPPELLO, l. c., n. 40, not. 1; CERATO, l. c., n. 87.

(2) C. 23, X, *de iure patronatus*, III, 38; c. 2, 8, 9, 11, 33, 38, 39, 41, X, *de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, V, 3; c. 2, *de simonia*, V, 1, in Extravag. com.; Conc, Trident., sess. XXIV, de ref., c. 14, 18.

(3) R. 1, R. I. in VI; ibi: « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri ».

provisionis venit concessio officii vel beneficii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta; can. 147. Iamvero haec *provisio officii vel beneficii ecclesiastici fit:*

a) vel *per liberam collationem* a legitimo Superiore;

b) vel *per eius institutionem,* si praecesserit praesentatio a patrono aut nominatio [1];

c) vel *per eius confirmationem aut admissionem,* si praecesserit electio aut postulatio;

d) vel tandem *per simplicem electionem et electi acceptationem,* si electio non egeat confirmatione; can. 149.

Eapropter quando provisio officii vel beneficii ecclesiastici fit per eius institutionem vel confirmationem aut admissionem, alia patronis vel electoribus competunt iura, alia vero legitimo Superiori, a quo institutio vel confirmatio vel admissio danda est; can. 1432, § 1. Illis competit clericum vel praesentare ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans: can. 1455, 1°; huic vero ius est videndi an electus vel praesentatus sit idoneus, an electio vel praesentatio ad normam iuris fuerit peracta, etc.; can. 177, § 2, 1465, 1466. Quia igitur ad officium vel beneficium ecclesiasticum valide obtinendum requiritur provisio canonica, facta nempe a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum (c. 147), quisque facile videt quam merito *suo iure pro ea vice ipso facto priventur ob contemptum auctoritatis ecclesiasticae, illi qui* iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, *neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint.* Tunc « ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis » c. 1465, et « libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit », can. 178 [2].

[1] Nominatio quae est designatio personae facta ab eo, qui patronus non est, sed privilegium nominandi a Sede Apostolica obtinuit, reducitur ad praesentationem; cfr. Maroto, l. c. n. 586.

[2] C. 23, X, *de electione et electi potestate,* I, 6; c. 2, X, *de supplenda negligentia praelatorum,* I, 10; c. 4, X, *de iure patronatus,* III, 38; ibi: « Praeterea quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, *ut Episco-*

CAN. 2394. — Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

Beneficia etc. illegitime occupantes vel in eorum regimen se ingerentes eosdemque admittentes.

1° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;

2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere;

3° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae.

459. *Hic canon conditus est ad impediendum quominus uti legitime provisi de officio, beneficio vel dignitate ecclesiastica habeantur, qui revera tales non sunt.* Uti innuimus supra, per electionem, praesentationem, nominationem legitimo modo factam, electus, vel praesentatus aut nominatus, non consequitur officium, beneficium vel dignitatem ecclesiasticam. Requiritur enim provisio canonica, sine qua officium vel beneficium nequit valide obtineri; can. 147, § 1. Iamvero haec provisio, uti recte advertit cl. Maroto, l. c. n. 586, *substantialiter consistit in tituli concessione. Igitur quousque provisio facta non fuerit a legitimo Superiore, titulus nondum est concessus*, seu electus vel praesentatus vel nominatus nondum officium, beneficium vel dignitatem ecclesiasticam adeptus est (1). Consequenter si antequam recipiat necessarias litteras confirmationis vel institutionis easque illis ostendat, quibus de iure debet, se ingerat in

---

porum auctoritate neglecta, clericos instituant in ecclesiis, et removeant, cum voluerint, possessionem quoque atque alia ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque distribuant, *ipsos anathemate decernimus feriendos,* clericus autem qui ecclesiam per laicos sine proprii Episcopi auctoritate receperit, communione privetur: et si perstiterit, a ministerio ecclesiastico et ordine deponatur ».

(1) Nonnisi post receptam confirmationem, electus obtinet plenum ius in officio vel beneficio; can. 177, § 4. Nec potest quis beneficium sibi ipse conferre; can. 1437; nec beneficii sibi collati propria auctoritate possessionem capere potest: can. 1443, § 1.

eorundem possessionem vel regimen seu administrationem, graviter delinquit. Nec immunes sunt a gravi culpa Capitula et Conventus aliique omnes ad quos spectat, si admittant huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos, ante litterarum exhibitionem. Merito proinde **novo iure,** *secus ac antea*, tum in Capitula et Conventus admittentes, tum etiam in ipsos clericos temerarios, intrusos vel invasores poenis animadvertitur (1).

Diximus, *secus ac antea*, quia **veteri iure** *tantummodo Capitula vel Conventus aliique omnes recipientes* praedictos clericos *puniebantur*. Legitur enim in Const. « Apost. Sedis », § V, n. 1: « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione ».

Videamus itaque *quibus poenis* **hodierno iure** *plectuntur tum clerici admissi, tum Capitula vel Conventus ipsos admittentes.*

Clerici, de quibus supra, *fiunt inhabiles* ad dignitates, officia, vel beneficia ecclesiastica in quorum regimen seu administrationem se ingesserint ante litterarum exhibitionem, aliisque poenis pro gravitate culpae ab Ordinario plecti debent. Praeterea monendi sunt ut recedant a contumacia ad normam can. 2233, § 2, et si non obtemperaverint monitioni, suspensione, vel etiam privatione beneficii, officii, dignitatis antea obtentae, imo, contumacia persistente, etiam depositione cogendi sunt ut a beneficii,

(1) *Intrusus* est ille qui obtinet officium ecclesiasticum sine auctoritate illius ad quem de iure spectat provisio, sed vel propria auctoritate se ingesserit, vel officium occupaverit auctoritate Principis saecularis, vel illud receperit ab auctoritate ecclesiastica incompetente, vel electus nondum confirmatus, aut praesentatus nondum institutus, sese immiscuerit regimini sive administrationi officii vel beneficii ecclesiastici; aut provisus possessionem ceperit propria auctoritate. « Si quis occupat officium per vim vel se scienter iniuste intrudit in eo, vocatur specialius invasor ». Maroto, l. c. n. 583, not. 3.

officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim recedant (1).

Capitula vero, Conventus aliique omnes, (idest alii ab his ex quibus constat Capitulum vel Conventus) ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos admittentes (2) ante litterarum exhibitionem, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi manent ad beneplacitum Sedis Apostolicae.

Provisio officii etc. de iure non vacantis.

CAN. 2395. — Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure non vacantis et patiatur se in eius possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda, aliisque poenis pro modo culpae puniatur.

460. Ex praescripto can. 150: « provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 183, § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit ». Merito proinde, iuxta canonem supra transcriptum, *si quis scienter acceptet collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure non vacantis et patiatur se in*

(1) Bonifacius VIII in c. 1, *de electione*, I, 3 in Extravag. com. *etiam in clericos intrusos vel invasores poenas decreverat.* Legitur enim l. c. « Sane quam periculosum existat, quod aliquis in officio, dignitate vel gradu fore se asserat, et pro tali etiam habeatur, nisi prius ipse, quod asserit, legitimis ostenderit documentis, tam ex civilibus, quam ex canonicis institutis colligitur evidenter... Praesenti itaque perpetuo valitura constitutione sancimus, ut Episcopi et alii Praelati superiores, necnon Abbates, Priores et caeteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias et monasteria absque dictae Sedis litteris huiusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant: nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant aut eis pareant vel intendant. Quod si forsan contra praesumptum fuerit, *quod per Episcopos,* Praelatos, Abbates, Priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore *actum fuerit, irritum habeatur: nec quicquam* interim iidem Episcopi vel Praelati, Abbates, Priores vel regimina exercentes, *de Ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant eorundem. Capitula vero et Conventus* Ecclesiarum et monasteriorum ipsorum, *et alii quicumque, ipsos absque huiusmodi dictae Sedis litteris recipientes, vel obedientes* eisdem, *tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint* obtinere ».

(2) Vid. supra pag. 289 v. *admittentes.*

eius possessionem immitti, est ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda, aliisque poenis pro gravitate criminis *plecti debet.*

Dicitur: « Qui scienter ». Hinc quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poena de qua in canone; can. 2229, § 2 (1).

Dicitur: « de iure non vacantis ». De variis modis quibus in specie vacare possunt officia vel beneficia ecclesiastica, fit sermo in Libro II. Heic vero pro re nostra adnotare satis est, *officium vel beneficium vacare posse de iure tantum*, vel *de facto tantum*, vel *de iure et de facto. Primum* habetur si nemo obtineat titulum beneficii, sed tamen ab aliquo possidetur. *Alterum* verificatur quando aliquis obtinet quidem beneficii titulum, sed nondum immissus fuit in eiusdem possessionem, vel ab eadem fuit deiectus, et ideo officium caret suo possessore. Tertium denique habetur cum nemo habet beneficii titulum, nec ab aliquo possidetur (2). Iamvero *illa tantum beneficia conferri possunt, quae vacant de iure et de facto, vel de iure tantum.* Sed in hac secunda hypothesi « officium de iure vacans quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit, eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis »; can. 151.

Denique dicitur: « sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda etc. ». Hinc non agitur de poena inhabilitatis generaliter lata quoad omnia officia vel beneficia, sed tantum quoad illud officium vel beneficium de iure non vacans, cuius collationem scienter acceptavit, et consequenter alia officia vel beneficia per se, servatis servandis, valide et licite obtinere potest (3).

(1) Sed provisio officii irrita est, quia leges irritantes exerunt vim suam etiam contra ignorantes. MAROTO, l. c. n. 593.

(2) SEBASTIANELLI, vol. II, n. 237; MAROTO, l. c., n. 593.

(3) C. 1, X, *de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis*, III, 8; ibi: « Qui in vivorum Sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso *sunt ab ecclesiastica communione pellendi*, quo se passi sunt successores vivis Sacerdotibus adhiberi ». Vide etiam c. 6 et 7 eiusdem tituli, et c. 3, *de privilegiis*, V, 7, in Extravag. com., ubi Eugenius IV « tam in dantes quam in recipientes » huiusmodi beneficia de iure non vacantia gravissimis poenis animadvertit.

CAN. 2396. — Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere presumpserit contra praescriptum can. 156, 1439, utroque privatus ipso iure existat.

Retinentes duo officia vel benef. incompatibilia.

461. *Hoc canone illi clerici coercentur qui, officium vel vel beneficium iam habentes, aliud postea recipiunt* officium vel beneficium *cum priore incompatibile, illudque* tamen improbae cupiditatis affectu *retinere non erubescunt.*

Dicitur 1°: « Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii *cum priore incompatibilis* ». Quaenam sint officia vel beneficia incompatibilia videbimus sub n. 3.

Additur 2°: « prius quoque retinere praesumpserit ». Igitur ad incurrendam poenam de qua in canone, requiritur ut clericus, sciens volens, secundum officium vel beneficium cum priore imcompatibile, retinere praesumat.

Dicitur 3°: « contra praescriptum can. 156, 1439 ». In canon. 156 edicitur: « § 1. *Nemini conferantur duo officia incompatibilia.* § 2. Sunt incompatibilia officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt ». Et in can. 1439 statuitur: « § 1. Nullus clericus habilis est ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia, ad normam can. 156, § 2. Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat ».

Denique dicitur 4°: « utroque privatus ipso iure existat ». *Haec poena*, qua clerici praesumentes retinere, contra canonum praescripta, etiam secundum beneficium cum priore incompatibile, privantur utroque beneficio, *antiquissima est.* Legitur enim in c. 28, X, *de praebendis et dignitatibus*, III, 5: « praesenti decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, *eo sit ipso iure privatus; et si forte illud retinere contenderit,* **etiam alio spolietur** ». Et Concilium Tridentinum, sess. VII, de ref., c. 4, confirmans dispositionem cit. cap. 28, edixit: « Quicumque de cetero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica sive per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocumque nomine et titulo contra formam sacrorum canonum *et praesertim constitutionis*

Innocentii III, quae incipit: De multa, recipere ac simul retinere praesumpserit, **beneficiis ipsis** iuxta ipsius constitutionis dispositionem **ipso iure,** etiam praesentis canonis vigore, **privatus existat** » (1).

Promoti ad cardinalatum si iurare nolint ad normam can. 234.

CAN. 2397. — Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus, iusiurandum, de quo in can. 234, emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat.

Promoti ad episcopatum negligentes suscipere consecrationem ad normam can. 333.

CAN. 2398. — Si quis ad episcopatum promotus, contra praescriptum can. 333 intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos; et si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet

462. Ea quae decernuntur in canonibus supra transcriptis et in aliis qui sequuntur usque ad can. 2403, adeo sunt obvia et perspicua, ut fere nulla indigeant declaratione. Paucis proinde ipsos expediemus.

Et ad canonem 2397 quod spectat, satis erit animadvertere, quod illi qui promoventur ad dignitatem cardinalitiam absentes a Curia, in recipiendo bireto rubro debent iurare, ad normam can. 234, se intra annum, nisi legitimo detineantur impedimento, Summum Pontificem adituros. — Si vero ipsi recusaverint emittere huiusmodi iusiurandum, ex praescripto huius can. 2397, ipso facto cardinalitia dignitate privati perpetuo manent; et planum est (2).

Nunc ad can. 2398 quod spectat, animadvertimus, quod *poenae quae heic decernuntur contra promotos ad episcopatum,* si consecrationem suscipere neglexerint intra tempus a iure prae-

(1) IOANNES XXII in sua Extravag. « Execrabilis », c. un., *de praebendis et dignitatibus,* tit. III, enumerans plura inconvenientia quae habentur quando unus plura officia vel beneficia incompatibilia obtinet, scribit: « ... habentibus ipsa (plura officia vel beneficia) paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis et honori, quae carentes defensorum auxilio in iuribus suis et libertatibus multipliciter collabuntur, et ruinis patent aedificia nobilia, quae magnificentia extruxerat decessorum et (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur et vitiorum sentibus fomentum periculose praebetur ». Vid. Conc. Trident., sess. XXIV, de ref., c. 17; ibi: « *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte* sacris canonibus *cautum fuit, neminem oportere in duobus ecclesiis conscribi...* ».

(2) SIXTUS V, const. « Postquam », 3 dec. 1586, § 19.

fixum, *iam constitutae fuerant in Conc. Chalcedon. et Raven.* Legitur enim in c. 2, D. LXXV: « placuit sanctae Synodo, *intra tres menses fieri ordinationes Episcoporum,* nisi forte inexcusabilis necessitas coegerit tempus ordinationis amplius protelari. Si autem quis Episcoporum haec non observaverit, ipsum debere ecclesiasticae condemnationi subiacere, *reditus vero eiusdem viduatae Ecclesiae integros reservari apud oeconomum eiusdem Ecclesiae placuit* ». Et in c. 1, D. C, legitur: « Si vero consecrandi Episcopi negligentia provenerit, *ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur,* quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat. *Quod si ultra quinque menses* per suam negligentiam *retinuerit viduatam Ecclesiam,* **neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat:** imo Metropolitani sui iudicio cedat ». Postea Patres Conc. Trid. haec omnia confirmantes, edixerunt: « Ecclesiis cathedralibus seu superioribus quocumque nomine ac titulo praefecti, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, *si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses postea id facere neglexerint,* **ecclesiis ipso iure sint privati** » (1).

Ex breviter adnotatis quisque facile videt, quod Romani Pontifices usque ab antiquissimis temporibus solliciti fuerunt ne Ecclesiae viduatae diu carerent suo Pastore. Merito proinde in can. 2398, qui desumptus fuit ex capite supra relato Concilii Tridentini, sancita fuit antiqua lex, qua nempe *ad episcopatum promoti, si* contra praescriptum can. 333 (2), *intra tres menses consecrationem suscipere neglexerint, fructus non faciunt suos* fabricae ecclesiae cathedralis applicandos; *et si* postea *in eadem negligentia per alios tres menses perstiterint, episcopatu privati ipso iure manent.*

(1) Conc. Trident., sess. XXIII. de ref., c. 2; sess. VII, de ref., c. 9; ibi: « Ad maiores ecclesias promoti, muuus consecrationis infra tempus a iure statutum suscipiant, et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur ».

(2) In cit. can. 333 statuitur: « Nisi legitimo impedimento prohibeatur, promotus ad episcopatum, etiamsi S. R. E. sit Cardinalis, debet, intra tres menses a receptis apostolicis litteris, consecrationem suscipere, et intra quatuor ad suam dioecesim pergere, salvo praescripto can. 238, § 2 ».

Denique notetur quod *S. R. E. Cardinales,* ad normam can. 2227, § 2, *non tenentur poenis huius canonis* 2398. Heic recolantur ea quae diximus supra n. 107.

Deserentes sine venia Ordinarii munus ab ipso commissum.

CAN. 2399. — Clerici maiores munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum.

463. Iam in Conc. Antiocheno, uti videre est in can. 24, C. VII, q. I, statutum fuerat: « Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus, deserta sua Ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim tentet, quo migravit, perpetuo manere, *ulterius ministrare non debet;* praesertim, si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed *inobediens perseveraverit, omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus* ». Et S. Pontifex Alexander III, an. 1180 rescripserat Episcopo Tornacensi: « Universis personis tui Episcopatus sub districtione prohibemus, *ne Ecclesias* tuae dioecesis ad ordinationem tuam pertinentes, *absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere,* **aut te dimittere inconsulto.** Quod si quis contra prohibitionem tuam venire praesumpserit, *in eum canonicam exerceas ultionem* ». Itemque Conc. Tridentinum, in sess. XXIII, de ref., c. 16 decreverat: *Quod si locum* (idest pium locum aut ecclesiam cui promotus ad ordines adscriptus fuerat) *inconsulto Episcopo deseruerit,* **ei sacrorum exercitium interdicatur** ».

Hisce adnotatis, plane intelligitur dispositio huius canonis, quo edicitur *clericos maiores munus a proprio Ordinario sibi commissum sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, graviori vel leviori* **poena suspensionis a divinis** ab Ordinario *esse plectendos* pro diversa criminis gravitate. Diximus, *poena* suspensionis, quia, uti alias diximus, proprium censurae est, ut infligatur ad tempus indeterminatum, seu donec delinquens recedat a contumacia, ad quam frangendam censura dirigitur; can. 2241, § 1. Sed in canone legitur: « suspendatur a divinis **ad tempus** *ab Ordinario* secundum diversos casus **praefiniendum** ». Ergo agitur de suspensione a divinis infli-

genda uti poena vindicativa, minime vero uti censura proprie dicta; can. 2255, § 2 (1).

CAN. 2400. — Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit.

Clerici resignantes offic. benef. etc. in manus laicorum.

464. In can. 187 statuitur: « § 1. Renuntiatio generatim, ut valeat, *ei fieri debet a quo est acceptanda, vel,* si acceptatione non egeat, *a quo clericus officium accepit* vel qui eiusdem locum tenet. § 2. Quare si officium per confirmationem, admissionem, vel institutionem collatum fuerit, renuntiatio fieri debet Superiori ad quem de iure ordinario confirmatio, admissio vel institutio spectat ». Et in can. 190, § 2 edicitur: « *Renuntians in officio permaneat donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit* ». Graviter proinde delinquit ille clericus qui, sacrorum canonum praescripta contemnens, in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam, sciens volens, resignare praesumpserit. Hinc merito *plectitur censura suspensionis a divinis latae sententiae,* quae ad normam can. 2279, § 2, n. 2, vetat: « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (2).

CAN. 2401. — Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa.

Persistentes in illegitima detentione officii, beneficii etc.

465. *Postquam quis suo officio vel beneficio legitime privatus fuerit vel ab ipso remotus, debet omnino obtemperare decreto amotionis vel sententiae privationis;* nec ullo modo potest sive directe sive indirecte, sive per se sive per alios decreti vel

(1) S. C. C. in *Tinen.* 15 mart. 1625 (alleg. XCIII, 33) statuit, posse Episcopos ob Ecclesiae necessitatem presbyteris ordinatis ad titulum patrimonii interdicere *ne ipsam Ecclesiam deserant,* atque alterius Ecclesiae servitio se addicant *absque eius licentia.* Vide etiam ea quae edixit eadem S. C. C. in *Amerina,* 8 maii, 17 iulii 1756, ad 2; in *Tolosana,* 9 maii 1884, ad 1, 2: in *Parmen.,* 17 ian. 1886, ad 1, 2.

(2) C. 8, X, *de renunciatione,* I, 9; ibi: « qui beneficium ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum laicam resignantes, illud denuo a laico susceperunt, eodem sunt beneficio spoliandi, licet resignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem ».

sententiae exsecutionem impedire vel retardare. Ideo statuitur in can. 2156, § 1: « Sacerdos a paroecia amotus debet quam primum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere ». Quapropter si quis, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat in detinendo officio, beneficio, dignitate, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, graviter delinquit contra ecclesiasticam auctoritatem et contra salutem animarum. Merito proinde *ex praescripto huius can. 2401, ad officium vel beneficium deserendum, praemissa monitione* (c. 2233, § 2) *compelli debet, non solum suspensione a divinis aliisve poenis, sed etiam,* si casus ferat, *gravissima poena depositionis* (1). Heic recolantur ea quae diximus supra, declarantes can. 2331 et 2337.

Abbas vel Praelatus *nullius* benedictionem non recipiens contra can. 322, § 2.

CAN. 2402. — Abbas vel praelatus *nullius* qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.

466. Dicitur: « Abbas vel Praelatus *nullius* ». Quinam sint Abbates vel Praelati *nullius* nos docet canon 319, § 1, ubi legitur: « Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet ».

Dicitur: « qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit ». Iamvero in cit. can. statuitur: « Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, *intra tres menses a receptis litteris apostolicis,* cessante legitimo impedimento, *benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant* ».

Denique dicitur: « est ipso facto a iurisdictione suspensus ». Agitur de suspensione a iurisdictione generatim, quae, ad normam can. 2279, § 2, n. 1°: « vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae ». Vide ea quae diximus supra n. 252.

(1) C. 4, X, *de renunciatione,* I, 9; c. un., *de praebendis et dignitatibus,* tit. III, in Extravag. Ioannis XXII; S. C. *Consist.* decr. « *Maxima cura* », 10 aug. 1910, can. 18, § 1, can. 29, § 1.

CAN. 2403. — Qui contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito quoque congruo termino; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos.

Fidei professionem emittere negligentes contra can. 1406.

467. Summi Pontifices nihil antiquius habuerunt quam publicam orthodoxae fidei professionem praescribere iis qui christiano censeri nomine, et Apostolicae Sedis communione cohonestari vellent; *qua quidem ratione tam fidei integritati, quam ecclesiasticae unitati consultum iri iudicarunt.* Et ideo dum vetustis novae accederent haereses, et perniciosa vulgarentur opinionum commenta, certae aptaeque temporum, locorum et personarum adiunctis propositae fuerunt formulae Apostolica auctoritate munitae, quibus intemerata sanctorum Patrum fides sarta tectaque servaretur, et veri Ecclesiae filii a profanis novitatum fautoribus facile cernerentur (1). Hinc est quod in novo Codice Legislator, postquam in can. 1406 recensuit omnes clericos qui tenentur « obligatione emittendi professionem fidei secundum formulam a Sede Apostolica probatam », nunc in can. 2403 poenas decernit quibus plectendi sunt illi qui « contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligunt ». Isti omnes monendi sunt, praefinito quoque congruo tempore, quo obligationi emittendi professionem fidei satisfaciant. Si vero intra terminum praefixum praedictam fidei professionem sine iusto impedimento emittere detrectent, congruis poenis, ac etiam si res ferat privatione officii, beneficii, dignitatis, muneris, plecti debent (2); nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus faciunt suos (3).

(1) S. C. de Prop. Fide, decr. 16 iul. 1878.

(2) C. 1, D. C; ibi: « Quoniam quidam Metropolitanorum *fidem suam* **secundum priscam consuetudinem** *sanctae fidei Apostolicae exponere detrectantes*, usum pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit, ut quisquis Metropolitanus ultra tres menses consecrationis suae, *ad fidem suam exponendam*, palliumque suscipiendum, ad Apostolicam Sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia, post secundam et tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis cum consilio Romani Pontificis, ordinando Episcopos, subvenire ».

(3) Concil. Trident., sess. XXIV, de ref., c. 12; ibi: « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur a die

TITULUS XIX.

De abusu potestatis vel officii ecclesiastici.

Nihil profecto est, quod tam graviter ecclesiasticae disciplinae adversetur quam crimen illud quod *abusus potestatis vel officii* nuncupatur, quodque omnes leges tam civiles quam ecclesiasticae inflexibili quadam severitate puniendum esse decreverunt (1). Praestat igitur ut declaremus poenas quibus in hoc postremo titulo abusus potestatis vel officii ecclesiastici compescitur.

Abusus potestatis ecclesiasticae.

CAN. 2404. — Abusus potestatis ecclesiasticae, prudenti legitimi Superioris arbitrio, pro gravitate culpae puniatur, salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt.

468. Uti iam vidimus supra n. 38 et sqq., declarantes canon. 2207, *inter adiuncta aggravantia moralem delicti imputabilitatem, recensetur abusus auctoritatis ad delictum patrandum.* Et merito quidem; illi enim qui sua auctoritate abutuntur ad delinquendum, contemnentes auctoritatem qua ipsi pollent in bonum spirituale fidelium, suo pravo exemplo alios provocant ad spretum eiusdem auctoritatis. Cumque crimen augeatur pro maiore auctoritate qua praeditus est ille qui delictum committit, can. 2207, recte *in hoc can. crimen abusus potestatis ecclesiasticae remittitur puniendum prudenti arbitrio legitimi Superioris,* qui, pro diversis adiunctis rerum et personarum, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni, can. 2218, § 1, maiori vel minori poena in delinquentes animadvertet.

Notentur verba: « salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt »; idest salvis poenis in certis canonibus statutis in aliquos abusus, veluti ex gr. in absolventes

---

adeptae possessionis *ad minus intra duos menses* in manibus ipsius Episcopi... *orthodoxae suae fidei publicam facere professionem*, et in Ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent... alioquin praedicti omnes provisi ut supra **fructus non faciant suos,** *nec illis possessio suffragetur* ». Vide etiam sess. XXV, de ref., c. 2.

(1) C. 11, C. II, q. 1; c. 3, X, *de poenis,* V, 37; Conc. Trid., sess. XXIV, de ref., c. 3.

complicem in peccato turpi (can. 2367), in reos delicti sollicitationis in confessione (can. 2368), etc. etc.

CAN. 2405. — Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti poterunt.

Poenae in subtrahentes, destruentes etc. documenta Curiae episcopalis.

469. Dicitur 1°: « Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei »; idest omnes indiscriminatim tum dignitates et canonici quibus constat Capitulum, tum inferiores beneficiarii seu mansionarii; c. 393, § 2; tum etiam alii omnes, quisquis nempe sit (1).

Dicitur 2°: « qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens »; idest documentum quodlibet, sive publicum sive privatum, dummodo referatur ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia, tum iudicialia tum extraiudicialia.

Dicitur 3°: « sive per se sive per alium »; etenim: « qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum » (2).

Dicitur 4°: « subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint ». *Subtraxerint,* idest e tabulario seu archivo, et in alium locum extra Curiam tulerint. *Destruxerint vel celaverint;* quoquo modo nempe destruxerint vel occultaverint. Vel *substantialiter immutaverint;* aliquid nempe addendo vel delendo in parte substantiali; ita ut documentum priorem probandi vim penitus vel magna ex parte amiserit.

Dicitur 5°: « incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam »; idest quis innodatur hac censura ipso facto, statim ac subtraxerit vel destruxerit vel celaverit vel substantialiter immutaverit documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens. Etsi igitur destructio vel immutatio documenti nullum damnum attulerit, quia ex gr. in archivo secreto aliud exemplar eiusdem documenti subtracti, destructi vel immutati asservabatur, excommunicatio tamen incurritur (3).

(1) CERATO, l. c., n. 88; CAPPELLO, l. c., n. 124.
(2) Reg. 72. R. I., in VI.
(3) CERATO, l. c., n. 88.

Denique dicitur 6°: « et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii plecti poterunt »; idest delinquentes, ut supra, praeter incursam excommunicationem, poterunt, si casus ferat, plecti ab Ordinario, etiam privatione officii vel beneficii.

Poenae in cancellarios et parochos adulterantes etc. documenta archivi Curiae vel paroeciae.

CAN. 2406. — § 1. Quicunque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur.

§ 2. Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose detrectaverit aliove quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus puniri potest.

470. Dicitur 1°: « Quicunque officio tenetur acta et documenta etc. ». Iamvero tenentur officio acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum conficiendi, conscribendi et conservandi cancellarii seu notarii. Legitur enim in can. 372, § 1: « In qualibet Curia *constituatur* ab Episcopo *cancellarius* qui sit sacerdos, *cuius praecipuum munus sit* **acta Curiae in archivo custodire** ». Et in can. 374, § 1, legitur: « **Officium notariorum est**: 1° *Conscribere acta seu instrumenta circa dispositiones, obligationes, citationes.* 2° *In scriptis fideliter redigere quae geruntur* etc. ». Ad libros vero paroeciales quod spectat, statuitur in can. 2383: « *Parochus qui paroeciales libros* diligenter, ad normam iuris, *non conscripserit aut servaverit,* a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur ».

Dicitur 2°: « si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit ». Haec omnia plane intelliguntur tum ex dictis in can. praecedenti, n. 3, tum etiam ex iis quae diximus de crimine falsi, declarantes can. 2360-2362 (1).

Dicitur 3°: « suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur ». Agitur de poenis ferendae sententiae, quae, an et quomodo infligi debeant, iam scimus ex dictis supra, nn. 94, 266, 398, 407, etc.

471. Additur in § 2: « Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti etc. ». Inter notariorum officia, in cit. can. 374, hoc etiam recensetur: « *Acta vel instrumenta legitime pe-*

(1) C. 33, 40, C. XII, q. 2.

tenti ex regesto, servatis servandis, *exhibere et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare* ». Praeterea ex praescripto can. 384: « documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, *fit cuilibet cuius intersit inspiciendi potestas; itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar exscribatur et tradatur* ». Quando igitur cancellarii Curiarum, parochi aliique archivorum custodes, petentibus legitime, idest ad normam can. 378, dolose detrectant exscribere, transmittere seu exhibere acta vel documenta quae in archivo non servantur sub secreto, graviter delinquunt, ideoque merito privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro diversa criminis gravitate puniri possunt. Heic etiam recolantur ea quae diximus quoad poenas ferendae sententiae ll. cc. supra in § 1, n. 3 (1).

Tentantes donis inducere Curiae officiales ut officium suum prodant.

CAN. 2407. — Qui Curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos, iudices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur.

472. Dicitur: « Qui Curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos ». *Curiae*, idest sive Romanae (can. 242), sive dioecesanae (can. 363). *Officiales seu administros quosvis.* Officiales seu administri Curiae dioecesanae sunt: « Vicarius Generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores » can. 363, § 2.

Dicitur: « donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit ». Pluries in canonibus huius Codicis occurrit prohibitio facta officialibus seu administris Curiae recipiendi munera, uti videre est in can. 1624, 1941, 2037 etc. Et in formula iurisiurandi quod praestare debent omnes officiales Dicasteriorum Romanae Curiae leguntur haec verba: « spondeo, voveo ac iuro... *munera mihi in remunerationem, etiam sub specie doni oblata, non recepturum* (2).

(1) C. 33, 40, C. XII, q. 2; Conc. Trident., sess. XXIV, de ref., c. 20; Benedictus XIV, const. « Ad militantis », 30 mart. 1742, § 44; const. « Ad honorandam », 27 mart. 1752, § 15.

(2) Ordo servandus in S. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae, 29 sept. 1908, Pars. I, Normae communes, cap. III, *De iureiurando.*

Sed in can. supra transcripto agitur, non de illis qui dona recipiunt, sed de illis qui dant dona seu munera administris, ut ipsi aliquid faciant vel omittant quod officio suo adversetur. Isti omnes ex praescripto huius canonis congruis poenis pro diversa criminis gravitate plectendi sunt, ac praeterea compelli debent ad reparanda damna, si qua illata sint. *Notentur verba, inducere tentaverit*, idest etsi quis reapse non induxerit officialem seu administrum ad aliquid faciendum vel omittendum officio suo contrarium, tamen debet ab Ordinario puniri (1).

Taxas statutas augentes.

CAN. 2408. — Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint.

473. *Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet* (2), recte statutum fuit in can. 736: « Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat, praeter oblationes de quibus in can. 1507 ». Nec *licet taxas a competenti auctoritate statutas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium, quomodolibet augere aut ultra eas aliquid exigere* (3). Legitur enim in can. 1235, § 1: « **Districte prohibetur** *ne quis* sepulturae vel exsequiarum seu anniversarii mortuorum causa, *quidquam exigat ultra id quod in dioecesano taxarum indice statuitur* ». Merito proinde ex praescripto huius canonis illi qui taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augent aut ultra eas aliquid exigunt, *gravi mulcta pecuniaria coercendi sunt*. Poena enim, quoad eius fieri potest, delicto ob quod infligitur, analoga esse debet. Et si fuerint recidivi, idest si ad normam can. 2208 pluries deliquerint, ab officio suspendi vel etiam removeri debent pro culpae gravitate, salva semper obligatione restituendi quod iniuste perceperunt.

(1) Cf. Cod. poen. ital. art. 173.

(2) Conc. Trident., sess. XXI, de ref., c. 1.

(3) Cfr. D'ANGELO, *Le tasse e le pensioni ecclesiastiche;* (Giarre-Sicilia-1919).

CAN. 2409. — Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis.

Vic. Capitularis concedens dimissor. contra can. 958, § 1, n. 3.

474. Dicitur 1°: « Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias » (1). Quid sint litterae dimissoriae, iam diximus supra num. 431. Dicitur, *concedens*, minime vero *praesumpserit concedere*. Consequenter ignorantia crassa vel supina non excusat ab hac censura incurrenda. Attamen, ad normam can. 2229, § 3, « Si lex verba illa (*sc. scienter*, *praesumpserit* etc.) non habeat: ignorantia legis aut etiam solius poenae... si non fuerit crassa vel supina, *excusat a medicinalibus*, non autem a vindicativis latae sententiae poenis ». Recolantur ea quae diximus n. 116 et 117.

Dicitur 2°: « contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3 ». Iamvero in cit. can. decernitur: « Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt...: 3° De Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum ».

Denique dicitur 3°: « ipso facto subiacet suspensioni a divinis ». Agitur de vera et proprie dicta censura suspensionis, quae vetat: « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet », can. 2279, § 2, n. 2 (2).

(1) Conc. Trid., sess. VII, de ref., c. 10; ibi: « Non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere ».

(2) Conc. Trident., sess. VII, de ref., c. 10; sess. XXIII, de ref., c. 10; ibi: « Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi ».

Superiores religiosi remittentes subditos ordinandos ad Epum alienum, contra c. 965-967.

CAN. 2410. — Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione (1).

475. *Superiores religiosi* nequeunt regulariter ad Episcopum quem maluerint subditos suos ordinandos remittere, sed, ad normam can. 965, *litteras dimissorias mittere debent ad Episcopum dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus* (2). Diximus *regulariter,* quia lex in can. 965 statuta, quandoque fallit, scilicet si occurrerint casus designati in can. 966. Tunc tantum licet Superiori religioso ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere. Si igitur Superiores religiosi, contra praescripta horum canonum, suos subditos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, vel contra can. 967, in fraudem Episcopi dioecesani, subditum ordinandum ad aliam religiosam domum miserint, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in tempus distulerint, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes (3),

(1) Pro recta intelligentia huius can. et seq. 2411, vide omnino responsum ed. a *Pont. Comm. ad Cod. can. auth. interpretandos;* pag 386 not. 2.

(2) Proposito a Superioribus monach. Carthus. dubio: « an nostri ordinandi obligentur habere licentiam Ordinarii, in cuius dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis? SS. D. N. etiam ex sententia S. C. Concilii declaravit obligari ». *Ex l. I Decr. p. 75 rel. a Bened. XIV* in bulla de ordinationibus regularium 1747. *Bullar. T. II, p. 179.*

(3) In decreto edito a Clemente VIII, an. 1596, quo per modum legis universalis regulares iubentur suscipere ordines ab Episcopo dioecesano, legitur: « Superiores regulares posse suo subdito regulari... litteras dimissorias concedere, *ad Episcopum tamen dioecesanum*, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit; *et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen* ab eo Episcopo qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam et *cum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes.* Verum cum a Superioribus regularibus Episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. *Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationem ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi D. N. P. reservatas poenas incurrant.* In quorum fidem etc, ». Dat. Rom. d. 15 mart. 1596. Rel. a Bened. XIV. ib.

merito ipso facto manent suspensi per mensem a Missae celebratione. Haec suspensio, uti quisque videt, non est censura, sed poena vindicativa, et quia lex, uti patet ex verbo, *praesumpserint,* plenam cognitionem ac deliberationem exigit, ab ipsa incurrenda excusat quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis; can. 2229, § 2.

CAN. 2411. — Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.

Superiores religiosi admittentes candidatum ad Novit. vel Profess. contra can. 542, 544, 571, § 2.

476. *Ecclesia Christi*, licet spirituali gaudio afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita. *ingressum in novitiatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia* in religiosis Domibus *servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent.* Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem praecedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur (1).

Patet proinde ex dictis, quod in admittendis candidatis ad novitiatum vel ad professionem, Superiores religiosi diligentissime servare debent ea omnia quae in can. 542, 544, 571, § 2, constituta sunt. Quin immoremur in declarandis iis omnibus quae in citatis canonibus tam sapienter constituta sunt, quisque iam facile videt, quam graviter delinquat ille Superior religiosus, qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum recipiat, vel ad professionem admittat contra praescriptum can. 571, § 2, ubi legitur: « Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari ». Merito proinde iste Superior religiosus plecti debet congrua poena pro diversa culpae gravitate, et si res ferat, etiam

(1) S. C. de Religiosis, decr. 7 sept. 1909.

officio privari. Edicitur enim in can.: « pro gravitate culpae puniatur, non exclusa officii privatione » (1).

Antistitae violantes praescripta c. 549, 552.

CAN. 2412. — Religiosarum etiam exemptarum Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur:

1. Si contra praescriptum can. 549 dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in can. 551;

2. Si contra praescriptum can. 552 omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem.

477. In monasteriis monialium postulantes offerre debent dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam; can. 547, § 1. *Haec dos monasterio seu religioni acquiritur per obitum religiosae;* can. 548. Cumque huiusmodi *dos* ex praescripto can. 551, § 1, « *religiosae professae* sive votorum sollemnium sive votorum simplicium *quavis de causa discedenti integra restituenda sit* »; *hinc omnino... prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi*, ne ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguendum »; can. 549 (2).

478. Praeterea, uti iam edixerat Concilium Trident. ut prospiceret « libertati professionis virginum Deo dicandarum » (3); ita et in novo Codice constitutum est « Religiosarum etiam exemptarum *Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem* tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem »; can. 552. Hisce breviter

(1) C. 10, X, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 31; c. 2, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 14 in VI; S. C. super Statu Regularium, decr. « Romani Pontifices », 25 ian. 1848, n. III.

(2) S. C. de Religiosis, instr. 30 iul. 1909, n. XII; ibi; « Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab Apostolica Sede iamdudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere, quousque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et Apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio ». Vid. ibid. n. XIV.

(3) Conc. Trident., sess. XXV, de ref., c. 17.

adnotatis, plane omnino intelligitur can. 2412, quo edicitur, ut religiosarum etiam exemptarum Antistitae, unum vel alterum ex praescriptis can. 549, 552 transgredientes, pro diversa culpae gravitate congrua poena ab Ordinario plectantur, non exclusa, si res ferat, ex. gr. si sint recidivae, ad normam can. 2208, etiam officii privatione.

Antistitae, Superiores, omnesque religiosi violantes praescripta circa can. visitationem.

CAN. 2413. — § 1. Antistitae quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur.

§ 2. Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur (1).

479. Hoc canone *coercentur Antistitae, Superiores aliique omnes religiosi violantes praescripta circa can. visitationem.* Maiores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitare debent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti; can. 511. Et hoc ius et officium visitandi domos religiosas spectat quoque ad Ordinarium loci ad normam can. 512. *Praecipuus scopus harum visitationum est,* sanam orthodoxamque doctrinam conservare, bonos mores tueri, pravos corrigere, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in ipsis familiis religiosis promovere, ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituere (2).

Ut haec omnia facilius feliciusque succedant, optime in can. 513 determinantur tum ea quae a Visitatoribus peragenda sunt, tum ea quae praestari debent ab illis qui visitationi subiiciuntur. Legitur enim in cit. can. 513: « *Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere indicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant* ». Et huic iuri quod habet Visitator interrogandi et cognoscendi de iis quae ad visitationem

(1) V. supra (pag. 386 not. 2) resp. ed. a Pont. Commiss. ad Cod. can. auth. interpretandos.

(2) Conc. Trident., sess. XXIV, de ref., c. 3.

spectant, respondet in Religiosis officium seu obligatio respondendi secundum veritatem, nulloque modo impediendi scopum visitationis. Hinc edicitur in eodem can. 513: « *omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire* ».

Hisce adnotatis, quisque facile videt quam graviter delinquant: 1° Antistitae quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transferant; necnon 2° religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae. *a*) per se vel per alios, directe vel indirecte religiosas inducant ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant; vel *b*) eisdem religiosis, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu, afferant. Istae omnes religiosae, sive Antistitae sive subditae, contra praescriptum can. 513 graviter delinquentes, gravi poena mulctandae sunt. Hinc merito ex praescripto huius can. 2413 debent a Visitatore inhabiles declarari ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, et Antistitae officio, quo funguntur, privari.

Denique *notetur quod haec omnia quae in § 1 constituta sunt, debent ex § 2 etiam virorum religionibus applicari* [1].

Antistitae quae contra praescripta can. 521, § 3, 522, 523, se gesserint.

CAN. 2414. — Antistita quae contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523 se gesserit, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis.

480. *Ut sarta tectaque maneat libertas quae ab Ecclesia conceditur religiosis circa sacramentales confessiones peragendas, graviter heic animadvertitur in Antistitas quae contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523 se gesserint.* Ut melius pateat quam recte compescatur poena privationis officii violatio horum canonum, potius quam ipsorum summam, eos ex integro transcribere admodum utile esse censemus.

Iamvero in can. 521, § 3 edicitur: « Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat (scil. ex confessariis ab Ordinario designatis ad normam eiusdem can. 521, § 2) *nulli*

[1] C. 4, *De officio ordinarii*, I, 16, in VI°.

Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre ». Et in can. 522 additur: « Si non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; *neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem;* et religiosae nihil Antistitae referre tenentur ». Ac tandem in can. 523 statuitur: « Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, *nec Antistita potest eas sive directe* sive indirecte prohibere ». Haec sunt canonum praescripta quae omnes Antistitae religiosissime observare tenentur, ita ut si ipsae qualibet de causa et quomodolibet contra eadem praescripta se gesserint, debeant prius ab Ordinario moneri ut canonibus supra relatis adamussim obtemperent; si vero post monitionem iterum deliquerint, debent ab eodem Ordinario officii privatione puniri, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis (1).

(1) S. C. *De Religiosis*, decr. 3 febr. 1913, n. 11.

RERUM
INDEX ALPHABETICUS

Literā **C.** *canones,* **n** *numeri textus indicantur.*

A

Abbates: Veniunt nomine Superiorum Maiorum. Vide *Superiores.*

Abiuratio quando requiratur, C. 2314, § 2 - n. 317.

Abortum procurantes excommunicationem et depositionem incurrunt, C. 2350 - n. 390; quid si mater egerit metu gravi? ib. 2°.

Absolutio: a censura, C. 2236 - n. 141; a peccato et non a censura, C. 2250 - n. 183; data in foro externo valet etiam pro f. interno: num. viceversa, C. 2251 - n. 185 seq.

— *a quo concedi* possit, C. 2236 - n. 141 seqq.; quid hac in re possit Ordinarius, C. 2237 - n. 146 seqq.: vide etiam *Ordinarius - Remissio - Censura.*

— facultas absolvendi a censuris quomodo aestimanda, n. 175.

— *particularis vel generalis,* C. 2249 - n. 181 seq.

— quomodo petenda, C. 2249 § 1 - n. 181 seq.; qua forma concedenda, *ib.* et C. 2250 § 3 - n. 184.

Absolutio: *extra mortis periculum,* C. 2253 - n. 190 seqq.

— *in mortis periculo,* C. 2252 - n. 187 seq.

— *in casibus urgentioribus,* C. 2254 - n. 193, directe n. 194, et imposito onere recurrendi, *ib.,* saltem ad sacerdotem facultate praeditum n. 195, nisi impossibilitas excuset n. 196, (excepta complicis absolutione n. 197) et iniunctis de iure iniungendis n. 198.

— *a peccatis reservatis* absque facultate, C. 2366 - n. 421.

— *complicis* in peccato turpi quomodo punitur, C. 2367 - n. 422.

Absolvere *sine facultate* praesumentes ab excommunicatione A. S. specialissimo vel speciali modo reservata excommunicationem l. s. eidem A. S. simpliciter reserv. incurrunt, C. 2338 § 1 - n. 364.

Abulia quid., n. 24.

Abusus auctoritatis vel officii in delinquendo auget delictum, C. 2207, 2° - n. 40.

Acta S. Sedis eiusve Legatorum im-

pedientes, C. 2333 - n. 358; fabricantes vel falsantes, C. 2360 seqq. - n. 410 seq.

Actio ex delicto, C. 2210, *poenalis* reservatur promotori iustitiae, *civilis* privatis n. 52; utraque potest ab eodem iudice definiri n. 53.

Actus *legitimi ecclesiastici*, quinam, C. 2256, 2° - n. 202; quinam ab ipsis arcendi, C. 2294 § 2 - n. 278; 2315 - n. 320; 2350 § 2 - n. 391; 2357 § 2 - n. 405; quinam arcentur ipso iure, C. 2353 - n. 396; 2363 - n. 416; 2375 - n. 436; 2385 - n. 445.

Adulterii publici poenae: pro *laicis*, C. 2357 § 2 - n. 404 seq.; pro *clericis in minoribus*, C. 2358 - n. 406; *in sacris*, C. 2359 - n. 407.

Aetas: quotuplex n. 31; quomodo afficit imputabilitatem, C. 2204 - n. 31; poenam, C. 2230 - n. 120 seqq., ordinationem, C. 2374 - n. 435.

Affines non afficiuntur affinium infamia, C. 2293 § 4 - n. 276.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum contra can. 534, 1532 quomodo punitur iure tum vetere, n. 386, cum novo, C. 2347 - n. 387.

— *mentalis* v. infra *Amentia*.

Amentia: quid, quotuplex n. 24, quando praesumitur, *ib*, quae excusat, quae iustificat, C. 2201 - n. 23 seq.

— *habitualis* praesumptionem inducit de incapacitate delinquendi, C. 2201 § 2 - n. 24:

— quoad poenas, C. 2218 § 2 - n. 73; 2229 § 2 - n. 116.

Anathema quid, C. 2257 § 2 - n. 207.

Antistitae etc. violantes praescripta circa visitationem, C. 2413 - n. 479.

Apostatae *a fide*: quinam, C. 1325 § 2 - n. 313; quid de iis qui metu fidem negant, n. 35; quoad poenas, C. 2314 - n. 313 et 1240 § 1.

— *a religione*: quinam n. 313; quomodo puniuntur, C. 2385 - n. 445.

Appellatio: quid, C. 2243 et quotuplex n. 163; eius vis n. 164 seq.; et C. 2287 - n. 267.

— *a Romano P. ad Concilium generale* quomodo damnetur, C. 2332 - n. 356.

Applicatio *poenae*, C. 2223 - n. 92 seqq.; 2224 - n. 96 seqq.; 2225 - n. 102 seq.; 2226 - n. 104 seqq.

Assistentia *sacris* activa et passiva n. 322.

Auctores librorum de re biblica, C. 2318 - n. 329.

Autolaesionistae et suicidae quibus poenis afficiuntur, C. 2350 § 2 - n. 391.

Auxilium *vitando* praestantes, C. 2338 § 2 - n. 365.

B

Beneficio *ecclesiastico* privantur: apostatae, haeretici et schismatici, C. 2314, 2° - n. 313 seqq.; simulantes Missae celebr. etc., C. 2322 - n. 337 seqq.; ii de quibus C. 2324 - n. 342 atque clerici ultra semestre in suspensione contumaces, C. 2340 - n. 370 vel qui professionem fidei emittere neglexerint, C. 2403 - n. 467.

Bestialitatis poenae, C. 2359 § 2 - n. 408.

Biblicae societates damnatae n. 361.

Bigami simultanee ipso iure infames

et aliis poenis plectendi, C. 2356 - n. 403.

Blasphemia quomodo coercetur iure tum vetere, n. 340 cum novo, C. 2323 - n. 341.

Bonam famam laedentes puniuntur, C. 2355 - n. 399.

Bona temporalia Ecclesiae Romanae usurpantes, detinentes, C. 2345 - n. 383 seq.

— *ecclesiastica* sibi usurpantes, C. 2346 - n. 385; alienantes, C. 2347 - n. 386 seq.

Brachium saeculare Ecclesia in sui auxilium potest requirere, C. 2198 - n. 12.

C

Cadavera violantes quomodo puniendi, C. 2328 - n. 352.

Calumnia de sollicitatione, C. 2363 - n. 416.

Canonicus *poenitentiarus theologusve* in officio negligens quomodo puniendus, C. 2384 - n. 444.

Canonis *privilegium* violantes: quatenus puniantur iure tum veteri, n. 376, cum novo, C. 2343 - n. 377, sive in Romanum Pont,, n. 378, sive in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, n. 379 aliosve tum clericos cum religiosos, n. 380, iniuriam fecerint.

Capitulares non residentes qua poena digni, C. 2381 - n. 442.

— *documenta* Curiae subtrahentes C. 2405 - n. 469.

Carceris poena olim ab Ecclesia adhibita, n. 64.

Cardinales quatenus lege poenali non teneantur, C. 2227 § 2 - n. 107.

Casus fortuitus: quid, n. 22; excusat a culpa, C. 2203 § 2 - n. 22, et a poena, C. 2218 - n. 72.

Catechesis officium parochus negligens quomodo puniatur, C. 2382 - n. 442.

Causae *aggravantes* imputabilitatem delicti: quid, n. 17; quae, C. 2206-2208 - n. 37 seqq.; ex iis quando et poena augenda, C. 2223 § 1 - n. 92.

— *excusantes* a culpa: quid, n. 17; quae, C. 2199 - n. 17 et C. 2201-2206 - n. 23 seqq.; a poena, C. 2218 - n. 73.

— *iustificantes* ut supra.

— *piae:* quae, n. 388; eas negligentes quomodo puniendi, C. 2349 - n. 388.

Censura: quid, C. 2241 § 1 - n. 156 seqq.; quotuplex, C. 2245; cf. C. 2217 - n. 66 seqq.; quibus infligatur, C. 2242 - n. 159-161; praemissa tamen monitione, C. 2233 § 2, n. 132, sobrie et caute, C. 2241 § 2 - n. 158; censurae multiplicari possunt, C. 2244 - n. 166 seqq.; effectus, C. 2243; ab eis quatenus pateat appellatio vel recursus, C. 2243 - n. 163 seq.

— *contracta* non cessat per legem contrariam, n. 109, sed tantum absolutione, C. 2248 § 1 - n. 177 seq., quae sincere poenitentibus denegari nequit *ib.* § 2 - n. 179, nec absoluta reviviscit, *ib.* § 3, n. 180; ex pluribus potest una tantum absolvi, C. 2249 - n. 181 seq.; quando absolvi quis potest a peccato, firma censura, C. 2250 § 1, 2 - n. 183: qua forma absolvatur, *ib.* § 2 - n. 184; absolutionis effectus

in alterutro foro, C. 2249 §2 - n. 182, C. 2251 seq. - n. 185 seqq.; censurarum reservatio, C. 2245 - n. 17: at v. etiam *Reservatio:* cens. absolutio v. *Absolutio:* quaenam in specie, C. 2255 seqq. - n. 199 seqq.

Censura *a iure:* quomodo multiplicantur, C. 2244 § 2 - n. 166 seqq.; reservatae Ordinario vel Apostolicae Sedi simpliciter, speciali, specialissimo modo, C. 2245 § 2, 3 - n. 173.

— *ab homine:* quomodo multiplicantur, C. 2244 § 3 - n. 169; reservantur, C. 2245 § 2, 2247 § 2; reservatio stricte interpretanda n. 176; quinam absolvere possint, C. 2247 § 3, 2253, 2° - n. 191; in periculo mortis, C. 2252, n. 187 seqq.; a facultatis experte, C. 2338 § 1 - n. 364.

— *reservatio* censurae: C. 2245 - n. 173; quando importat etiam reservationem peccati, n. 174; reservatio stricte interpretanda, C. 2246 § 2 - n. 176; quid si censura impediat Sacramentorum receptionem, C. 2246 § 3 - n. 174; ubinam vigeat reservatio, C. 2247 § 2 - n. 170 seqq.; quid si confessarius reservationem ignorans absolvat a peccato et a censura, *ib.* § 3, n. 174: utrum Ordinarius possit censura sibi reservata punire delictum iam mulctatum censura A. S. reservata, C. 2247 § 1 - n. 170 seq.; an Ordinarius possit etiam in casibus occultis, censuras absolvere A. S. speciali vel specialissimo modo reservatas, C. 2237 § 1, 2 - n. 148 seq.

Clausuram violantes qua poena digni, C. 2342 - n. 373.

Clerici: possunt ob delictum etsi probabile vel praescriptum n. 87, ad ordinem superiorem non promoveri n. 88, vel a sacris, n. 89, aut ab officio, n. 90, arceri, non tamen in poenam, n. 91, C. 2222 § 2: proprias habent vindicativas poenas, C 2298 - n. 283; et si contumaces in suspensione sint, privandi officio, beneficio etc., C. 2340 - n. 370; gravius puniendi si Ecclesiae libertatem impediant, C. 2336 seq. - n. 362 seq.; iura et privilegia amittunt non per depositionem, C. 2303, sed per perpetuam privationem habitus ecclesiastici, C. 2304 et per degradationem, C. 2305 - n. 289 seqq.

— *maiores* delinquentes contra sextum quomodo puniendi, C. 2359 - n. 407 seqq.

— *minores* contra sextum delinquentes quomodo puniendi, C. 2358 - n. 406.

Clerico-liberales societates qua ratione damnandae, n. 361.

Coactio ad statum clericalem aut religiosum qua poena plectenda, C. 2352 - n. 394 seq.

Coemeterii violatorum poenae, C. 2329 - n. 352.

Cogentes clericos ad laicum tribunal, C. 2341 - n. 371.

Collationis beneficiorum illegitimae poenae, C. 2391 - 2395 - n. 454 seqq.

Comminatio poenae irrogationi praemittenda, C. 2222 - n. 85 seq.

Commorationis praescriptae vel pro-

hibitae poena, C. 2298-2301 seq. ab Ordinario clericis imponi potest, n. 286, certis condicionibus, n. 287, et cautelis - n. 288.

Communicatio *in divinis* vetita: cum acatholicis, C. 1258, cum excommunicatis, C. 2259 - n. 322, 212 seqq. C. 2260, 2261 - n. 216 seqq. - poenae, C. 2316,2338 - n. 321 seqq., 365 seq.

— *in profanis* cum vitando quatenus prohibita, C. 2267 - n. 231 seq.

Commutatio poenae, C. 2223 § 3, 3° - n. 94.

Competentia ad coercenda delicta, C. 2198 societatis tum ecclesiasticae, n. 12, cum civilis, n. 13, tum denique utriusque, n. 14.

Complices in delicto: C. 2209 - n. 42, tum physice cum moraliter, n. 43 seq.: principales, accessorii, negativi, n. 45 seqq.; quinam tenentur in solidum ad damna et expensas, C. 2211 - n. 50, num eadem poena principales atque accessorii? C. 2231 - n. 123 seq. et n. 381.

— *in peccato turpi:* quoad recursum ad S. Poenitentiariam n. 197; quoad absolutionem, C. 2367 - n. 422.

— *in duello*, C. 2351 - n. 392 seqq.

Conatus delicti: quid, C. 2212 - n. 54; quomodo imputatur, C. 2213 - n. 56 seq., quomodo puniendus, C. 2224 § 3 - n. 101, C. 2235 - n. 140.

Concubinarii: quomodo puniendi si laici, C. 2357 § 2 - n. 404 seq.; si clerici in minoribus, C. 2358 - n. 406, in sacris, C. 2359 - § 1 - n. 409.

Concursus in delictum v. *Complex*.

Confirmationem illegitime ministrantium poenae, C. 2365 - n. 419.

Conrei utrum poenis teneantur si expresse non nominentur, n. 381.

Consanguineum infamia non afficit, C. 2293 § 4 - n. 276.

Consilium retractatum quatenus imputetur, n. 49.

— dantes quanti culpabiles, n. 46.

Conspirantes contra auctoritatem R. Pont. eiusve Legati vel proprii Ordinarii, C. 2331 § 2 - n. 324 seq.

Contumacia: requiritur necessario in ferenda censura, C. 2233 - n. 132, cf. C. 2241 seq. - n. 157 seqq.; quando desiisse censetur, n. 162.

Cooperatio, Cooperatores, vide *Complex, Conrei, Consilium*.

Correptio: quid, C. 2306, 2308; publica et secreta, n. 298; qua ratione utravis facienda, n. 299 seq.

— *iudicialis,* quaenam, C. 2309 § 3, fit loco poenae; vel ad poenam augendam, n. 301; semel vel pluries, n. 302.

Crimen quid, n. 1; non datur sine lege, n. 6.

— *falsi* quomodo punitur, C. 2360-2363 - n. 410 seqq., v. *Falsum*.

Culpa: quid n. 16; quotuplex n. 20 seq. quatenus imputabilis, C. 2203 § 1 - n. 19.

Cumulus poenarum mitigandus, C. 2224 - n. 100.

D

Debilitas mentis: minuit imputabilitatem delicti, C. 2201 § 4 - n. 25; quando a poena excusat, C. 2218 § 2 - n. 73, praesertim si est latae sententiae, C. 2229, § 3, 2° - n. 117.

Decimas praestare recusantes quomodo puniendi, C. 2349 - n. 389.

Decreta contra Ecclesiae libertatem edentes excommunicationem incurrunt, C. 2334 - n. 359.

Degradatio est poena vindicativa, C. 2298, 2305 - n. 290; verbalis, edictalis, realis ib. § 3 - n. 290 seq.; continet depositionem, perpetuam habitus clericalis privationem et ad statum laicalem reductionem; ib. quando ferri potest, C. 235 - n. 293 seq.; quomodo n. 295; non suspenditur, C. 2288 - n. 266; infligitur clericis apostatis, haereticis, schismaticis, C. 2314, 3°, atque iis qui violentas manus in R. P. iniecerint, C. 2343 - n. 378.

Delictum: quid, C. 2195, quibus constat elementis - n. 1, seqq., 112; quatenus differt, a peccato - n. 5 et a quasi delicto - n. 20: *publicum*, *notorium*, *occultum*, C. 2197 - n. 9 seqq.; qualitas et quantitas unde desumitur, C. 2196 - n. 8; a quo puniendum, C. 2198 - n. 12 seqq. et 2227 § 1 - n. 111; oritur ex delicto actio poenalis et civilis, C. 2210, § 1, - n. 50 seqq.; utraque apud eundem iudicem definiri potest; *ib.*, § 2, n. 52.

— « *Quot delicta tot poenae* » C. 2224, at non punitur nisi delictum consummatum, C. 2228 - n. 113 et certum, C. 2233 - n. 130 seq.

— *frustratum:* C. 2212 § 2, 2213 § 2 - n. 54 seqq.; quomodo puniendum, C. 2235 - n. 140.

Dementia quoad imputabilitatem delicti, n. 24.

Depositio: poena vindicativa, C. 2298, quid secumferat, C. 2303 - n. 289 seqq.; de iure antiquo 291; quando n. 293 seq.; quomodo ferenda, n. 295; non suspenditur, C. 2288 - n. 266; infligitur clericis apostatis, haereticis, schismaticis, C. 2314, 2°; et eis qui species consecratas profanaverint, C. 2320 - n. 335, et qui nondum presbyteri Missae celebrationem simulaverint aut confessiones sacramentales exceperint, C. 2322 - n. 338 seqq. etc. C. 2328, 2350 § 1, 2354 § 2, 2359 § 2, 2379, 2394, 2401, - n. 440, 459, 465.

Detinentes bona iurave Ecclesiae Romanae quomodo puniantur, C. 2345 n. 383.

— bona iurave ecclesiastica usurpandi animo, C. 2346, - n. 385.

Diffamatio - n. 400 seq.

Dignitas delinquentis vel offensi aggravat delictum, C. 2207 - n. 38 seq.

Dispensatio a poenis vindicativis datur emendatis - n. 265; differt ab absolutione v. h. v.

Divinatio, C. 2325, n. 344, 348.

Doctrinam damnatam docentes quas poenas incurrunt, C. 2317 - n. 324 seq.

Dolus: quid, C. 2200 - n. 15; elem. formale delicti n. 1, 3, eiusque imputabilitatis fundamentum - *ib.*; externe violata lege praesumitur, C. 2200 § 2 - n. 18.

— *in supplici libello* quando et quomodo potest puniri, C. 2361 - n. 415.

Domicilium coactum, C. 2301 seq. n. 286 seq.

Donationem piam implere negligentes quomodo cogendi, C. 2348 - n. 388.

Dubium delictum non punitur, C. 2233 - n. 130 seq.

Duellum patrantes eorumque complices excommunicatione percelluntur, C. 2351 - n. 392.

E

Ebrietas: quid; quomodo afficit delicti imputabilitatem, C. 2201 - n. 26 et poenam, C. 2218 § 2, 2229 § 3, 2° - n. 117.

— *perfecta, imperfecta, affectata* - n. 26.

Ecclesia: quid si interdicatur, C. 2271 seqq., v. Interdictum.

— poenae contra ecclesias violantes. C. 2329 - n. 352.

Edentes leges et mandata contra libertatem Ecclesiae, C. 2334, 1 - n. 359 seq. et si clerici, C. 2318 § 1 - n. 362.

— *libros prohibitos,* C. 2318 § 2 n. 328.

Educantes *sobolem* acatholice quomodo coercendi, C. 2319 - n. 331 seq.

Effectus quomodo delictum perficiant n. 58.

Electio illegitima quando, quomodo punienda, C. 2390 seqq.

Eleemosyna: *poenitentia canonica,* C. 2313 § 1, 4 - n. 308.

— *missarum* colligentes illicite coercentur, C. 2314 - n. 341 seq.

Eligendi iure privantur: excommunicati, C. 2265 § 1, 1° - n. 227; suspensi, C. 2283; qui laicorum immixtioni faverunt, C. 2390 - n. 452; indignum eligentes, C. 2391 - n. 454; simoniaci, C. 2392. § 2 - n. 458; eligendi iure abutentes, C. 2393 - n. 458.

Emendatio: finis praecipuus poenarum canonicarum, C. 2223 - n. 94.

Episcopi quas poenas incurrant, n. 107; v. etiam **Ordinarius.**

Error: quid, n. 27; aequiparatur ignorantiae, C. 2202 - n. 27; unde influit tum in delictum eiusque imputabilitatem, ib., cum in poenam, C. 2218 § 2 - n. 73.

Eucharistiae species profanantes coercentur, C. 2320 - n. 335.

Excommunicati: vitandi et tolerati, C. 2258 eorumque distinctio - n. 209 seq. *privantur* participatione indulgentiarum, suffragiorum etc., C. 2262 § 1 - n. 222; iure assistendi officiis divinis, C. 2259 - n. 212 seqq.; licite Sacramenta et quandoque Sacramentalia recipiendi, C. 2260 - n. 216 seq., C. 2265, 3°; conficiendi et ministrandi, exceptis quibusdam casibus, C. 2261 - n. 219 seqq.; electionis et nominationis activae et passivae ad offic. etc., C. 2265 - n. 227 seq. fructibus beneficii, *ib.* - n. 229; iure fruendi muneribus et privilegiis iam obtentis, C. 2263 - n. 226, iurisditionis ecclesiasticae licite et quandoque valide exercendae, C. 2264 - n. 225; arcentur ab actibus legitimis atque ab agendo in iudiciis ecclesiasticis, C. 2263 - n. 226, imo ni resipuerint, et a sepultura ecclesiastica, C. 2260 - n. 218, poena C. 2339 - n. 367. - *Invalide* eligunt etc. aut officia ete, recipiunt,

C. 2265 - n. 227 seq. aut gratiam pontificiam - ib. - *Vitandi* praeterea etiam a passiva participatione in divinis repellendi, C. 2259 § 2 - n. 213, imo et in profanis, C. 2267 - n. 231 seq.; eorumque cadavera de loco sacro removenda, poena, C. 2339 - n. 367; eorum quaelibet *in crimine criminoso* et in divinis participatio etiam indirecta proscripta, praesertim clericis, C. 2338 - n. 365.

Excommunicatio: quid, C. 2255 - n. 199 seqq. in disciplina antiqua, n. 204, in nova, C. 2257; maior et minor, n. 206; simplex, anathema, maranatha - n. 207; poena omnium gravissima, n. 208; fertur in personas physicas, C. 2255 § 2 - n. 201; quamvis ignotas sed certas n. 161 at nonnisi sobrie n. 158;

— *reservatur:* S. A. *specialissimo* modo quam incurrunt profanantes species consecratas, C. 2320 - n. 335; qui in R. P. violentas manus iniecerint, C. 2343, 1° - n. 377 seq.; qui complicem in peccato turpi absolverint, C. 2367 - n. 422; confessarii sacramentale sigillum directe violantes, C. 2369 - n. 426. - *speciali modo:* quam contrahunt a fide apostatae, haeretici aut schismatici, C. 2314 - n. 317 et proinde suspecti de quibus C. 2315, 2316, 2340 etc.; libros prohibitos edentes etc., C. 2318 - n. 326; non presbyteri Missae celebrationem simulantes vel sacramentales confessiones excipientes, C. 2324 - n. 338; appellantes a R. P. ad Concilium generale, C. 2332 - n. 357; litteras etc. Sedis Ap. etc. impedientes, C. 2333 - n. 358; edentes mandata contra libertatem Ecclesiae eiusve iurisdictionem impedientes, C. 2334 - n. 359 seq.; trahentes ad tribunal laicum Cardinales, A. S. Legatos, Officiales maiores Curiae Rom. Ordinariumve proprium, C. 2341 - n. 372; qui violentas manus iniecerint in S. R. C. Cardinalem vel in Legatum R. P., Patriarcham etc., C. 2343 §§ 2, 3 - n. 379; usurpantes bona Ecci. Rom., C. 2345 - n. 384; falsarii de quibus C. 2360 § 1 - n. 412; falso denuntiantes confessarium de sollicitatione, C. 2363 - n. 416;

Excommunicatio: *simpliciter* qua plectuntur quaestum facientes ex indulgentiis, C. 2327 - n. 351; sectae massonicae aliisve id genus nomen dantes, C. 2335 - n. 361; absolventes absque facultate ab excom. A. S. specialissimo specialive modo reservata et cum vitando in crimine criminoso vel in divinis communicantes, C. 2338 §§ 1, 2 - n. 364; trahentes ad iudicem laicum Episcopum non proprium, Abbatem etc., C. 2341 - n. 372; clausuram violantes, C. 2342 - n. 373 seq.; usurpantes bona ecclesiastica, C. 2346 - n. 385; duellantes eorumque conrei, C. 2351 - n. 392; matrimonium contra imped. ordinis et professionis sollemnis attentantes, C. 2388 § 1 - n. 442; simoniaci in of-

ciis etc. ecclesiasticis. C. 2392 - n. 457; curiae documenta etc. subtrahentes, C. 2405 - n. 468;

Excommunicatio *Ordinario a iure reservata:* quam incurrunt matrimonium coram ministro acatholico celebrantes, C. 2319, 1° - n. 330; vel cum pacto de prole acatholice educanda, *ib.*, 2° - n. 331; liberos acatholico ministro baptizandos tradentes *ib.* 3° - vel in religione acatholica educandos - n. 332; falsas reliquias conficientes etc., C. 2326 - n. 350; qui violentas manus in clericos religiososve iniecerint, C. 2343 § 4 - n. 380; abortum procurantes, C. 2350 § 1 - n. 390; apostata a religione, C. 2385 - n. 445; matrimonium voto simplici perp. impeditum attentantes, C. 2388 § 2 - n. 448.

— *nemini reservata:* quam contrahunt edentes sine licentia S. Script. libros etc., C. 2318 § 2 - n. 329; ecclesiasticae sepulturae indignos tradentes, C. 2339 - n. 367; alienantes bona ecclesiastica, C. 2347, 3° - n. 387; cogentes ad statum clericalem vel religiosum, C. 2352 - n. 394; sollicitantem non denuntiantes, C. 2368 § 2 n. 424.

Exercitia spiritualia ut poenitentia canonica, C. 2313 § 2, 5°.

Exercitium ordinis quibus vetitum, C. 2372 - n. 430.

Exhumanda e loco sacro vitandorum cadavera, C. 2339 - n. 367.

Exilium ut poena quondam ab Ecclesia adhibita - n. 64.

Exsecutio sententiae poenalis potest suspendi pro prima vice delinquentibus, C. 2288 - n. 266.

F

Facultate carentes presbyteri suspendantur, si confirmationen ministraverint, C. 2365 - n. 419; sunt ipso facto suspensi a divinis, si confessiones exceperint, C. 2366 - n. 420; ab audiendis confessionibus, si a reservatis absolverint, C. 2366 - n. 421.

Falsi crimen: quid - n. 410; admittitur dicto, facto, usu - n. 411 poena, C. 2360 seq. - n. 412 seqq.; in denuncianda sollicitatione, C. 2363 - n. 416.

Famae bonae laesio, C. 2355 - n. 400 seqq.

Fidei iniuria, C. 2314 - n. 313 seqq.

Forma in poenis declarandis vel infligendis, C. 2225, tum a iure - n. 102, cum ab homine - n. 103: - absolvendis, C. 2250 § 3 - n. 184.

Forum: quid, quotuplex - n. 152; de absolutione in utroque vel alterutro f., C. 2251 - n. 185; quae forma in alterutro adhibenda - n. 184; quinam in alterutro a censuris non reservatis absolvant, C. 2253 1° - n. 190.

— *fori privilegium* violantes, C. 2341 - n. 371 seq.

Fructus amittunt excommunicati post sententiam, C. 2226 - n. 229; a beneficio suspensi, C. 2280 - n. 257; non residentes, C. 2381, 1° - n. 412; fidei professionem emittere renuentes, C. 2403 - n. 467.

Frustratum delictum: quid, quatenus imputandum, C. 2212 seq. - n. 38 seqq.; puniendum, C. 2235 - n. 140.

Fugitivi religiosi quomodo puniendi, C. 2381 - n. 412.

Funera tempore interdicti quatenus prohibita, C. 2271 seq.

Furtum qua poena compescatur, C. 2354 - n. 397.

G

Gradus academici quibusnam interdicantur in poenam vindicativam, C. 2291, 1°.

Gratias ecclesiasticas obtinendi inhabilitas, C. 2291, 9°.

H

Habitum et tonsuram non gestantes, C. 2379 - n. 440

Habitus ecclesiastici: dimissio illegitima plectitur, C. 2779; privatio temporanea, C. 2298, 9°; quando ferri potest, C. 2300 - n. 285; perpetua, C. 2298, 11°; in depositos sordescentes, C. 2304 § 1; includitur in degradatione, C. 2305 § 1 - n. 289 seq.

Haeretici: quinam - n. 314; quas poenas incurrunt, C. 2314 - n. 314 et C. 2372.

— *suspecti:* quinam, C. 2315 seq. n. 320; haeresis propagationem iuvantes, n. 321; in divinis cum haereticis communicantes, n. 322; in excommunicatione insordescentes, C. 2340 - n. 369 etc.; puniuntur, C. 2315 - n. 323.

Hominis occisio et venditio quatenus poenis plectatur, C. 2354 - n. 397.

Hypnotismus quoad culpam, n. 345.

I

Ignorantia: quid n. 27; quotuplex n. 28 sqq. et 114, iuris et facti n. 28, legis n. 29, poenae n. 30; quomodo delictum afficit, C. 2202 - n. 27 seqq.; quomodo culpam, C. 2199 - n. 16, 21, quomodo poenam, C. 2218 - n. 73 seqq., C. 2229 - n. 115 seqq.

Impedientes: litteras, acta etc. Sedis Ap. etc. percelluntur, C. 2333 - n. 358; libertatem et iurisdictionem Ecclesiae, C. 2334 - n. 359, eo magis si sunt clerici vel religiosi, C. 2336 seq. - n. 362 seq.; libertatem electionum, C. 2390 - n. 452.

Impuberes: qui, quatenus delinquendi capaces praesumuntur n. 31 - a poenis l. s. eximuntur, C. 2230 - n. 120 seq.; num et ab irregularitate? n. 122.

Imputabilitas: unde oriatur n. 3 - C. 2199 seq. - n. 15 seq.; quibus causis augeri, minui, deleri possit, C. 2199-2208, at v. *Causa* - ei commensuranda poena, C. 2218 - n. 72; quae a gravi imputabilitate, etiam a qualibet poena excusant, C. 2218, § 2 - n. 73; quatenus metienda in conatu delicti n. 56 seq. et in delicto frustrato, C. 2213 - n. 58.

Inadvertentia aequiparatur ignorantiae v. h. v.

Incendii poenae, C. 2354 - n. 397.

Incestuosi: quomodo puniantur laici, C. 2357 - n. 404 seq.; clerici in minoribus, C. 2358 - n. 406; in sacris, C. 2359 - n. 407.

Incompatibilia beneficia obtinen-

tes quomodo coercendi, C. 2396 - n. 461.

Incommodum grave, quando excusat a delicto, C. 2205 - n. 34 seq.

Indulgentiis (ex) quaestum facientes qua percelluntur poena, C. 2327 - n. 351; - excommunicati non fruuntur, C. 2262 - n. 222.

Infamia: n. 64; iuris et facti, C. 2293 - n. 272; quando teneat - n. 273, seqq.; quando cesset, C. 2295 - n. 279; neutra ad consanguineos vel affines transit n. 276; - utriusque effectus, C. 2294 - n. 277 seq.; illa potest esse poena vindicativa, C. 2291, 4°: *ipso facto* tenet apostatas, haereticos et schismaticos qui acatholicae sectae nomen dederint etc., C. 2314 - n. 319; eos qui species consecratas profanaverint, C. 2320 - n. 335; cadavera vel sepulcra violaverint, C. 2328 - n. 352; viol. manus iniecerint in Rom. Pont., S. R. E. Cardin. vel R. P. Legatum, C. 2343 - n. 377; bigamos simultaneos insordescentes, C. 2356 - n. 403; damnatos de turpibus de quibus C. 2357, § 1 seqq. - n. 404 seq.

— *inurenda* apostatis, schismaticis, haereticis de quibus C. 2314 § 1, 2° - n. 313 seqq. et clericis in sacris de quibus C. 2359 § 2 - n. 407 seqq.

— quid si infamiae periculum oriretur ex observantia poenae vindicativae, C. 2290 - n. 268, vel censurae? C. 2254, § 1 - n. 193.

Infantes: doli incapaces praesumuntur n. 23, unde nec delinquunt in iure ecclesiastico, nec poena plectuntur n. 31.

Infideles in loco sacro ne sepeliantur, poena, C. 2339 - n. 367.

Ingressu ecclesiae interdicuntur: C. 2277 - n. 246 seq.; ii de quibus C. 2338, § 3 - n. 366; sponte indignos ecclesiasticae sepulturae tradentes, C. 2339 - n. 368.

Inhabilitas: poena vindic., C. 2291, 9° etiam pro clericis, C. 2298, 5° at ab una A. S. decernenda, remittenda, C. 2296, § 1 - n. 280; iura quaesita non aufert, C. 2296 § 2 - n. 281;

— *ipso facto* tenet infames inf. iuris, C. 2294 - n. 277; iure eligendi abutentes, C. 2390, § 2 - n. 452; qui temerarie et intempestive munera obierit, C. 2394, 1° - n. 459; qui non vacans officium acceptaverit, C. 2395 - n. 460;

— *infligenda* clericis qui bona Ecclesiae Rom. usurpaverint, C. 2345 - n. 384; vel bona quaeque ecclesiastica, C. 2346 - n. 385.

— *ad confessiones excipiendas*, C. 2368 - n. 424: ad officia quae aliorum regimen secumferunt, C. 2413, § 1 - n. 479.

Iniuria: mutua compensatur, C. 2218, § 3 - n. 74; qua poena plectitur iniuria in R. P., S. R. E. Card.; aliasque dignitates, C. 2344 - n. 382, in caeterosve quoslibet, C. 2355 - n. 399.

Insordescentes in excommunicatione quomodo compescendi, C. 2340 - n. 369.

Interdictum: quid, C. 2255 - n. 199 seq., 2268 - n. 233; est censura vel poena vindicativa, C. 2255, § 2 - n. 201, C. 2291, 1°; personale, lo-

cale; utrumque generale vel particulare - n. 234 seqq.;

Interdictum: *quis ferre potest*, C. 2269, § 1 - n. 235;

— *ubinam utrumque* vigeat *ib.* § 2 - n. 236;

— *locale* quid vetet, C. 2270-2273 - n. 237, in antiqua disciplina n. 238; exceptiones n. 239 seqq.; quibus festis et quatenus suspendatur n. 241; interdictis civitate, ecclesia, sacello, coemeterio quid sequatur, C. 2273 - n. 242 seq.

— *personale* quid - n. 245; etiam in communitatem ferri potest, C. 2274; quid inde sequatur n. 244; ipsum, A. S. speciali modo reservatum incurrunt Universitates et Collegia appellantes a R. P. ad Concilium generale, C. 2332 - n. 357; idem ipso facto contrahunt qui causam dederunt int. loc. aut int. in communitatem, C. 2338, § 4 - n. 366; - eodem plectendi violantes cadavera vel sepulcra, C. 2328 - n. 352, et bigami simultanee, C. 2356 - n. 403.

— *ab ingressu Ecclesiae*, C. 2291, 2°, 2277 - n. 246; quid vetet n. 247; reservatum Ordinario ipso iure incurrunt sepulturae ecclesiasticae indignos tradentes, C. 2339 - n. 367; - nemini reservatum ii de quibus C. 2338, § 3 - n. 366; infligendum est eis qui ecclesias vel coemeteria violaverint, C. 2329 - n. 352.

Interpretatio: quid - quotuplex n. 75; in dubio favorabilis reo n. 76, et in poenis benignior facienda, stricta vel restrictiva, C. 2219 - n. 77, non tamen analogica n. 78, nisi alia repugnet n. 79; etsi forte poena videatur iniusta n. 80.

Intervalla lucida, quanti habenda in iure poenali, C. 2201 - n. 24.

Irregularitas ex delicto: quae teneat impuberes - n. 122; quae oritur ex infamia iuris cum ipsa cessat n. 279.

Irrogatio poenae quomodo facienda, C. 2223-2225 - n. 92-103.

Iudex poenas applicat, non statuit n. 82, certa ratione, C. 2223 - n. 92; tum ferendae - n. 93, 94 - cum latae sententiae - n. 95; nec eas remittere potest n. 145.

Iura: Ecclesiae v. *Edentes*, *Usurpantes*.

— quaesita non auferuntur a superveniente inhabilitatis poena, C. 2296 § 2 - n. 281.

Iurisdictionem ecclesiasticam: impedientes qua poena plectantur, C. 2334 - n. 359, et C. 2336, § 1 - n. 362.

— non habentes qua poena mulctandi si confessiones audire vel a reservatis absolvere praesumpserint, C. 2366 - n. 420.

— quatenus prohibentur exercere excommunicati, C. 2264 - n. 225; suspensi, C. 2284 - n. 262.

L

Laudationes patrati delicti quatenus imputabiles, C. 2209, § 7 - n. 48.

Legata pia adimplere negligentes quomodo cogendi, C. 2348 - n. 388.

Legati R. P.: privilegium fori, C. 2341 - n. 372 - atque dignitas, C. 2344 - n. 382 - sarta tectaque sunto;

— litteras actave impedientes coercet C. 2333 - n. 358.

Leges edentes: contra Ecclesiam quibus percellantur poenis, C. 2334 - n. 359 - praesertim si fuerint clerici, C. 2336 - n. 362 - eoque vel magis si sacerdotes, parochi, C. 2337 - n. 363.

Lenocinii damnati: quomodo puniendi si laici, C. 2357, § 1 - n. 404 - si clerici in minoribus, C. 2358 - n. 406 - si in sacris, C. 2359 - n. 407.

Lex poenalis: quid, elementum delicti, n. 2 - stricte interpretanda, n. 77 - quomodo applicanda in poenis f. s. n. 93-94 - vel l. s. n. 95 et n. 104 seqq. - quatenus S. R. E. Cardinales et Episcopos non teneat n. 107; quae causae ab ea excusent n. 114 seqq.

Liberales societates damnantur n. 361.

Libri prohibiti iure tum naturae cum positivo, n. 326, seq.; quinam, C. 2318 - n. 328, § 2 seqq.

— quomodo puniantur edentes, defendentes, legentes, retinentes *ib.*

— *S. Scripturae* quatenus edi prohibeantur, C. 2318, § 2 - n. 329.

Lipemania quatenus delictum afficiat n. 24 (2).

Litteras A. S. vel Legatorum impedientes excommunicantur, C. 2233 - n. 358, eo magis si clerici sint, C. 2336 seq. - n. 362 seq.

— A. S. fabricantes etc. eisque utentes, C. 2360, 2362 - n. 412.

Luxuriosi puniuntur: laici n. 404 - clerici in minoribus n. 406 - in maioribus n. 407.

M

Magia quid: n. 344; quomodo punienda, C. 2325 - n. 348.

Magnetismus - n. 345.

Maiores: quinam, n. 31; quoad delicta et poenas - n. 31.

Mandantes: principales delicti auctores, C. 2209, § 3 - n. 42, nisi mandatum opportune retractaverint, *ib.* § 5 - n. 49; in solidum ad damna et expensas tenentur, C. 2211 - n. 50.

Mandata edentes contra Ecclesiam excommunicantur, C. 2334 - n. 359.

Massonicae sectae nomen dantes: quas poenas contrahunt laici, C. 2335 - n. 361, clerici et religiosi, C. 2336 - n. 362; ecclesiastica sepultura privantur, C. 1240.

Maranatha non speciem sed gradum graviorem excomm. dicit n. 207.

Matrimonium attentantes contra impedimentum ordinis vel prof. relig. l. s. excomm. contrahunt A. S. simpl. reservatam, C. 2388, § 1. n. 448 seq.

— clerici vero, incassum moniti, degradandi *ib.*

— contra impedim. ligaminis attentantes quatenus puniantur, C. 2356 - 403

Mentis debilitas minuit imputabilitatem delicti, C. 2201 - n. 25.

Mercaturam clerici exercentes quomodo puniuntur, C. 2380 - n. 441.

Metropolitam (in) qui violentas manus iniecerit, C. 2343 - n. 379.

Metus: quid, quotuplex - n. 33; gravis excusat in lege ecclesiastica,

C. 2205 - n. 34 seq., unde et a poena, C. 2229 - n. 118.

Metum: afferentes quoad suscipiendum ordinem, religionemve profitendam, C. 2352 - n. 394.

Ministerii sacri exercendi prohibitio, C. 2222, § 2 - n. 89; 2298, 1°.

Ministri acatholici non adeundi in celebrando matrimonio, C. 2319, § 1° - n. 330.

— indignis ministrantes Sacramenta quomodo puniendi, C. 2364 - n. 418.

Minores: quinam n. 31 - levius puniendi, C. 2218, 2230 - n. 120; eos ad turpia trahentes, C. 2353, 2357, § 1, seqq. - n. 396, 404 seqq.

Missam: illegitime iterantes aut non ieiuni celebrantes suspendantur, C. 2321 - n. 336; simulantes gravius puniuntur, C. 2322 - n. 337 seqq.

— *eleemosynas* ad quaestum colligentes coercentur C. 2324 - n. 342 seq.

Moderamen inculpatae tutelae excusat, C. 2205, § 4 - n. 36.

Monasterii utriusque sexus clausuram violantes, C. 2342 - n. 373.

Monialium antistitae officio privandae, C. 2413, § 1 - n. 479.

— matrimonium attentantes, C. 2388. - n. 448.

Monitio: quid - n. 132 - a iure, ab homine, n. 132; scripto vel oretenus fieri potest, n. 134, etiam iterato n. 137; at debito intervallo n. 136, et modo n. 137; imo ipsi reo tradenda n. 138; C. 2233, § 2.

— *remedium poenale:* C. 2306; quid, quotuplex n. 298; qua ratione tum publica cum secreta adhibenda, C. 2307 seqq., n. 298 seqq., de ipsa constare debet n. 299.

Monomania quomodo delictum afficit n. 24 (2).

Mortis periculum: quid, n. 187; quoad absolutionem a censuris, C. 2252 - n. 188 seq.; quoad Sacramenta ab excommunicato conficienda, C. 2261 - n. 219 seqq.; vel tempore interdicti recipienda, C. 2270 seqq. - n. 237.

— (extra) quis absolvit a censuris non reservatis n. 190; a cens. ab homine n. 191; a reservatis a iure n. 192, C. 2253.

Mulcta: poena vindicativa, C. 2291, 12°; in pios usus eroganda, C. 2297 - n. 282.

Mulierum raptores, C. 2353 - n. 396.

Multiplicantur poenae: multiplicatis delictis, C. 2224 - n. 96, id est pluries ex intervallo n. 97, nec incontinenti continuove n. 98, nec vere coalescentibus n. 99 repetitis iisdem vel diversis delictis, C. 2234 - n. 139,

— *censurae:* C. 2244, e pluralitate legum violatarum, n. 196; vel eamdem legem pluries ex intervallo violando n. 167; vel eamdem a diversis Superioribus sancitam n. 168; aut plura praecepta plurasve sententias n. 169.

— *censuris pluribus* detentus potest ab una tantum, ceteris firmis, absolvi, C. 2249, § 1 - n. 181.

Mutilatio quomodo coercetur, C. 2354 - n. 397.

N

Necessitas quando in lege ecclesiastica excusat a delicto, C. 2205,

§§ 2, 3 - n. 34 seq., a poena, C. 2218, § 2 - n. 73.

Negligentia parochi in offic. paroecial., C. 2382 - n. 442.

— clerici in ministerii ritibus et caeremoniis, C. 2378 n. 439.

— in causis piis, C. 2348 - n. 388.

— cooperatio in delicto, C. 2209, § 6 - n. 47.

Negotiatio, v. *Mercatura*.

Nominatio indigni, C. 2391. § 3 - n. 456.

Nuptiae quatenus vetantur in interdicto locali, C. 2270, § 2.

O

Obreptio dolosa potest ab Ordinario puniri, C. 2361 - n. 415.

Officia *divina:* quae, C. 2256, 1° - n. 202; ab eis arcentur excommunicati, n. 212; vitandi quidem expellendi, n. 213;

— celebrare nequeunt suspensi ab officio, a divinis etc. C. 2279 - n. 252 seq.; et personaliter interdicti, C. 2275 - n. 245;

— ecclesiastica *temere occupantes* puniendi C. 2394 - n. 459:

— amittuntur more ferme *beneficiorum* V. h. v.

Officiales: maiores Curiae Romanae iniuria verbali afficientes, C. 2344 - n. 388;

— Curiae subornantes, C. 2407 - n.

Operae piae onera negligentes quomodo ab Ordinario cogendi, C. 2348 n. 388.

Ordinarius: quis, n. 147; quando poenas l. s. iure statutas remittere potest in casibus publicis, n. 146, etiam per alium, n. 147, 3), et in occultis, n. 149; quomodo poenas f. s., n. 147, 4) - vel ab homine, n. 147, 5), C. 2237.

Ordinarius: quatenus potest casus sibi reservare, n. 172; a quibus reservatis a iure absolvat, C. 2253, 3°, - n. 192, etiam ab excomm. A. S. speciali modo reserv., C. 2314 - n. 317;

— ei non obtemperantes quomodo puniendi, C. 2331, § 1 - n. 354; quomodo in eum conspirantes, C. 2331, § 2 - n. 355.

Ordinatio sacra: semper prohibetur in locali interdicto, C. 2270, § 2 - n. 239; ab ea suscipienda arcentur excommunicati, C. 2265, - n. 228; personaliter interdicti, C. 2275, 2°, 3° - n. 245; suspensi, C. 2283 - n. 261; infames, C. 2294 - n. 277 seq.

Organum taceat tempore interdicti, C. 2271 - 2°.

P

Pactum de prole acatholice educanda damnatur C. 2319 - n. 331, 333.

Parentes ad religionem ne admittantur contra C. 542, 2411 - n. 476.

Parochi: impedientes exercitium ecclesiastiae iurisdictionis, C. 2337, § 1 - n. 363; negligentes munus suum, C. 2382 - n. 442, vel libros paroeciales, C. 2383 - n. 443; vel statas taxas augentes, C. 2408 - n. 473.

Particulas consecratas profanantes excommunicationem l. s. incurrunt, C. 2320 - n. 335.

Passio voluntaria potius auget, secus minuit aut tollit delictum, C. 2206

- n. 36 et poenam, C. 2229, § 3, 2° - n. 117.

Patriarchas (in) violentas manus iniicientes, C., 2343, § 3 - n. 379.

Patrini duellantium excomm. et inf. incurrunt, C. 2351 - n. 392.

Pensionis privatio : in poenam, C. 2291, 7° - 2298, 6°, nisi sit titulus ordinationis, C. 2299, § 3 - n. 284, 7) ; infligenda excommunicatis post sententiam, C. 2266 - n. 229 ; non presbyteris qui Missae celebrationem simulaverint aut confessiones sacr. exceperint, C. 2322 - n. 338 ; clericis qui sectae damnatae adhaeserint, C. 2336 - n. 362 ; violantibus privilegium canonis, C. 2343 - n. 377 seq. ; bona aut iura Eccl. Rom. usurpantibus, C. 2345 - n. 384 ; falsi criminis reis, C. 2360, § 2 - n. 413 ; a fide apostatis etc., C. 2314, § 1, 2° n. 313.

Peregrinatio : poenitentia canonica, C. 2313, § 1, 2°. - n. 309.

Peregrini quas poenas incurrant n. 106.

Periurii poena, C. 2323 - n. 340.

Persona : tum physica cum moralis affici potest censura, C. 2255, § 2 - n. 201, sive sit interdictum, C. 2274 - n. 244 sive suspensio, C. 2285 - n. 261 ; imo et poena vindicativa interdicti, C. 2291, 1° - 269.

Pluralitas delictorum gravius punienda, C. 2234 - n. 139 ; v. **Multiplicatio.**

Poenalis lex : quid, quatenus est elem. delicti n. 1.

Poenae : eas infligendi ius Ecclesiae, C. 2214 - n. 43, probatur ex Eccl. natura n. 60, ex S. Scriptura n. 61, e Constitutionibus RR. PP. n. 62 ; e Tridentino n. 63, e praxi Ecclesiae n. 64 - huius iuris indoles - *ib* § 2, n. 65 ;

Poenae : quid, C. 2215 - n. 66 ; divisio, C. 2216 seq., ratione finis n. 67, boni ablati n. 68, modi quo feruntur, n. 69, quo incurruntur n, 70 ;

— latae et ferendae sententiae quomodo aestimandae, C. 2217 - n. 71

— *decernuntur* pro delicti gravitate, omnibus perpensis, C. 2218, § 1 - n. 72, et tantum pro gravi delicto ib § 2 - n. 73, atque attenta mutuae iniuriae compensatione *ib.* § 2 - 74 ;

— *interpretationi* subsunt benigniori, C. 2219, § 1 - n. 75 et reo, in dubio, favorabili ib. § 2 - n. 76 ; strictae quidem n. 77 vel restrictivae n. 78, non tamen « *excedenti proprium casum* », nisi absurdum sequatur n. 79 ; et servandae licet iniustae videantur n. 80 ;

— *statuuntur* a legiferam potestatem habente, C. 2220, § 1 - n. 81, excepto Vicario Generali *ib.* § 2 - n. 83 ; non a iudice qui eas applicat *ib.* § 1 - n. 82 - imo legiferam potestatem habentes leges etiam non suas poenis muniunt, C. 2221 - n. 84, C. 2247, § 1 ;

— *comminandae* regulariter sunt, C. 2222. § 1 - n. 85 seq. ; nec feruntur in delictum incertum aut praescriptum *ib.* § 2 ; quo tamen in casu aliae Ordinario suppetunt cautelae n. 88 seq. ;

— *applicantur* a iudice n. 82, non adauctae, C. 2223, § 1 - n. 92, licet quandoque pro eius prudenti arbi-

trio temperandae aut omittendae *ib.* § 2, 3 - n. 93; seq. at poenas l. s. iudex tantum declarat *ib.* § 4 - n. 95; - «*tot poenae quot delicta*» C. 2224, § 1 - n 96 seqq. nisi nimius poenarum cumulus sit mitigandus *ib.* § 2 - n. 100, praetermisso conatu, tantum delictum sit puniendum *ib.* § 3 - 101; forma servanda, C. 2225 - n. 102 seq.

Poenae: *quos teneant*, C. 2226 - 108; quatenus peregrinos n. 105 seq., Cardinales et Episcopos, C. 2227 - n. 107 et 111;

— *incurruntur* delicto consummato, C. 2228 n. 112 seq., [nisi qua causa excuset, C. 2229, veluti ignorantia, non tamen affectata n. 115, sed crassa n. 116 aut simplex n. 117, vel ebrietas et metus; n. 117, 118 - item a poenis l. s. excusantur impuberes, C. 2230 - n. 120 seq.]: complices omnes, non tamen easdem, incurrunt, C. 2231 - n. 123 seq.: poena latae s. quando incurritur, C. 2232 - n. 125 quando eius observantia exigi possit *ib.* - n. 126;

— *infligendae* sunt nonnisi pro delicto certo nec praescripto, C. 2233 § 1 - n. 130 seq., praemissa monitione *ib.* § 2 - n. 132, seq. scriptis vel prolatis verbis n. 134, etiam iterata n. 135 et dato tempore ad resipiscendum congruo n. 136; graviores pro pluribus delictis, C. 2234 - n. 139; etiam pro delicto frustrato aut delicti conatu, C. 2235 - n. 140;

— *remittuntur* absolutione et dispensatione, C. 2236; utriusque discrimen n. 112; a quo alterutra concedatur n. 143 seqq.; Ordinarii quid possint in casibus publicis, C. 2237, § 1 - n. 146 seq., quidve in occultis *ib.*, § 2 - n. 149; valida remissio sit libera, C. 2238 - n. 151; in utroque vel alterutro foro, C. 2239, § 1; in praesentem vel absentem, absolute vel sub condicione n. 152;

Poenae *medicinales* v. **Censura**;

— *vindicativae* v. h. v.

Poenitentiae: quid, C. 2312 - n. 305; earum finis n. 306; publicum delictum supponunt *ib.* § 2 - n. 307 seq.; quaenam praecipuae, C. 2313;

— *sacramentum* ministrantes absque iurisdictione, C. 2322 - n. 307 seqq.

Praeceptum ut poenale remedium, C. 2306, 3°, 2310 - n. 302.

Praedicationi quatenus excommunicati assistere possunt, C. 2259 - n. 212.

Praescriptio delicti n. 87, 131, 154.

Praesentandi iure privantur: excommunicati, C. 2265, § 1, 1° - n. 227; suspensi, C. 2283; indignum praesentantes, C. 2391, § 3 - n, 456; simoniaci, C. 2392, § 2 - n. 458; qui neglecto Superiore per se ipsos officia providere praesumpserint, C. 2293 - n. 458.

«**Praesumpserit**» huius vocis vis in lege poenal., C. 2229, § 2 - n. 116.

Preces publicae, quibus excomm. privantur, C. 2262 - n. 222 seq.

Principes quibus poenis teneantur, C. 2227, § 1 - n. 111.

Privatio: officii, beneficii etc. poena vindicativa clericorum, C. 2298, 6°;

— beneficii inamovibilis vel amovibilis, C. 2299, § 1 - n. 284: ad

tempus, *ib.* § 2; nisi eo titulo clericus fuerit ordinatus, *ib.* § 3; differt a depositione n. 289;

Privatio: *ipso facto* eam incurrunt incompatibile beneficium retinere praesumentes, C. 2396 - n. 461; promoti ad Cardinalatum si iurare renuerint, C. 2397, vel ad episcopatum qui intra semestre consecrari non curaverint, C. 2398 - n. 462; excommunicati vitandi, C. 2266 - n. 229;

— *privandi:* apostatae a fide etc., C. 2314, § 1, 2° - n. 312 seqq.; conspirantes de quibus C. 2331, § 2 - n. 355; suspensi ultra semestre sordescentes, C. 2340 - n. 370; violentas manus iniicientes in Card., R. P. Legatum, C. 2343, § 2, 3° - n. 376 seqq.; iura Eccl. Rom. usurpantes, C. 2345 - n. 383; bona ecclesiastica sibi usurpantes, C. 2346, n. 385; homicidae etc., C. 2354, § 2 - n. 398; gravius delinquentes contra sextum, C. 2359, §§ 2, 3 - n. 406; sollicitationis rei, C. 2368, § 1 - n. 424; canonicus theologus et poenitentiarius contumaces in negligentia, C. 2384 - n. 444; non residentes, C. 2381, 2° - n. 442; violenti in se ipsos, C. 2350, § 2, n. 391;

— *privari possunt:* ex Missarum eleemosynis quaestum facientes, C. 2324 - n. 343; leges etc. contra Ecclesiam edentes aut sectae damnatae nomen dantes, C. 2336 - n. 363; iniuriantes, C. 2355 - n. 399; contra sextum delinquentes, C. 2359, § 3 - n. 408; falsarii de quibus C. 2360, § 2 - n. 413; documenta Curiae subtrahentes, C. 2405 - n. 469; et beneficio privati illud non dimittentes, C. 2401 - n. 464.

Privatio: *habitus ecclesiastici:* temporanea, C. 2298, 1°; quando infligenda, C. 2300 - n. 285; - perpetua, C. 2298, 11°, in depositos pertinaces, C. 2304 § 1; continetur in degradatione, C. 2305, § 1 - n. 289 seq.; non suspenditur, C. 2288 - n. 266.

Privilegium *canonis* violantes, C. 2343 - n. 376 seqq.;

— *fori* violantes, C. 2341 - n. 371 seq.

— *usu privantur* excommunicati - n. 230.

Profanantes species consecratas quomodo puniantur, C. 2320 - n. 335.

Professionem fidei negligentes quomodo cogendi, C. 2403 - n. 467.

Prohibentes v. **Impedientes**.

Proles acatholice ne educetur, C. 2319 - n. 330 seqq.

Provocatio in provocato ad delictum quatenus excuset, C. 2205, § 4 - n. 36;

— *ad duellum*, C. 2351 - n. 393, 3°);

— *ad inobedientiam* etc., C. 2331, § 2 - n. 355.

Publicatio bonorum: poena olim et ab Ecclesia adhibita n. 64.

Puberes: qui, quatenus doli capaces n. 31; unde non eximuntur a poenis, C. 2230 - n. 120.

Q

Quaestum ex Missarum stipe facientes, C. 2324 - n. 343 - ex indulgentiis, C. 2327 - n. 351.

Qualitas delicti ex obiecto legis desumitur, C. 2196 - n. 8.

Quantitas del. unde desumenda, C. 2196 - n. 8; 2203 - n. 19.

Quasi-delictum: quid n. 19; quomodo differt a delicto n. 20.

R

Rapinae poenae, C. 2354 - n. 397.

Raptores impuberum, C. 2354 - n. 397 seq.

— mulierum, C. 2353 - n. 396.

Receptatio delinquentis quatenus punienda, C. 2209 § 7 - n. 48.

Recidivi: qui, quo magis culpabiles, C. 2208 - n. 41 eo gravius puniendi, C. 2234 - n. 139, addita si res postulet, vigilantia, n. 303 vel correptione, n. 300 seq.

Recurrentes ad laicam potestatem contra Ecclesiam, C. 2333 - n. 358; cfr. n. 360, 362 seq.

Recursus pro **Appellatione** v. h. v. - quoad absolutionem a censuris, C. 2252-2254 - n. 194 seqq.; quoad dispensationem a poenis vindicativis, C. 2287 - n. 267; ad S. Poenitentiariam sub poena reincidentiae, C. 2254 - n. 194.

Recusantes praestationes debitas quomodo cogendi, C. 2349 - n. 389.

Reductio ad statum laicalem: clerici in *minoribus*, C. 2305 § 1 - n. 290; ex graviori delicto turpi, C. 2358 - n. 406; ex dolo in professione religiosa, C. 2387 - n. 447; *clerici in maioribus*, C. 2305 - n. 290.

Religionem (contra) delicta, C. 2320 seqq.;

— ad prof. relig. cogentes, C. 2352 - n. 394 vel illegitime admittentes, C. 2411 - n. 476.

Reincidentia, C. 2252 et 2254 - n. 194, 198.

Religiosi: ecclesiasticae iurisdictionis exercitium impedientes aut sectae nomen dantes, C. 2336 seq. - n. 362 seq.

— conferentiis assistere renuentes, C. 2377 - n. 438.

Reliquias falsas conficientes etc. quatenus puniantur, C. 2326 - n. 349.

Remedia poenalia: quid - n. 296 seqq.; quaenam, C. 2306; qua ratione applicanda, C. 2307 seqq. - n. 289 seqq.

Remissio poenarum v. **Poenae.**

Remotionem non observantes, C. 2401 - n. 465.

Rescripta obrepticia et subrepticia, C. 2361 - n. 412.

Reservatio *censurae:* quid n. 170, quinam possint reservare cens. n. 170; a iure vel ab homine, C. 2245 - n. 173; Ordinario vel Ap. Sedi, simpliciter, speciali, specialissimo modo *ib.*

— dubia non urget, *ib.* § 4; in mortis periculo omnis res. cessat n. 171; - censurae quae impedit receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati, C. 2246 § 3 - n. 174; ubinam teneat, C. 2247 § 2; Ordinarius censuram sibi reservatam ne addat alii iam A. S. reservatae, C. 2247 § 1; neque eidem A. S. speciali vel specialissimo modo reservatas potest remittere, C. 2237 n. 146 seqq.; absolvit valide confessarius eam ignorans nisi etc., C. 2247 § 3;

— *in periculo mortis* quatenus absolvi possit, C. 2252 - n. 187 seqq.; *extra. p. m.*, C. 2253 - n. 190 seqq.;

- *in casibus urgentioribus*, C. 2254 - n. 193 seqq.

Residentiae legem violantes, C. 2381 n. 442.

Restituere damnantur: bona ecclesiastica qui ea usurpaverint, C. 2346 seq. - n. 385 seqq; taxas immodicas qui eas exegerint, C. 2408 - n. 473.

Retrotrahitur poena l. s., C. 2232 § 2.

Ritus graviter negligentes, C. 2378 n. 439.

Rom. Pont. non obtemperantes, C. 2331 § 1 - n. 354; in eum conspirantes *ib.* § 2 - n. 355, in eumve manus violentas iniicientes, C. 2343 § 1 - n. 376 seq.

S

Sacramenta et sacramentalia *excommunicati* quatenus prohibentur recipere, C. 2260 - n. 216, ministrare, C. 2261 - n. 219;

— *in interdicto* locali morientibus permittuntur, C. 2270 § 1 - n. 237;

— *personaliter interdicti* vetantur conficere, ministrare, recipere, ib.

Sacrilegium: quid n. 346; quomodo punitur, C. 2325 - n. 348.

Scandalum quoad poenas decernendas, C. 2218. § 1 - n. 72; infligendas, C. 2222 - n. 85.

Schismaticus: quinam n. 316, l. s. excommunicationem incurrit etc., C. 2314 - n. 316; unde cf. C. 2372; privatur ecclesiastica sepultura, C. 2339 - n. 367.

Scripturae Sacrae libros sine licentia quatenus vetitum edere etc., C. 2318 § 2 n. 329.

Sectae massonicae aliisve id genus nomen dantes, C. 2335 seq. - n. 361 seq.

Senes quoad poenas n. 31.

Sententia *declaratoria:* quid efficiat, C. 2232 § 2;

latae et fer. sententiae poenae: quae, C. 2217 - n, 70; qua ratione applicandae, C. 2223 n. 92 seqq.

Sepulcra violantes, C. 2328 - n. 352.

Sepultura ecclesiastica: quid n. 367, 3°) *deneganda* excommunicatis, C. 2260 § 2 - n. 218; interdictis personaliter, C. 2275, 4°; vel ab ingressu Ecclesiae, C. 2277 - n. 247; in se ipsos violentis, C. 2350 § 2 - n. 391;

— *indignos* ecclesiasticae sepulturae mandantes puniuntur C. 2339 - n. 367 seq.

Sextum (contra) ob delicta damnati puniendi C. 2357 seqq. laici, n. 404, clerici in minoribus, n. 406, in sacris. n. 407.

Simoniae poenae: quoad Ordinem sacrum etc., C. 2371 - n. 429; quoad officiorum etc. provisionem, C. 2392 n. 457.

Simulantes Missae celebrationem et confessionis susceptionem puniuntur iure tum antiquo, n. 337 cum novo, C. 2322 - n. 338 seq.:

— *absolvere* complicem in turpi, C. 2367 § 1 - n. 422.

Societati damnatae nomen dantes puniuntur C. 2335 - n. 361, eo magis clerici, C. 2336 § 1 - n. 362.

Sodomitae: quomodo percellendi laici, C. 2357 - n. 404 seq.; clerici minores, C. 2358 - n. 406; maiores, C. 2359 - n. 407.

Sollicitantes coercentur C. 2268 § 1 n. 424; qui eos non denuntiant *ib.* § 2 - n. 425; aut falso, C. 2363 - n. 416.

Sortilegium: quid - n. 344, 2°) - quomodo puniendum, C. 2325 - n. 348.

Species consecratas profanantes, C. 2320 - n. 335.

Statu clericali abiiciatur clericus minor luxuriosus, C. 2358 - n. 406; et clericus religiosus dolosam professionem emittens, C. 2337 - n. 447.

Stipendiis (ex) Missarum quaestum facientes, C. 2324 - n. 342.

Stupri poenae: in laicos, C. 2357 - n. 404; clericos minores, C. 2358 - n. 406; maiores, C. 2359 - n. 407.

Subreptio dolosa potest ab Ordinario puniri, C. 2361 - n. 415.

Suicidae et autolaesionistae, C. 2350 § 2 - n. 391.

Superiores maiores: quinam, C. 488 - ne trahantur ad iudicem laicum, poena excommunicationis, C. 2341, n. 372, 373.

— *religiosi:* quomodo puniendi si illegitime bona ecclesiastica alienaverint, C. 2347, 2° - n. 387, 5ᵇ; si legem vitae communis violaverint, C. 2389 - n. 450; si subditum ordinandum illegitime ad alienum Episcopum remiserint, C. 2410 - n. 475; aut inidoneum vel sine litteris testimonialibus ad novit. vel profess. rel. admiserint, C. 2411 - n. 476; si praescripta de visitatione violaverint, C. 2413 § 2 - n. 479.

Superstitio: quid, quotuplex n. 344; poenae, C. 2325 - n. 348.

Suppressio sedis episcopalis vel paroecialis, C. 2291 § 3, 2292 - n. 270 seq.

Suspecti de haeresi: C. 2315 seq. - n. 320, qui haeresis iuverint propagationem, n. 321; in divinis cum haereticis communicaverint, n. 322; in excomm. insorduerint, C. 2340 - n. 369; et si moniti non resipuerint, C. 2315 - n. 323.

Suspenditur quandoque poenae exsecutio, n. 266.

Suspensio: quid, C. 2255 - n. 199 seqq. 2278 - n. 250; quotuplex *ib.* n. 251 seq.; generaliter et specialiter lata n. 252; a iurisdictione *ib.*: a divinis etc. n. 253 et C. 2284 n. 261; a certo ordine n. 254 seq.;

— *a beneficio:* quid efficiat, C. 2280 - n. 257; quos afficiat C. 2281 seq. - n. 259 seq., cf. n. 201; quid si feratur *in personam moralem*, C. 2285 - n. 261;

— *incurrunt ipso facto* - ab audiendis confessionibus ii de quibus C. 2366 - n. 420; a divinis clerici resignantes off. in manus laicorum, C. 2400 - n. 464; a iurisdictione Abbas etc. benedictionem recipere negligens, C. 2402 - n. 466; Vicarius Capitularis indebite dimissorias litteras concedens, C. 2409 - n. 474; Superiores religiosi, C. 2410 - n. 475; - *reservatam A. Sedi* incurrunt Episcopum illicite consecrantes, C. 2370 - n. 428; simoniaci in ordinatione, C. 2371 - n. 429; ordinem ab excommunicato recipientes, C. 2372 - n. 430 aut conferentes indebite, C. 2373 - n. 431; religiosus clericus maior cuius professio dolosa declaratur nulla, C. 2387 - n. 447.

— *suspendendi:* a beneficio canonicus

poenitentiarius aut theologus negligens, C. 2384 - n. 444; a Missae celebratione et confessionibus excipiendis sollicitantes, C. 2368 § 1 - n. 424; ab ordinibus receptis clerici habitum et tonsuram non gestantes, C. 2379 - n. 440; sibi bona ecclesiastica usurpantes, C. 2346; a divinis suspecti de haeresi, C. 2315 - n. 323; clerici in sacris gravius luxuriosi, C. 2359 - n. 409, vel deserentes arbitrarie suum munus, C. 2399 - n. 463 aut in illegitima muneris detentione persistentes, C. 2401 - n. 465.

T

Tabulae rotantes - n. 345.

Taxas augentes, C. 2408 - n. 437.

Tolerati excommunicati: quinam, C. 2258 - n. 209 seq.; privantur assistentia officiis divinis, C. 2259 - n. 212; ab activa quidem repellendi n. 215; cum eis communicare in divinis vetitum, C. 2338 § 3 - n. 366.

Tonsuram non deferentes puniuntur C. 2379 - n. 440.

Translatio sedis episcopalis vel paroecialis in poenam vindicativam, C. 2291, 3°, 2292 - n. 270 seq. — clerici in poenam, C. 2298, 3°.

Turpe peccatum: quid, n. 197, 422; a quo absolvendum, C. 2367 - n. 422.

Tutelae moderamen quatenus excusat, C. 2204 § 4 - n. 36.

U

Unctio extrema non prohibetur in interdicto locali, n. 237.

Usurae poenae, C. 2355 - n. 397.

Usurpantes bona iurave Ecclesiae Romanae, C. 2345 - n. 383 seq.; — sibi bona ecclesiastica, C. 2346 - n. 385.

Usus rationis praesupponitur ad delictum, C. 2201 - n. 23; ad poenam, C. 2218 - n. 72 seq. et 2229 - n. 114 seq.

V

Vana observantia: quid, n. 344, 4°; quomodo coercetur, C. 2335 - n. 348.

Venditio hominum poenis plectitur, C. 2354 - n. 397.

Viaticum in interdicto locali, C. 2270, § 1, 2271. 2°, 2272, § 3, 2°, - n. 237.

Vicarii capitulares documenta Curiae subtrahentes, C. 2405 - n, 469; — **generales** nequeunt poenas infligere, C. 2220 § 2 - n. 83, neque remittere quas forte ut iudices applicuerint, C. 2236 - n. 145; cf. etiam C. 2314 § 2 - n. 317.

Vigilantiae poena cum recidivo adhibenda, C. 2234, 2311 - n 139, 303 seq.

Vindicativae poenae: C. 2286 - n. 263 seq.; omnium communes, C. 2291; clericorum propriae, C. 2298; ab ipsis patet appellatio vel recursus in suspensivo, C. 2287 - n. 267; quatenus earum exsecutio suspendi possit, C. 2288 - n. 266; cessant expiatione aut dispensatione, C. 2289 - n. 265; quid possit confessarius, C. 2290 - n. 268.

Violantes: *cadavera*, coemeteria, ecclesias vel sepulcra, C. 2328 seq. - n. 352.

— *vitam communem*, C. 2389 - n. 450.

Violantes : *clausuram,* C. 2342 - n. 373 seq.
— *interdictum locale,* C. 2338 § 3 - n. 366 ;
— *privilegium canonis,* C. 2343 - n. 377 seq.
— — *fori,* C. 2344 - n. 372.
— *sigillum sacramentale,* C. 2369 - n. 426.
Violentia coercetur C. 2354 - n. 397.
— *in clericos* percellitur C. 2343 - n. 377.
Vis : quid, quatenus excuset, C. 2205 - n. 32 ;
— *vi repelli* potest, n. 36 ; quatenus eximat a poena, C. 2218 § 2 - n. 73 ;
— ad religionem vel ad ordines percellitur C. 2352 - n. 394.
Vitandi excommunicati : qui, C. 2258 - n. 209 ; repellendi ab officiis divinis, C. 2259 - n. 213 seq. ; quando valide, licite Sacramenta ministrant, C. 2261 - n. 220 seq ; quaelibet cum eis communio proscripta, C. 2267 - n. 231, 365 ;
Vitandi *sunt ipso facto* qui violentas manus iniecerint in Rom. Pont. C. 2343 - n. 378 ;
— *eis auxilium,* favorem etc. praestantes puniuntur C. 2338 § 2 - n. 365.
Voce *activa et passiva: privantur* apostatae a religione, C. 2385 - n. 445 ; cf. C. 2237 § 1, 3° ;
— *privandi:* conspirantes, C. 2331 § 2 - n. 355 : clerici de quibus C. 2336 § 1 - n. 362 ;
— regulares clausuram violantes, C. 2343 § 2 - n. 373 ; falsarii, C. 2360 § 2 - n. 413 ; sollicitantes, C. 2368 § 1 - n. 424 ; apostatae a religione, C. 2385 - n. 445.
Vulnerationis delictum percellitur C. 2354 - n. 317.

INDEX

PARS PRIMA

De delictis

PAG.

Tit. I. — De natura delicti eiusque divisione 1
Tit. II. — De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus . . . 13
Tit. III. — De conatu delicti 38

PARS SECUNDA

De poenis

Sectio I. — *De poenis in genere* 43
Tit. IV. — De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione 48
Tit. V. — De superiore potestatem coactivam habente . . 60
Tit. VI. — De subiecto coactivae potestati obnoxio . . . 73
Tit. VII. — De poenarum remissione 93
Sectio II. — *De poenis in specie* 104
Tit. VIII. — De poenis medicinalibus seu de censuris.
Cap. I. — De censuris in genere. 105
Cap. II. — De censuris in specie 140
Art. 1. — De excommunicatione 144
Art. 2. — De interdicto 166
Art. 3. — De suspensione 178
Tit. IX. — De poenis vindicativis 187
Cap. I. — De poenis vindicativis communibus . . 193
Cap. II. — De peculiaribus clericorum poenis vindicativis 200
Tit. X. — De remediis poenalibus et poenitentiis.
Cap. I. — De remediis poenalibus 209
Cap. II. — De poenitentiis 215

PARS TERTIA

De poenis in singula delicta.

PAG.

Prooemium 219
Tit. XI. — De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae . 221
Tit. XII. — De delictis contra religionem. 240
Tit. XIII. — De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas 257
Tit. XIV. — De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores 315
Tit. XV. — De crimine falsi 338
Tit. XVI. — De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum 346
Tit. XVII. — De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi 372
Tit. XVIII. — De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum. . 393
Tit. XIX. — De abusu potestatis vel officii ecclesiastici . . 414

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

7055